ACADÉMIE ROYALE

DES SCIENCES, DES LETTRES ET DES BEAUX-ARTS DE BELGIQUE.

COMMISSION ROYALE D'HISTOIRE.

CHRONIQUE

DES

DUCS DE BRABANT,

PAR

EDMOND DE DYNTER,

(EN SIX LIVRES),

PUBLIÉE D'APRÈS LE MS. DE CORSENDONCK, AVEC DES NOTES ET L'ANCIENNE TRADUCTION FRANÇAISE
DE JEHAN WAUQUELIN;

PAR

P. F. X. DE RAM,

Recteur magn. de l'Université cath. de Louvain, membre de la Commission royale d'histoire

TOME I, 2me PARTIE,

Comprenant les livres I, II et III.

BRUXELLES,

M. HAYEZ, IMPRIMEUR DE L'ACADÉMIE ROYALE DE BELGIQUE.

1854.

CHRONICA

NOBILISSIMORUM DUCUM

LOTHARINGIAE ET BRABANTIAE

AC REGUM FRANCORUM,

auctore

MAGISTRO EDMUNDO DE DYNTER,

IN SEX LIBROS DISTINCTA,

AD FIDEM COD. MS. KORSENDONCANI COLLAT. CUM ALIIS CODD. MSS. EDIDIT AC GALLICA JOHANNIS WAUQUELIN VERSIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

PETRUS FRANC. XAV. DE RAM.

TOMI I PARS II,

Complectens Libros I, II et III

BRUXELLIS,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA M. HAYEZ, ACADEMIAE REGIAE TYPOGRAPHI.

MDCCCLIV.

EDMUNDI DYNTERI CHRONICON.

LIBER PRIMUS.

INCIPIT MAGISTRI EMONDI DE DYNTER PROLOGUS IN CRONICAM NOBILISSIMORUM DUCUM LOTHARINGIE, BRABANTIEQUE ET REGUM FRANCORUM.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Originem et generationem regum Francorum ex Trojanis descendentium, qui olim Merovingi dicebantur, ex quorum propagine majorumque domus dignitate Karlentium, scilicet sancti Karoli magni progenitores, duces videlicet Lotharingie et Brabantie, ut infra patebit, originem traxerunt principalem, atque gesta eorumdem, que adeo sunt permiscua [1], quod aliquatenus segregari nequeant : ad laudem et honorem Dei omnipotentis precipue, necnon illustrissimi principis et domini, domini Philippi, Dei gratia Burgundie, Lotharingie, Brabantie et Lymburgie ducis, ac Flandrie, Arthesie, Burgundie, Palatine, Hannonie, Hollandie, Zelandie et Namurcensis comitis, Sacrique Imperii marchionis, ac Frisie, de Salinis et Mechlinia domini, domini mei gratiosi moderni sub anno Domini M° CCCC° XLV° principantis, incipiendo a capite et continuando usque ad eumdem gratiosum dominum meum ducem : intermiscendo etiam gesta nonnullorum summorum pontificum atque imperatorum sive regum Romanorum, incipiendo a sancto Karolo magno, et continuando usque ad serenissimum principem, dominum Fredericum, regem Romanorum et ducem Austrie modernum.

[1] Seu *promiscua*.

Auctor chron.

Ego Emondus de Dynter, inclite memorie Anthonii primi, Joannis quarti, Philippi primi, quondam Lotharingie, Brabantie et Lymburgie ducum, atque predicti gratiosi domini, domini ducis moderni secretarius, licet indignus, gratia mihi annuente divina, nichil de meo proprio addens, sed primo fratris Andree[1] cronicas et vestigia insequendo, et prout in aliis cronicis antiquis ac registris et scripturis auctenticis reperire potui, breviter describere curabo, sub correctione cujuslibet melius sentientis. Et precor legentem ne sibi sit onerosum, si aliqua utilia que historie congruunt invenerit inserta. Dabo igitur operam ne fastidiosa sit lectio, quia nullus, ut credo, delectatur fastidio.

[1] De Andrea Silvio vid. supra praef.

INCIPIT EPILOGUS PRIMI LIBRI HUJUS CRONICE.

Primus iste libellus originem gentis Francorum, successionem ducum, genealogiam regum, qui Merovingi dicti sunt, egressum a Troya et Sicambria, regem Clodoveum a sancto Remigio cum Francorum populo baptizatum insinuat, necnon acquisitionem totius Gallie per prefatum regem et ejus successores factam, et industriam quorumdam regum, aliorum vero ignaviam ostendit. A Theoderico vero, qui XV^{us} apud eos regnavit, usque ad ultimum Hildericum gesta eorum nec carta nec calamo indigent [1].

Incipiunt capitula libri primi historie succincte de gestis et successione regum Francorum, qui olim Merovingi dicti fuerunt.

De origine gentis Francorum, et qui duces in ea primi fuerunt. Capitulum I.

De genealogia regum Francorum, ubi successio Merovingorum per ordinem describitur. II.

De regno Priami, qui apud eos primus regnavit. III.

De ducibus Francorum Simmone et Marchomiro. IV.

De regno Pharamundi, filii Marchomiri ducis. V.

De regno Clodii, filii Pharamundi. VI.

De regno Merovei. VII.

De crudelitate Attile, regis Hunorum. VIII.

De regno Hilderici, filii Merovei, et ejus expulsione et regressu. IX.

De regno Clodovei, filii ejus, et quomodo a beato Remigio sit baptizatus. X.

[1] In MS. hoc loco additur: *Ubi autem hec figura est* P, *ne transeas, quia sunt digna memorie*

De victoria contra Alamannos et Thuringos et Alaricum. XI.
De regno Lotharii, filii ejus, et fratrum ejus, de crudelitate ejus et incestu. XII.
De bello contra Cramum, filium suum, et Conobrum, regem Britannie. XIII.
De regno Chilperici, filii ejus, et fratrum ejus, et crudelitate ipsius. XIV.
De Brunechilde regina, de immunditia, proditione, crudelitate et interfectione ipsius. XV.
Et quod *tamen* multa bona ecclesie contulerit. XVI.
De regno Lotharii secundi, filii Chilperici, et ibi de Karlomanno et Pipino, ejus filio. XVII.
De regno Dagoberti, filii ipsius, et quod ecclesiam sancti Dyonisii a fundamentis construxerit. XVIII.
De sancto Amando et beata Rictrude et aliis sanctis ipsius temporis. XIX.
De regno Clodovei et Sigeberti, filiorum Dagoberti. XX.
De regno Lotharii, filii Clodovei. XXI.
De regno Hilderici, filii ejusdem Clodovei. XXII.
De regno Theoderici, filii ejusdem Clodovei. XXIII.
De Archenaldo, majore domus, et Leudisio, filio ejus. XXIV.
De Ebroino, ex monacho majore domus, et interfectione sancti Leodegarii. XXV.
De regno Clodovei, filii Theoderici. XXVI.
De Pipino et Karolo Martello, filio ejus. XXVII.
De regno Hildeberti, fratris Clodovei. XXVIII.
De regno Dagoberti, filii Clodovei. XXIX.
De regno Lotharii, filii Dagoberti. XXX.
De regno Chilperici. Hic alienus a successione, sed tamen de genere. XXXI.
De regno Theoderici, filii Dagoberti. XXXII.
De regno Hilderici, in quo regnum Merovingorum corruit. XXXIII.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

De origine gentis Francorum, et qui duces in ea primi fuerunt. Cap. I.

Post illud famosum Trojane civitatis excidium, victoribus Grecis cedentes reliquie Trojanorum, pars eorum cum Enea ad fundandum Romanum imperium ad Ytaliam perrexit; pars una, scilicet XII millia, duce Anthenore, in finitimas Pannonie partes secus Meotidas paludes pervenit; ibidem civitatem edificaverunt, quam ob sui memoriam Sicambriam vocaverunt : in qua multis annis habitaverunt et in magnam gentem coaluerunt. Post mortem vero Authenoris constituerunt duos duces, Torgotum scilicet et Francionem, a quo, ut quibusdam placet, Franci sunt appellati. Valentinianus imperator, eorum virtute delectatus, eos qui prius vocabantur Trojani, deinde Anthenoride, post etiam Sicambri, Francos attica lingua, ut alii scribunt, eos appellavit, quod in latina lingua interpretatur *feroces*. Qui crebris incursibus Romanum solum incessentes usque ad Gallias ferocitatis sue vestigia dilataverunt. Mortuo itaque Francione, duces elegerunt Symniorem [1], Genebaudum et Marchomirum : a quo Francorum reges genus duxerunt, ut cernis subscriptum.

De genealogia regum Francorum, ubi successio Merovingorum per ordinem describitur. Cap. II.

Marchomirus dux genuit Pharamundum regem, cujus filius Clodius rex crinitus, a quo reges Francorum criniti dicebantur. Clodio vita decedente, Meroveus, affinis ejus, regni Francorum gubernacula suscepit, a quo Meroveo, rege utili, reges Francie Merovingi sunt appellati. Meroveus genuit

[1] Alias *Symnonem* seu *Simmonem*, ut infra cap. IV.

Hildericum; Hildericus genuit Clodoveum ex Basina, Thuringie regina, ut inferius patebit, quem sanctus Remigius baptizavit. Clodoveus genuit Lotharium; Lotharius genuit Chilpericum; Chilpericus genuit Lotharium magnum; Lotharius magnus genuit Dagobertum et Blithildem : ad cujus progeniem postea translatum est regnum; Dagobertus genuit Clodoveum et Sigebertum; Clodoveus genuit Lotharium, Hildericum et Theodericum: Theodericus Clodoveum et Childebertum; Childebertus Dagobertum; Dagobertus Lotharium, Chilpericum, Theodericum et Hildericum. Isti tres de genere regali fuerunt, et reges a Karolo Martello maximo duce constituti. Hildericus, ultimus rex Francorum de genere Merovingorum, jussu Zacharie pape in monasterio tonsuratur, et Pipinus parvus, filius Karoli Martelli, pro eo rex consecratur. Genealogia regum explicit.

De regno Priami, qui apud eos primus regnavit. Cap. III.

Anno ab Adam quater mille CCC XXXI, secundum Dyonisium, anno
381. vero Domini CCC° LXXXI°, secundum Dyonisium, anno autem primo Gratiani et Valentiniani, imperatorum Romanorum, creaverunt super se regem Trojani, qui et Franci, Priamum quemdam, strenuissimum militem, qui regnavit annis quinque. Nam eosdem Francos Constans Cesar, filius magni Constantini, bello quodam oppressit et tandem Romano imperio subjectos aliquantulum a sua feritate mansuefieri coëgit. Post aliquot annos, rebellantibus Alanis contra Valentinianum imperatorem, cum eos non posset penitus imperator debellare, eo quod eos intransibiles Meotide paludes tutarentur; proposuit Valentinianus, quod, si qua gens has paludes intrare et rebelles Alanos posset conterere, decem annis eam a tributis liberam redderet. Hac pactione Trojani, qui et Franci, illecti et de fortitudine et prudentia sua confisi, duce supradicto Priamo, Meotidas paludes Romanis invias ingressi, Alanorum gentem exterminaverunt et ita Valentiniano satisfecerunt. Hic igitur Priamus regnabat super eos tempore prioris Valentiniani, nam ex ipso regis nomine recolentes nobilitatem illius Priami, sub quo eversa est Troja, inde gloriabantur gentis sue manasse primordia. Exacto decennio, cum exactores repeterent tributa a Francis, Franci, pro superiori victoria insolescentes et de viribus presumentes, non

solum tributa negare, sed etiam Romanis presumunt rebellare. Romani collecto exercitu super Francos irruunt et victos pene usque ad internecionem proterunt. Basilius, Cesariensis Cappadocie episcopus, insignis habetur.

De ducibus Francorum Symmone et Marchomiro. Cap. IV.

Anno Domini CCC° LXXXIIII°, anno scilicet quinto imperatorum Gra- 384.
tiani et Valentiniani, Franci post Priamum Marchomirum, filium ejus, et Symmonem, filium Anthenoris, sibi duces statuunt, qui et imperaverunt annis XXXIIII. Anno primo Marchomiri, Maxentius tyrannus, sumpto nomine imperatoris, Gratianum imperatorem in Lugduno Gallie dolo peremit. Anno II° Marchomiri, Franci Quintinum et Eradium, duces Romanorum, cum omnibus pene suis juxta Treverim delent. Anno V° Marchomiri, Maxentius tyrannus, ab Ambrosio Mediolanensi excommunicatus, a Theodosio imperatore Aquileie in bello perimitur; et Valentinianus a Maxentio fugatus imperio restituitur. Anno VII° Marchomiri, caput Joannis Baptiste a Theodosio imperatore Constantinopolim translatum est. Quod cum Valens imperator, hereticus olim, illuc voluisset transferre, vehiculum, in quo sanctum caput ferebatur, nullo modo moveri potuit. Anno XI° Marchomiri ducis, Valentinianus imperator, nimia austeritate Arbogastis, magistri militum, ad vite tedium perductus, laqueo vitam finivit. Anno XII° Marchomiri, Theodosius imperator Eugenium et Arbogastem ob necem Valentiniani in bello peremit, et ipse non post multum obiit Mediolani. Anno XIII° Marchomiri, Constantinopolis iram Dei formidans, igne super nubem terribiliter fulgente ad penitentiam conversa evasit. Anno XXI° Marchomiri, Archadius imperator ossa Samuelis prophete a Judea Constantinopolim transtulit, tam hilariter occurrentibus populis, ac si eum viventem cernerent. Anno XXVIII° Marchomiri, capta est Roma ab Alarico, rege Gothorum. Franci etiam eodem anno sepe Gallias incessentes, diripiunt primo, et secunda irruptione incendunt urbem Treverim quam condidit Treber, filius *Nini* regis Assiriorum, profugus a facie noverce sue Semiramidis, et a suo nomine Treberim denominavit. Et est sciendum quod iste Marchomirus, qui contra Romanos terram inter Danubium et Rhenum sitam acquisivit et subjugavit, eandem terram Franciam appellavit, a qua reges Francorum

primo nomen et titulum receperunt; que quidem Francia nunc Franconia dicitur. Hujus ducis temporibus prefuerunt Romane ecclesie sacri pontifices Damasus, Siricius, Anastasius et Innocentius. Romani vero imperatores Gratianus cum fratre Valentiniano, Theodosius cum filiis Archadio et Honorio, et Theodosio, filio Archadii. Eo etiam tempore insignes habebantur Martinus Thuronensis, Ambrosius Mediolanensis, Augustinus Ypponensis, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nichenus (*Nissenus*), Johannes Constantinopolitanus, cognomento Chrisostomus, Jheronimus Bethleemites, Rufinus Aquileiensis, Cassianus Abbas, cum multis aliis.

De regno Pharamundi, primi regis Francorum in Theutonia. Cap. V.

433. Anno Domini CCCC° XXXIII°, Marchomiro et Symnone, Francorum ducibus, defunctis, Franci in commune deliberant, ut et ipsi, sicut alie gentes, unum regem habeant, et filium Marchomiri ducis Pharamundum sibi regem ordinant, qui regnavit annis XI. Anno IX° Theodosii, filii Archadii, regnavit Pharamundus super Francos in Sicambria. Anno III° Pharamundi, Franci uti ceperunt legibus, et legem salicam dictaverunt per quatuor gentis sue proceres, electos de pluribus, hiis appellatos nominibus : Usogast, Bosogast, Salagast, Widigast, in villis Germanie Salechaim, Bodahaim, Windehaim. Hii quatuor proceres per tres mallos causarum origines convenientes sollicite tractantes, de singulis discutiendo, sicut lex salica declarat, judicare decreverunt. Hujus regis temporibus prefuerunt Romane ecclesie Zosimus, Bonifacius et Celestinus. Imperatores Romani Honorius et Theodosius.

De regno Clodii; quomodo sit institutum festum sancti Petri ad vincula. Cap. VI.

438. Anno Domini CCCC° XXXVIII°, anno autem Theodosii XX°, Pharamundo rege Francorum mortuo, regnavit Clodius, rex crinitus, filius ejus, annis XVIII. Ex hoc Franci crinitos reges habere ceperunt. Anno regni sui primo,

Clodius rex Thuringiam invadit et in Dispergo[1], castello Thuringorum, aliquamdiu habitavit. Anno VIII° Clodii, Eudoxia augusta, uxor Theodosii, Jherosolimam ex voto properavit, et inde reliquias prothomartiris Stephani et duas cathenas, quas angelus de manibus Petri apostoli dejecit, Dei nutu attulit, eisque adjuncta cathena, qua etiam Rome Petrus vinctus fuit, triadem fecit, et inde, cum consilio Romani presulis, solempnitatem sancti Petri, que dicitur ad vincula, instituit kalendis augusti, ideo maxime ut populum revocaret a gentili superstitionis pompa, quam adhuc solempnizabat in hac die civitas, ex ritu gentili, pro victoria Octaviano Augusto de Anthonio et Cleopatra collata in kalendis augusti. Dyabolus judeos in specie pseudoprophete Moysen se esse mentientis seduxit, et promittens se in terram repromissionis eos reducturum, ad mare transfretandum adduxit, ibi eorum multos multis modis perire fecit. Que res multis eorum, hoc periculo erutis, credendi in Christum causa fuit.

Anno Clodii regis XIIII°. Constantinopoli per quatuor[2] menses in aëra ammonitus est a divina voce, ut factis letaniis canerent : *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*, nichil aliud apponentes. Quo facto cessavit terremotus. Clodius rex, anno regni sui XV°, missis ex- 445.
ploratoribus suis de Dispergo castello usque ad urbem Cameracum, transit Rhenum, et protrito multo Romanorum populo, circa Rhenum usque Ligerim fluvium habitante, Carbonariam silvam, que nunc *Mourmal* nuncupatur, ingressus, urbem Tornacum obtinuit, et inde usque ad urbem Cameracum properavit, ubi pauco tempore residens, Romanos, si quos ibidem invenit, peremit, et exinde usque ad Sommam fluvium perveniens, omnia occupavit.

Floruerunt eo tempore Romani pontifices Sixtus papa, Leo sanctissimus doctor, Germanus Antisiodorensis, Petrus Ravennas, Flavianus Constantinopolitanus, Nychasius Remensis, Lupus Trecasinus, Eucherius Lugdunensis, Hylarius Arelatensis, Anianus Aurelianensis.

[1] Alias *Dispurgo* seu *Dispargo*.

[2] Alias *sex*. Quaedam in iis quae sequuntur desiderantur, adeo ut sensus hoc modo ex Sigeberto et Andrea Silvio sit restituendus : *Constantinopoli per sex menses terrae motu fluctuavit terra. Quidam puer, coram omnibus orantibus sublatus in aëra, admonitus est a divina voce, ut factis litaniis canerent omnes : etc.*

De regno Merovei. Cap. VII.

448. Anno Domini CCCC° XLVIII°, anno autem Theodosii XL°, Clodio rege Francorum mortuo, Meroveus, filius ejus, secundum quosdam non filius sed affinis vel nepos, super Francos regnavit annis decem, a quo nimis utili rege Franci *reges* cognominati sunt Merovingi. Anno Merovei primo, Remigius Remensis nascitur, prenuntiatus ex nomine per Montanum monachum; quo nato idem Montanus, quia cecus erat, de lacte Cilinie, matris ejus, oculos suos liniens illuminatus est. Anno III° Merovei, Theodosius imperator obiit, cui succedens Marcianus imperavit annis sex, cum quo Valentinianus annis V. Anno IV° Merovei, vespere, ab aquilone celum efficitur rubens ut ignis, intermixtis per igneum ruborem clarioribus lignis[1] in hastarum speciem deformatis; luna offuscatur; cometes apparet, et multa alia, que non esse otiosa ostendit instans rerum consequentia. Hujus Merovei tempore reges Francorum celebre nomen habere ceperunt, ita ut Merovingi dicerentur. Ipse enim, anno regni sui V°, vicit Attilam, regem Hunorum, auxilio Etii, patricii Romanorum, et Theoderici, regis Wisigothorum, ut infra patebit capitulo VIII° immediate sequenti.

De crudelitate Attile, regis Hunorum. Cap. VIII.

455. Anno Domini CCCC° LV°, Marciani imperatoris anno II°, et Merovei regis Francorum V°, Attila, Hunorum rex, Walameris, Ostrogothorum regis, et Ardarici, Gepidarum regis, et multarum Aquilonarum gentium sibi subjectarum auxilio fultus, a Pannonia, que nunc Hungaria dicitur, egressus, occidentale imperium invadit cum quingentis armatorum millibus. Et primo per totas Gallias tanta per eos Dei efferbuit indignatio, ut nullam omnino civitatem, castellum vel oppidum aliqua a furore eorum potuerit tutari munitio. Postremo Aurelianam urbem eis obsidentibus, ad subsidium Galliarum advolavit patricius Romanorum Etius, quem sanctus Anianus, tunc Aurelianensis episcopus, ab Arelato evocavit, fultus et ipse Theoderici, Wisigothorum regis, et Merovei, Francorum regis, aliarumque gentium copiis militaribus; consertoque prelio in campis Catalaunicis pugnatum est usque ad diremptionem noctis. Etius quidem superior recessit, Attilam tamen non usque ad internecionem delevit. Cesa sunt ibi centum octoginta millia

[1] Seu *lineus*.

pugnatorum, inter quos etiam cecidit Theodericus rex Wisigothorum. Meroveus autem in partibus illis, quas adamaverat, resedit. Attila resumpta spe ex Etii discessu repatriavit, mature rediturus suppleto exercitu. Thurismodus, filius Theoderici, regnum Wisigothorum suscepit, annisque tribus regnavit. Nychasius, Remensis episcopus, cum Eutropia sorore martirizatur. Auctor, Metensis episcopus, captivatur, sed Hunis cecitate percussis, cum captivis sue urbis relaxatur. Cum idem Attila urbem Trecassinam obsidione superba vallasset, et cives timore compulsi portas civitatis obturando se intra menia recepissent, beatus Lupus, ejusdem urbis episcopus, supra fastigium altioris porte conscendens, Attilam ad colloquium vocat, qui gaudens accurrit, estimans episcopum cum populo spontanee sibi subjici. At episcopus Attilam intuens, quis esset, inquisivit: ille respondit: Ego sum Attila, flagellum Dei. Episcopus respondit: Et ego sum Lupus, dissipator gregis Domini, et dignus flagello Dei. Nunc igitur ingredere civitatem et officii tibi injuncti, quantum Deus permiserit, causam (*curam*) exerce. Tunc episcopo precipiente, porte civitatis sunt reserate: ille autem cum suo exercitu ingrediens neminem, quod mirabile est, vidit, et sic precibus et humilitate beati Lupi civitate liberata, tyrannus inefficax rediit. Sub hac tempestate destructe sunt pene omnes civitates Gallie seu Germanie: Remis scilicet metropolis, Cameracum, Atrebatum, Treveris, Metis, Tungri, Tornacum, Morinum, Colonia, Ambianum, Belvacum, Parisii et alie innumere, circumjacentiaque castella, quorum nomina ob legentium fastidium omissa sunt. Moguntia etiam, quondam nobilis civitas Germanie, Wormatia, Argentoratum, Nemetes, Lugdunum et Narbona destructe sunt. Sanctus Exsuperius meritis suis servavit Tolosam, Servatius Trajectum, Anianus urbem Aurelianam, Brictius, ymmo antecessor ejus memorande humilitatis Martinus, Turonicam civitatem.

Post harum destructionem civitatum Attila, rex Hunorum, jam securus, ad oppressionem Romanorum movit *exercitum* procinctum, primaque congressione Aquileiensem obsedit civitatem, que est metropolis Venetiarum; ibique cum diu multumque obsidens nichil penitus prevaleret, fortissimis intrinsecus Romanorum militibus resistentibus, exercitu jam murmurante et discedere cupiente, Attila deambulans circa muros, dum, utrum solveret castra an adhuc commoraretur, deliberat, animadvertit candidas aves, id est ciconias que in fastigio domorum nidificant, de civitate

fetus suos trahere atque contra morem per rura forinsecus comportare. Et, ut erat sagacissimus inquisitor, presensit, et ad suos, Respicite, inquit, aves futurarum rerum providas, perituram relinquere civitatem, casurasque arces periculo imminente deserere. Non hoc vacuum (*vanum*), non hoc credatur incertum: rebus presciis consuetudinem mutat ventura formido. Quid plura? Animos suorum rursus ad oppugnandam Aquileiam inflammat, qui machinis constructis et omnibus generibus tormentorum adhibitis, nec mora invadunt civitatem, spoliant, dividunt, vastantque crudeliter, ita ut vix ejus vestigia apparentia relinquerent. Et hinc jam audaciores facti et necdum Romanorum sanguine satiati, Mediolanum quoque, Ligurie metropolim et quondam regiam urbem, necnon et Ticinum, que Papia nunc dicitur, equali sorte dejiciunt, vicinaque loca sevientes allidunt, demoliunturque pene totam Ytaliam.

Pullulante inter Gallias Ariana heresi, que dicebat minorem esse Filium Patre, Spiritum vero Sanctum minorem esse Patre et Filio, Dominus errantes corrigit, ostendens plano miraculo Deum in tribus personis unius et equalis esse substantie. Nam in Vasatensi urbe, ab Attile obsidione liberata per divinum auxilium, cum episcopus pro gratiarum actione missam celebraret, respiciens sursum vidit desuper altare quasi de camera templi cadere equaliter tres guttas equalis magnitudinis cristallo clariores, que simul defluentes et in unum conjuncte, quasi unam gemmam pulcherrimam effecerunt. Quam cum in medio crucis auree et gemmate posuissent, alie gemme deciderunt; seorsum vero posita infirmis dabat sanitatem: adorantibus vero ymaginem sancte crucis augebat devotionem, quia piis et mundis clara, impiis et immundis obscura esse videbatur. Undecim millia virginum hoc tempore ab Hunis Colonie cesa sunt. Cum Attila Ytaliam vastaret et incenderet, venit ad eum Leo papa, et non solum salutem sed etiam ut rediret obtinuit. Rex Attila requisitus a suis quare fuisset ei tam placabilis, respondit se non esse papam reveritum, sed senem quendam venerabilem evaginato gladio sibi mortem minantem, nisi ejus in omnibus
455. expleret voluntatem. Attila Wisigothos debellare aggressus, a Thurismodo victus rediit inglorius. Marciano imperatori apparens in sompnis Dominus arcum Attile fractum esse ostendit. Nec id vanum fuit; eadem quippe nocte in nuptiis suis crapulatus, erumpente per apoplexiam sanguine de naribus, in lecto est suffocatus. Harnac, filius ejus, post eum regnat. Hoc tempore Genofeva, virgo Parisiensis, multa sanctitate claret per Gallias.

De regno Hilderici, filii Merovei, et ejus expulsione et regressu.
CAP. IX.

Anno Domini CCCC° LVIII°, Meroveo rege Francorum mortuo, Hilderi- 458.
cus, filius ejus, regnat annis XXVI. Mortuo vero Marciano imperatore, succedens Leo regnat annis XVI. Symeon, qui XL annis inclusus in columpna stetit, mira sanctitate Anthiochie claruit; qui inter cetera monebat, ne quis per Dei nomen aut alicujus sancti, ymmo per nomen Symeonis juraret, promittens impunitatem in se perjuranti se a Deo postulaturum. Hildericum insolenter et luxuriose se agentem Franci regno deturbant, anno regni sui III°. Qui data aurei medietate amico suo Widiomaro, quod esset signum revocationis sue, si aliquando intercederet reconciliatio, apud Basinum regem Thuringorum latuit annis VIII. Franci vero Egidium, ducem Romanorum, regem sibi preficiunt. Apud Tholosam, urbem Gallie, ex ejus medio tota die sanguis largissimo fluxit rivo, quod Gothi pro portento sue perditionis acceperunt. Pictor quidam cum Salvatorem secundum similitudinem Jovis pingere voluisset, aruit manus ejus, quem culpam confessum sanavit Gennadius, episcopus Constantinopolitanus. Heliseus propheta, qui mortuus mortuum suscitavit et multo tempore in Samaria, ubi sepultus est, multis claruerat miraculis, ut preteream cetera, cum demones ibi frementes variarum ferarum vocibus ab invasis fugarentur corporibus, Alexandriam transfertur. Egidius per octo annos Francos cum opprimeret gravius justo, perpendens Widiomarus Francos penitere super ejecto Hilderico, revocat eum clam misso aurei signo, egitque ut ejecto Egidio ille restitueretur in regno. Basina, uxor Basini regis Thuringorum, relicto viro suo, venit ad Hildericum, quam ille uxorem duxit, et ex ea Clodoveum genuit. Remigius Remorum fit episcopus. Anno Hilderici regis XV°, Leone imperatore mortuo, Zenon imperat annis XIX. Hildericus, rex Francorum, post suam restitutionem viriliter agit, et Franci, post Wandalos et Alanos, post Gothos et Hunos, incessunt Gallias, non tamen ut eas habeant direptioni sed ut sibi sint perpetue habitationi. Qui capta Colonia Agrippina, fugato de bello duce Egidio, multos Romanos occidunt, sequentique anno Treverim super Mosellam capiunt et Aurelianam urbem devastant. Egidius, dux Romanorum, in Galliis moritur; Siagrius, filius ejus, substituitur. Hildericus rex Andegavos

incendit, et Paulum, comitem urbis, perimit. Hildericus rex et Audovachrius confederati Alemannos sibi subjugant. Famis tempore in Burgundia senator Ecticius quatuor millia pauperum sustentans celestis promissionis vocem audivit. Zenon imperator Leonem augustum, filium suum, interficere cupiens, pro eo mater ejus alium figura similem obtulit, ipsumque Leonem occulte clericum fecit, qui in clericatu usque ad Justiniani tempora vixit. Per idem tempus corpus Barnabe apostoli et Evangelium Mathei stilo scriptum, ipso revelante, repertum est. Prefuerunt Romane ecclesie Hilarius et Simplicius tempore Hilderici regis.

Sed ut ad tempora regis Pharamundi redeam, floruit ipsius temporibus Antidius, Besontenensis episcopus. De hoc Antidio legitur[1], quod aliquando, tertia feria post Palmas, transiens pontem Duvii fluminis, vidit agmen demonum gesta sua suo principi referentium, et inter eos Ethiopem in manu sandalium preferentem, ad indicium quod Romanum presulem per VII annos impugnatum tandem ad lapsum traxerit. Qui vocans ad se Ethiopem et in virtute Dei et sancte crucis super eum ascendens, eo vectante Romam venit feria quinta, hora celebrandi officii, et demone pro foribus exspectante, pape rem retulit, negantem per sandalium ad penitentiam movit, et missa vice ejus celebrata et parte crismatis a se consecrati assumpta, demone revectante, ad ecclesiam suam rediit sabbato sancto, hora celebrandi officii.

De regno Clodovei, qui rex primus in Francia fuit christianus. Cap. X.

484. Anno Domini CCCC° LXXXIIII°, anno vero Zenonis imperatoris tertio, Hildericus rex Francorum, qui nimis dilatavit Francorum terminum, moritur; et Clodoveus, filius ejus, post eum regnavit annis XXX. Hic duxit uxorem Rothildem[2], filiam Chilperici, regis Burgundionum, quem Gondebaudus, frater ejus, peremerat, uxoremque ejus, matrem scilicet Rothildis, ligato ad collum saxo aquis immerserat. Clodoveus, rex Francorum, anno regni sui quinto, Suessionis Siagrio, duci Romanorum, congreditur. Siagrius Tholosam ad Alaricum fugit, a quo Clodoveo reposcenti remissus, perimitur, et quidquid Galliarum sub jure erat Romanorum, ad jus Francorum transfert Clodoveus. Anno VIII° Clodovei, Zenone imperatore mor-

[1] Apud Sigebertum ad an. 411.

[2] Seu *Clothildem*.

tuo, Anastasius imperat annis XXVII. Clodoveus rex, anno *regni* sui XI°. 495.
Thuringiam sibi subjugat. Anno XII° regnum Francorum usque ad Sequanam dilatat; anno XIII° usque ad Ligerim amplificat; anno XIIII° castrum Meledunum capit. Rothildis regina, dudum christiana, Clodoveum regem a gentilitatis errore revocare conabatur, sed frustra conari videbatur. Que cum filium genuisset, ipsum baptizari voluit, sed rex omnino prohibuit. Illa vero quiescere non valens, tandem vix hoc a rege obtinuit et filium baptizavit: qui dum baptizatus est, subito est defunctus. Cui rex ait : Nunc apparet quod Christus vilis est deus, qui eum, per quem fides ejus poterit sublimari, in vita conservare non potuit. Cui illa : Ymmo in hoc a Deo meo valde me diligi sentio, quia primum fructum ventris mei ipsum recepisse cognosco, qui regnum infinitum, tuo melius, filio meo largitus est. Concepit igitur iterum, et alium filium peperit, quem sicut primum cum multa instantia baptizari fecit, sed ecce subito infirmabatur, ita quod de ejus vita desperabatur; dixitque rex uxori : Vere debilis est deus tuus, qui nullum in suo nomine baptizatum in vita conservare potest; nam si mille genneris et cunctos baptizaveris, omnes similiter peribunt. Sed tamen puer convaluit et sanitatem recepit, ita quod post patrem regnavit.

Sub hoc tempore (495) duo in ecclesia Romana ordinantur episcopi, Symmachus videlicet et Laurentius. Que res grave discidium ecclesie diu usque ad ipsa pertraxit homicidia, donec tandem hanc altercationem compressit Theoderici regis Ytalie, quamvis Ariani, potentia, hoc equitatis judicio opnitente, ut Symmachus papa esset, quia *prior* ordinatus fuerat eique pars maxima faveret. Postmodum, reconciliato Symmacho papa Laurentio, eum alterius civitatis ordinavit episcopum. Post mortem autem Symmachi, cum Romani eundem Laurentium reelegissent in antistitem, acquiescere noluit, sed in ecclesia sua permansit.

Clodoveus rex, anno regni sui XV°, commota gente Francorum, Alemannis bellum intulit; sed adversariorum audacia suorumque strage territus, compulsus fortissimum Deum Christianorum invocavit, mox victoriam obtinuit. Patrata victoria Alemannos sibi subdidit, memorque sponsionis ad baptismum properavit, iter agens regressionis per Tullum oppidum ad comatam Galliam, quod nobilitabat tunc temporis verax fama sancte conversationis beati Vedasti. Quem secum rex assumens pervenit Remis, quo rex a regina et sancto Remigio archiepiscopo interrumpentibus nuntiis

operiebatur, baptizatus est cum multa gente Francorum ad tria fere millia, sumpto celitus crismate, sicut in vita sancti Remigii describitur; inter alia videlicet quod, anno regni ejus XV°, ipse rex a sancto Remigio baptizatur et Ludovicus vocatur. Cumque rex ad fontem baptismatis pervenisset, nec adesset qui afferre crisma debuerat, ecce subito columba celitus delapsa ampullam in rostro cum crismate detulit, de quo beatus Remigius regem in baptismo linivit. Et quidem hec ampulla in ecclesia sancti Remigii Remensis usque in hodiernum diem servatur. et inde reges Francorum inunguntur.

Infra que tempora[1] in civitate Viennensi maximus fuit terremotus, ubi multe ecclesie et domus concusse atque subverse fuerunt. Sed et cervorum atque luporum feritas per portas ingressa, per totam urbem anno integro nichil metuens oberrabat; advenientibus quoque diebus paschalis solempnitatis, sanctus Mamertus, qui in ea urbe erat episcopus, dum missarum sacra in ipsa vigilia celebraret, regale palatium intra murum divino igne succensum est. Pavore omnibus perterritis et ecclesiam egressis, credentibus ne hoc incendio aut urbs tota consumeretur aut disrupta terra dehisceret, sanctus sacerdos prostratus in terram cum lacrimis Domini misericordiam precabatur. Penetravit celos munda oratio episcopi, et mox divinitus ignis exstinctus est. Peractis octo diebus paschalibus, fraterna vocatione quamplurimos convocat Galliarum episcopos, inter quos sanctissimum metropolitanum Remigium, ut eorum tractaret consilio. qualiter iram Domini imminentem mitigaret a populo. Et ut legitur in Remensium gestis pontificum, ubi sanctus Remigius senio pressus, cum corporis premeretur imbecillitate, beatum Vedastum illuc direxit vicarie sollicitudinis cooperarium. Quorum communi consilio decretum est servare jejunium, quod triduo ante ascensionem Domini usque nunc per Galliarum et Hispanorum, Germanorum et Anglorum et aliarum multarum *gentium* ecclesias celebratur. sicque terrorum portenta quieverunt. Ludovicus rex, sic enim in baptismate cognominatus est Clodoveus, Gundebaudo, regi Burgundionum, congressus, Burgundiam redegit sub tributo. Post hoc ipse et Alaricus, rex Gothorum, confederantur, ipse autem Alaricus Ludovico regi insidias molitus fedus violat.

[1] Ad an. 468 apud Sigebertum.

De morte Alarici regis Gothorum. Cap. XI.

Ludovicus rex, perpendens insidias Alarici, exercitum Francorum congregans, Remis ad beatum properavit Remigium, et ipse ipsius orationi se commendans, flasconem vini ab eodem sancto benedictum suscepit: et sic contra Alaricum properavit, qui signis divini auxilii animatus ad bellandum Turones transiens, equum suum sancto Martino misit, quem centum solidis redemptum recipere non potuit; missis aliis centum solidis recepit, credens illum bonum in auxilio, qui tam carus erat in negocio. Insuper accepto victorie presagio a clericis cantantibus *Precinxisti me virtute ad bellum*, Alarico Wisigothorum regi congreditur, eoque perempto, quidquid Galliarum Wisigothi possidebant ad partes Francorum transtulit, et invadens Tholosam, sedem regni Gothorum, usque ad Pyreneos montes regnum Francorum dilatavit. Factum est hoc prelium inter Ludovicum et Alaricum in campo Vogladensi [1], X° miliario a Pictavensi urbe, anno Domini DX°. Fertur etiam muros Engolisme [2] ante faciem ejus corruisse. Regressus autem ad occidentales regni Francorum partes, Regnacharium [3] quemdam, regem Cameraci manentem impureque viventem, qui ex stirpe Clodovei [4] descenderat, quique ab eadem urbe post Wandalorum debachationem Romanos extruderat, bello trucidat. Theodericus rex Ytalie, Ybba comite suo contra Francos misso, XXX milia occidit eorum in vindictam necis Alarici generi sui.

Ludovicus rex ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu et coronam auream cum gemmis et tunicam blatteam accepit, et ex ea die consul Augustus est appellatus. Ipse vero rex misit Rome sancto Petro coronam auream cum gemmis, que regnum appellari solet. Ludovicus rex genuit ex Rothilde regina tres filios, scilicet Lotharium, Clodomerem, Childebertum, et filiam Rothildem; porro ex concubina Theodericum.

Hec acciderunt in diversis locis, temporibus Ludovici:

Apud Carthaginem Africe Olimpus quidam arianus in balneis sanctam Trinitatem blasphemans, tribus igneis jaculis angelo emittente visibiliter est combustus. Constantinopoli, dum Deutherus arianus episcopus Bar-

[1] *Campus Vogladensis* vel *Vogladiensis*, les plaines de Vouillé, à trois lieues de Poitiers.

[2] Apud Sigebertum ad an. 509 legitur : *Encolismæ urbis* (Angoulême).

[3] Alias *Reginaldum*.

[4] Alias *Clodionis criniti*.

bam quamdam baptizaret et male distinguens Trinitatem diceret: *Baptizo te, Barba, in nomine Patris, per Filium in Spiritu Sancto*, aqua disparuit. Quod Barba conspiciens confestim ad ecclesiam catholicam abiit, et juxta morem evangelice fidei baptismum Christi suscepit. Alamundarius rex Saracenorum, ab orthodoxis baptizatus, cum eum vellent eutychiani seducere, refellit eos hac fabulosa inductione, dicens quod litteras acceperit, Michaelem archangelum mortuum esse, illisque respondentibus hoc impossibile esse, cum angeli sint impassibilis nature: quomodo ergo, inquit, secundum vos nudus cruxifixus est Christus, nisi duarum naturarum esset, quandoquidem nec angelus mortuus est? Symmachus patricius rempublicam illustrat, et cum eo gener ejus Boetius, vir consularis, conspicuus in utraque lingua et eruditione omnium liberalium artium, quas pene omnes a greco in latinum transtulit et exposuit. Felix papa, Gelasius, Anastasius, Symmachus, Hormisda, ea tempestate Romane prefuerunt ecclesie. Ludovicus rex Francorum, per omnes Gallias regno dilatato et legitime et pacifice pacato, obiit anno etatis sue XLV°, regni XXX°, porro anno Anastasii imperatoris XXII°, et Parisiis in ecclesia apostolorum, quam ipse construxerat, a filiis suis honorifice sepelitur.

De regno Lotharii primi. Cap. XII.

515. Anno Domini DXIII°, imperii vero Anastasii XXIII°, Lotharius filius Ludovici, compartito regno cum fratribus suis Theoderico, Clodomere et Childeberto, regnat annis L. Sororem ejus Rothildem Amalricus, filius Alarici a Ludovico interfecti, uxorem duxit. Lotharius sedem habuit Remis: Clodomeris Aurelianis, Childebertus Parisiis.

Hiis temporibus sanctus pater noster Benedictus preclaris rutilat virtutibus. Rex Burgundie Sigismundus, qui monasterium Agaunensium construxerat, filium suum Sigericum perimit, malo noverce consilio usus. Qui competenti penitentie se addicens et moribus Agaunensibus se totum devolvens, quod dignus fuerit venia, testantur crebra post mortem ejus per eum facta miracula. Hoc tempore in Alexandria multi utriusque sexus, arrepti a demone, repente quasi canes latrabant. Theodericus rex, frater Lotharii, Clochilaicum, regem Danorum Gallias vastantem, perimit. Anno

III° Lotharii. Anastasius imperator fulmine a Deo percussus periit. Post quem Justinus Senior annis X regnat. Theodericus rex, frater Lotharii regis, ab Armenfrido rege Thuringorum, ad perimendum fratrem illius Baldericum pactione medietatis regni illius invitatus, Baldericum regem perimit. Clodomeris, frater Lotharii regis, et fratres ejus, instinctu Rothildis, matris sue, insurgunt in Sigismundum et Godemarum, filios Gundebaudi regis Burgundionum, ad vindicandam necem avie sue et avi sui Chilperici : in congressu Sigismundus capitur, Godomarus fuga elabitur. Iste Sigismundus Burgundionum rex, filiam Theoderici regis Ytalie, natam ex sorore Theoderici, filii Ludovici, alias Clodovei regis Francorum, in matrimonio accepit, suamque germanam Hundrico Wandalorum regi tradidit, Hermenfredo quoque regi Thuringorum Malgerbam copulavit, et tertiam Alemannorum regi Ulrico tradidit. Theodericus rex, frater Lotharii, cum Theodeberto filio a Remis assumpto, a Suessione fratre Lothario, Thuringiam occupavit: nam post mortem Ludovici a filiis ejus desciverat. Thuringi autem, venientibus Francis, dolos preparant : in campo enim quo certamen agi debebat, fossas effodiunt, quarum ora operta denso cespite planum assimilant campum. In hiis ergo cum pugnare cepissent, multi corruerunt, et post cognitum dolum hunc observare ceperunt. Denique, cum se Thuringi cedi vehementer viderent, fugato Hermenfredo rege ipsorum, terga vertunt et ad Onestrudem fluvium usque pervenerunt. Itaque tanta strages ex Thuringis facta est, ut alveus fluminis a cadaverum congerie repleretur, et Franci tamquam per pontem aliquem super eos in littus ulterius transirent. Patrata ergo victoria, regionem illam capescunt, et in suam redigunt potestatem. Captivatam inter alios Radegundem, filiam Berthárii regis, olim a fratre Hermenfredo perempti, Lotharius rex suo sociavit matrimonio. Clodomeris rex interfecit sanctum Sigismundum, ab eo, ut supra diximus, captum, virum justum et bonum, cum uxore et filiis. Posthec Clodomeris ab Aurelianis exercitum movens, cum fratre suo Lothario, qui Suessionis residebat, Burgundias super Gundemarum, fratrem Sigismundi, irruunt. Burgundiones armatis congrediuntur, quos apud Viennam Clodomeris incaute subsecutus est, inter quos cum velocissimo equo perveniens, ex adversa parte percussus corruit et mortuus est : Franci cum duce Lothario victoriam obtinuerunt. Posthec Lotharius rex cum fratre Childeberto Augustudunum, Burgundie

urbem, obsidens cunctam, fugato Godemaro, Burgundiam occupat. Theodericus rex Gothorum Ravenne Johannem papam sanctissimum ad se accersiens in custodiam retrusit, ubi et obiit. Post cujus obitum, justo Dei judicio, nonagesimo octavo die rex interiit et mortuus est. Quo etiam tempore Boetius, vir litterarum studiis clarissimus, senatusconsultum atque plebiscitum prudentissime amministrans, ab eodem Theoderico ariano gladio exstinctus est, *sub* consulatu Olibrii solius. Rothildis regina nepotes suos, filios Clodomeris interfecti, acceptos nutrit Parisiis, permanens in sua viduitate, elemosinis et orationibus dans operam. Anno sequenti Lotharius rursum et Childebertus frater ejus Burgundias petunt, predis et incendiis devastant. Lotharius et Childebertus, consurgentes contra Theodebertum, regnum ejus auferre voluerunt post mortem Theoderici patris ejus; sed ille datis muneribus a gentibus suis [1] defensatus est et in regnum stabilitus. Cernens Childebertus quod ei prevalere non posset, legationem ad eum misit, dicens : « Filios non habeo, te tamquam filium habere desidero. » Quo veniente tantis eum muneribus ditavit, ut ab omnibus miraretur.

Interea, dum Rothildis regina Parisiis moraretur, nepotesque suos, filios Clodomeris, nutriret, ut eos regno sublimaret, Childebertus, habito cum Lothario fratre suo consilio, dolose ad reginam miserunt dicentes : « Mitte nobis nepotes nostros, ut per nos intromittantur in regnum. » Que gavisa, dolum eorum ignorans, pueros misit, quos acceptos cultris in ascellis eorum infixis necaverunt, equis ascensis recesserunt, regnum Clodomeris inter se diviserunt. Regina compositis feretro puerorum corpusculis, Parisiis in ecclesia sancti Petri tumulavit.

Hoc tempore amantissimus pater monachorum et dux Benedictus a Benevento Maurum, electum discipulum, virum sanctitate vite honestum, Cenomannis cum quibusdam fratribus et sanctorum pignoribus direxit. Qui auctoritate regis Theodeberti freti cenobium construxerunt in honorem beati Petri apostoli, ubi et ipse beatus Maurus requiescit, quodque usque hodie facultatibus ditatum honorifice permilitat in laudem omnipotentis Dei. Childebertus posthec et ejus *nepos* Theodebertus commoventes exercitum, contra Lotharium ire disponunt. Ille autem hec audiens et estimans se horum exercitum non sustinere [2], in silvam confugit, totam suam spem in

[1] Seu *leudibus suis*.

[2] Suppl. *posse*.

Deum transfundens. Sed et Rothildis regina hec audiens beati Martini sepulcrum adiit. et in orationem prostrata totam noctem pervigilem duxit. orans ne inter filios suos civile bellum consurgeret. Nec potuit latere Lotharius, sed quesitus et repertus in silva, obsidetur et inter eos tractatur, ut sequenti die moriatur. Consilium tamen illorum frustratur. volente Jesu Deo salvare innocentem et protegere. Fit mane, quo illum decreverant interimere, et ecce orta tempestas tentoria dissipavit. res diripuit. cuncta subvertit, illosque turbavit: miscentur fulgura tonitruis creberrimis. et lapidosa grando celitus inclementer super eos ruit. Illi nimio tremore et instantissima corruentes tempestate in faciem sternuntur, nec minus a lapidibus decidentibus gravissime verberantur: maximus illis timor ne consumantur celesti incendio. Videres quoque de equitibus eorum. qui poterant. irrevocabilem amplecti fugam, ita ut vix in vicesimo stadio possent reperiri post parvissimam diei horam. Tandem reatum fraterni sanguinis se amisisse cognoscentes et coacti confitentes, votis Deum suppliciter adorantes et penitentiam promittentes, ad Lotharium nuncios celeres mittunt. et pacem petunt. Lotharius autem nullo tonitruorum rugitu. nullo grandinis verbere et strepitu vel aliquo tempestatis motu concutiebatur. sed elementi serenitate fovebatur. Concessa igitur utrimque pace ad propria congreditur quisque. Sic gesta. nullus ambigat. precibus regine et sancti Martini virtute.

Lotharius et Childebertus fratres, obsessa in Hispaniis Cesaraugusta, civibus Deum orantibus et circumlata Vincentii martiris tunica. accepta ab eis pro munere ipsius martiris stola. redeunt acquisita Hispanie parte maxima. Construxerunt autem ecclesiam in suburbio urbis Parisiace in honore beati Vincentii martiris, que nunc sancti Germani dicitur. ubi et predictam martiris stolam posuerunt. Rothildis regina moritur. et Parisiis juxta virum suum sepelitur. Theodebertus rex moritur, cui Theodebaldus filius ejus succedit. Quo post modicum tempus mortuo, regni ejus heres fit cognatus ejus Lotharius. Lotharius rex Francorum rebellantes contra se Saxones et auxiliantes eis Thuringos. gravi pugna et excidio perdomuit. Obiit sanctus Medardus Noviomensis episcopus, et Lotharius rex honorifice sepultum ecclesiam super eum fabricat. Childebertus rex moritur et in ecclesia sancti Vincentii Parisiis, quam edificaverat. sepelitur. Porro monarchia totius regni Francorum cedit fratri *ejus* Lothario. Radegundis regina. uxor quondam Lotharii regis. mutata veste. claret sanctitatis nobilitate.

Lotharius rex duxit uxorem Clodomeris fratris sui interfecti, qui etiam septem habuit filios de diversis mulieribus. De Jugunde : Guntharium, Childericum, Carabertum, Guntrannum, Sigebertum, et Closcindam filiam: de Aregunde Jugundis sorore : Chilpericum: et Cramnum de Chinsina. Guntrannus et Cramnus vivente patre obierunt.

De bello Lotharii contra Cramnum filium suum. Cap. XIII.

Cramnus preterea, Lotharii regis filius, contra patrem insurgens, fretus auxilio Conobri Britannorum comitis, rapinis atque incendiis regnum patris devastabat. Adversus quem pater, velut alter David egressus, bellum instituit : quibus confligentibus comes Britannorum terga vertit, et armis insequentium corruit. Cramnus, comprehensus, in tugurio positus, flammis exuritur. Tempore Justini imperatoris et Lotharii regis Francorum, floruit beatus Benedictus, sed nec de vita ejus nec de morte ejus ratio procedit, secundum cyclum Dyonisii. Anno Lotharii XIII°, Justinianus imperat annis X. Hoc tempore constat Theophilum extitisse, qui Christum abnegando ejusque genitricem, hominium dyabolo fecit. Sed quia hec historia notissima est, eam hic supersedi scribere. Cometes apparuit die sancto Pasche : celum ardere visum est, verus sanguis ex nube defluxit in vestimentis hominum; domus cujusdam ab intus sanguine respersa apparuit, et secute varie clades et male valetudines cum pustulis et vesicis plures afflixerunt. Arboris, que dicitur sambucus, flores, grana et fructus, in flores, grana et fructus vitis transformantur. Hoc tempore in Oriente puer quidem, judeorum filius, cum a coevis suis christianorum filiis ad hoc adductus fuisset, ut in ecclesiam beate Marie corpus et sanguinem Christi participaret, propter hoc a patre suo dejectus in ignem fornacis ardentis, illesus inde a christianis extractus est, asserens quod mulier, que in illa ecclesia puerum tenens depicta erat, pallio suo flammas ignis a se eventilasset. Hyems eo tempore nive et glacie ita exasperatur, ut volucres et fere manu capi possent.

Judeus quidam, imaginem Jesu Christi Salvatoris de ecclesia furtim deponens, eam telo transfixit, et eam clam ad domum suam deferens, cum eam flammis vellet exurere, se sanguine cruentatum imaginis videns, pre stupore

eam abscondit: quam christiani requirentes et vestigia sanguinis invenientes, eam sanguinolentam recipiunt, judeum vero lapidaverunt. In Gallia mons juxta Rodanum fluvium multis diebus dans mugitum, tandem ab alio monte sibi vicino discissus, cum ecclesiis et domibus et hominibus et bestiis in Rodanum precipitatus est. Prefuerunt tempore Lotharii regis Romane ecclesie pontifices Johannes, Felix, Bonifacius, Johannes, Agapitus, Silverius, Virgilius Pelagiusque. Floruerunt etiam eo tempore Germanus Parisiensis et Gregorius Turonensis, episcopi.

De regno Chilperici et fratrum ejus. Cap. XIV.

Anno Domini DLXIII°, Justiniani imperatoris anno XXXVII°, Lotharius 563.
rex Francorum moritur et in ecclesia sancti Medardi Suessionis sepelitur. Cui successit Chilpericus filius ejus, cum tribus fratribus suis Cariberto, Guntranno et Sigeberto: Chilperici sedes fuit Suessionis, que fuerat Lotharii; Charibertus Parisiis, que fuerat Childeberti; Guntranni Aurelianis, que fuerat Clodomeris; Sigiberti Remis, que fuerat Theoderici. Anno I° Chilperici regis, Justiniano imperatore mortuo, Justinus minor imperat annis XII. Sigebertus rex Hunos, partes Francorum depopulantes, in Thuringia bello devincit. Chilpericus frater ejus interim terminos ejus incursat et Remos urbem occupat. Haste ignee in celo vise sunt protendentes irruptionem Longobardorum. Sigebertus rex desertas Saxonum terras pervadit, easque Suevis ad habitandum tradit. Hanc autem mali novitatem nova in celo signa multo ante tempore portenderant. Sigebertus rex fratri suo Chilperico repugnat, et Suessionem, sedem regni ejus, occupat. Theodebertum filium ejus ibi captum exiliat, ipsum Chilpericum prelio victum fugat et terminos suos ab ejus insolentia liberat. Ipse uxorem ducit Brunam filiam Athanagildi, regis Visigothorum, que et Brunechildis dicta est. Justinus imperator, vir in omni avaritia deditus, contemptor pauperum senatorumque spoliator, cui tanta fuit cupiditas, ut archas juberet fieri ferreas, in quibus auri talenta congereret, in pelagiana heresi lapsus et amens effectus, regno ejectus est. Caribertus rex, primi Lotharii filius, finem vivendi dedit. Guntramnus frater ejus regnum recepit, sedem scilicet Parisiis, unde grave scandalum adversus eum a fratribus excrevit. Chilpericus autem rex cum ex Audoveta tres

filios genuisset, Theodebertum, Meroveum et Clodoveum, in Ytaliam nuncios direxit, et sororem Brunechildis, quam Sigebertus frater ejus acceperat, petiit: cum multis thesauris ab Athanagildo patre rege promeruit et eam in conjugium suscepit. Hec Gasindis [1] vocabatur, que primo quidem honore suscepta, post pre amore aliarum odio habita, ut suspicio fuit, ex consensu regis in lecto suffocata reperta est. Qua defuncta Audovetam recepit, quam gravidam relinquens, cum Sigeberto fratre adversum Saxones hostiliter

Dolus Fredegundis. abiit. Interea regina filiam peperit, ex qua eandem Fredegundis, regis cubicularia et occulta concubina, decepit ita: Cum pullulasset fama in Francia reges regressuros cum victoria, ait Fredegundis domine sue: « Ecce, dominus noster victor regreditur, jube filiam tuam baptizari, ut gratiosius tibi et illi rex congaudeat. » Parato ergo baptisterio, presenteque episcopo qui sacro ministerio puellam immerserat, defuit matrina, que eam de fonte deberet suscipere. Mox Fredegundis ait regine: « Suscipe filiam tuam a fonte, quoniam magis tibi, quam alicui nostrorum proxima est. » Que ignara ejus doli a fonte suscepit. Advenienti igitur regi ivit obviam deceptrix dicens: « Deo gratias, domine rex, quia devictis adversariis sospes regrederis: sed cum qua dominus meus rex dormiat eligat, quia domina mea ex filia baptizata commater tua effecta est. » Regi aulam suam introeunti regina occurrit cum puella, ad quam ait rex: « Illicitam rem egisti per simplicitatem, jam uxor mea esse non poteris. » Qua derelicta, Fredegundem duxit uxorem, elegantem et male callidam. Audoveta vero regina cum filia sua velamine velata usque ad finem vite sue permansit. Ex Fredegunde Chilpericus rex tres filios genuit, quibus defunctis quartum genuit, nomine Lotharium, qui fuit pater incliti et famosissimi regis Dagoberti. Chilpericus rex descriptiones novas, per consilium Fredegundis uxoris sue, in omni regno suo fecit, ita ut unusquisque possessor de propria terra de uno aripenne unam amphoram vini ad partem regis daret, et de jugere modium unum: unde populus valde oppressus vociferabatur ad Dominum. Immisit autem Dominus plagam in domum regis, et ipse cepit egrotare, et duo filii ejus mortui sunt. Rex perterritus descriptiones combussit et tributum remisit. Post hec cognovit uxorem suam, que peperit filium, quem appellavit Lotharium. Hic fuit postea magnus rex et pater famosissimi regis Dagoberti, ut prescriptum est. Posthec

[1] Seu *Garsindis.*

Sigebertus rex cum Hunis pugnans, ludificatus arte demonis, et eis minime prevalens, muneribus ab eis acceptis, recesserunt perpetuo confederati. Interim Sigebertus rex Arelatum, que erat fratris sui Guntranni, cepit. Sed Guntrannus, per Celsum patricium contra eum dimicans, quam plurimos de exercitu ejus in Rodanum submersit; cum dedecore in patriam sunt regressi. Chilpericus rex Clodoveum filium suum cum exercitu dirigit, ut civitates Sigeberti diriperet; sed Sigebertus, Guntranno fratre sibi associato, illum ad patrem cum dedecore fugere compulerunt. Chilpericus ira commotus, dum frater ejus Sigebertus circa Renum esset, per Theodebertum filium suum majorem, civitates ejus rursum pervadit. Quo audito, Sigebertus mature repatriavit, cum Guntranno fratre fedus iniit: super Chilpericum ire disponunt. Sentiens hoc Chilpericus castra movit, usque ad Avalonem accessit. Quem insecuti, acies belli preparant: sed timens Chilpericus, ne colliso utroque regnum eorum corrueret, pacem petiit: civitates, quas injuste invaserat, reddidit.

Sequenti anno Chilpericus pacis inimicus, quem Gregorius Turonensis vocat alium nostri temporis Neronem, cum Guntranno fratre suo pacem iniit, usque Remis accessit, cuncta que potuit ferro et igne vastavit, deinde rursum Theodebertum filium suum Turonis cum exercitu direxit. Sigebertus, cis Renum, optimam gentium collectam copiam, *eorumque* Godesilum et Guntrannum duces, post Theodebertum filium Chilperici misit: quem insequentes gravi bello devictum occisum in campo relinquunt. Sigebertus autem insecutus fratrem Chilpericum a Francia extrudit, *et* Parisios cum valida manu intravit. Chilpericus fugiens Tornacum venit, ibique se munivit. Parisienses Franci, qui quondam fuerant Childeberti regis, fratris primi Lotharii, relicto Chilperico, Sigebertum ad villam cui nomen est Victoriacus, ab Attrebato quatuor distans miliariis, invitant, super clipeum levant et eum regem sibi statuunt. Verum post recedente exercitu gaudium in merorem versum est: nam duo juvenes quasi legatione fungentes regem appropiant, eumque cultris a Fredegunde regina uxore Chilperici, qui in Tornaco erant inclusi, veneno infectis, in lateribus feriunt. Dies enim jam in noctem vertebatur; at ille vociferans corruit et emisit spiritum. Sepultus est in ecclesiola parva in Lambris, qui est viculus juxta Duacum; et postmodum translatus est inde et sepultus in ecclesia sancti Medardi Suessionis, juxta Lotharium patrem suum. Chilpericus autem, Tornacensibus gratias

agens, quidquid erat sibi juris in civitate, sancte Dei genitrici Marie con-
578. donavit. Eodem anno vir clarissime sanctitatis, Germanus Parisiorum episcopus migravit ad Dominum.

Igitur interempto rege Sigeberto Gundevaldus dux Hildebertum filium ipsius furtim a Brunechilde matre ipsius abstulit, collectoque patris exercitu Remis regem constituit die natalis Domini. Chilpericus Parisios venit, Brunechildem exilio subegit, post quod filium suum Meroveum cum exercitu Pictavis direxit. Qui patris jussum immutans, Turonis accessit et paschales dies inibi solempniter egit, et regresso calle Rodomum venit, uxorem patrui sui Brunechildem sibi in matrimonio sociavit. Quod nephas pater audiens, animo amaro illo velocissime adveniens, filium secum Suessionas adduxit, et post paululum tonsuratum ut clericum presbiterum ordinari fecit, Cenomannis transmisit. Inde patrem effugiens, post multa peracta mala, interficitur.

Anno Chilperici regis XV°. Justino Juniore, ut diximus, ab imperio dejecto, Tyberius regnat annis sex, vir strenuus atque sapiens elymosinarum largitor. Hic die quadam per pavimentum deambulans palatii sui, in marmorea tabula crucem dominicam vidit sculptam et ait : « Cruce dominica frontem armamus, faciem signamus, pectora munimus, et eam pedibus conculcamus. » Jussit illico tabulam sublevari : qua sublata reperitur secunda habens idem signum : jussit et hanc elevari, reperitur et tertia habens majus signum aliarum duarum in pario lapide incisum. Qua ejecta, reperitur thesaurus super centenos auri mille solidos. Idem imperator cum egrotare cepisset et vivere desperaret, vocavit Sophiam augustam dicens : « Impletum sentio tempus vite mee, nunc tuo consilio tractandum est, qui reipublice presit. » At illa, Mauricius, ait, strenuus et sagax est, qui sepe contra inimicos reipublice dimicans victoriam obtinuit. Hoc enim dicebat, ut eo obeunte hujus conjugio necteretur. Jussit ergo Tyberius filiam suam ornamentis regalibus ornari, vocatoque Mauricio ait : « Sit tibi imperium meum cum hac puella concessum. » Sicque frustrata est Sophia augusta sua estimatione, et celebratis nuptiis Tyberius in amentiam versus, vita decessit.

Anno Chilperici regis XIX°, imperavit Mauricius Grecus annis XXI. Duo filii Guntranni regis subito morbo moriuntur. Sequenti anno Sanson et Clodobertus, filii Chilperici regis, moriuntur. Clodoveus filius ejusdem, cum solus superesset, dolo Fredegundis noverce sue occiditur. Guntrannus rex

cum Hildeberto nepote suo, filio Sigeberti. pactum iniit, civitates et castella. que illi violenter tulerat. reddidit. Quod comperiens Chilpericus. timens ne super se irrueret. nuntios per civitates sue partis, ut se observarent. direxit: ipse cum omnibus. quos melius amabat, infra muros Cameraci se reclusit. Nati sunt Hildeberto duo filii. Theodebertus scilicet et Theodericus. Eodem tempore natus est Chilperico regi ex Fredegunde filius. Eodem tempore Fredegundis regina Chilpericum virum suum. quem adulteraverat. propter adulterium quo timebat se deprehendi, inter se et Landricum comitem. cum de venatione vespere reversus de equo descenderet. insidianter interfecerunt, cum regnasset XXIII annis. Sepultus est autem in ecclesia sancti Germani Parisiis. O mala femina. o mala conjux. o perniciosa meretrix. que de ancilla domina effecta talia per proditionem perpetrasti! Sigebertum regem veneno aliorum manibus interemisti: deinde Clodoveum, filium viri tui. occidisti: deinde ipsum dominum tuum manibus Landrici comitis. amasii tui, impie jugulasti. De te illa veridica Salomonis sententia dicta est : « Per tria movetur terra et quartum non potest sustinere : per servum cum regnaverit: per stultum cum saturatus fuerit cibo, et per mulierem odiosam cum in matrimonio fuerit assumpta. et per ancillam cum heres fuerit domine sue. »

Lupi Burdegalam urbem ingressi. neminem metuentes. devoraverunt omnes. Anthiocia divinitus evertitur hoc modo : Quidam civis illius. adeo elemosinis et hospitalitati deditus. ut nunquam sine paupere aut hospite commederet. cum uno die usque ad vesperam urbem circuisset. ut pauperem vel hospitem inveniret, vidit virum seniorem in veste alba cum duobus sociis stantem in medio civitatis. et invitans eum ad hospicium. hoc responsum accepit ab eo : « Non poteras. o homo Dei, cum vestro sermone hanc urbem salvare, ne subverteretur. » Ex hoc dicto sudarium. quod in manu tenebat. excussit super unam medietatem urbis. statimque ipsa medietas cum habitaculis et habitatoribus subversa et. Et volens adhuc excutere sudarium super aliam medietatem urbis, vix ab illis duobus sociis suis multa prece flexus est. ut parceret residue urbis medietati. Sicque virum, qui hoc aspiciebat. attonitum consolatus ex salvatione sue domus discessit, et ultra non comparuit.

Guntrannus Francorum rex. quadam die in venando fessus. dum in gremio armigeri sui dormiret juxta rivum aque. vidit armiger ejus de ore regis parvum animal exire. cui volenti rivum transire nec valenti.

armiger gladio trans rivum posito viam ei eundi et redeundi paravit. Quo iterum in os ejus intrante, rex expergefactus et stupefactus dixit se per sompnium per pontem ferreum transiisse, et sub monte quodam thesauros multos vidisse. Ubi, cum perrexisset, secundum fidem sompnii thesauros magnos invenit, eosque acceptos sancte ecclesie usibus delegavit.

Guntrannus rex uxore et filiis destitutus, anno regni sui XXV°, nepotem suum Hildebertum, filium Sigeberti fratris sui, ad se accersitum coram frequentia populi heredem regni sui illum constituit. Ipso tempore lues inguinaria valde populum intercepit, et a Marsilia usque ad Lugdunum hoc morbo pene tota periclitabatur Gallia. Unde mestus rex Guntrannus jussit omnem populum ad ecclesiam convenire et rogationes triduo in pane et aqua et vigiliis celebrare, sicque Christi miseratione plaga quievit. Celebre et vulgatum est, quod contigit. Mulier quedam, cujus filius quartana vexabatur typo, fimbriam regis Guntranni clam abscidit, eamque aquis immersam filio bibendam dedit, moxque convaluit. Fredegundis regina, anno filii sui quarto, Guntrannum regem, ut filium suum de sacro fonte susciperet, invitavit. Qui misit episcopos Ethericum Lugdunensem et Syagrium Augustudunensem et Flavium Cabilonensem, et puerum baptizaverunt, cui imponens nomen Guntrannus rex ait : « Lotharius vocetur, hujusque nominis sit executor sicut avus ejus, cujus nomen adeptus est. » Votiva oratio regis effectum obtinuit in propagine regalis successionis, cum ad nostra usque tempora ex hujus Lotharii filia, scilicet Blitilde, regum novorum processerit prosapia.

Eo tempore Annulgi imperatoris Persarum uxor, nomine Cesara, virum clam fugiens cum quatuor pueris totidemque puellis, ad Johannem episcopum regie urbis proveniens, baptizari expetiit. Que baptizata, ab Augusta Mauricii imperatoris uxore de sacro fonte suscepta est. Hec dum quereretur multis locis, a legatis regis Persarum Constantinopoli reperta est. Legati protinus ad Mauricium veniunt dicentes : « Redde nobis dominam nostram, uxorem regis Persarum. » Imperator miratus est dicens nihil se scire de uxore illius. Tunc imperatrix Augusta ait : « Elegans mulier quedam baptismi gratia huc accessit, dicens se unam e populo; videte ne ipsa forsitan sit quam queritis. » Qua visa ad pedes ejus corruunt, dicentes imperatrici : « Ipsa est domina nostra. » Dicit ei Augusta : « Da illis responsum. » At illa : « Vivit Dominus, cujus fonte renata sum, quia canibus non loquar; vivunt enim non

ut homines sed ut canes. Et nisi conversos et christianos videro, responsum non reddam.» Qui libenti animo gratiam baptismi, favente Augusta, perceperunt; sicque Cesara dixit ad illos: « Si viro meo cure sum, permittat se in fide Christi initiari et baptizari, non enim aliter ad ipsum revertar. « Quod audiens imperator Persarum, legatos Mauricio imperatori cum multis muneribus misit, mandans ut sanctum Johannem, regie urbis pontificem, Anthiociam dirigeret, quia ipso tradente baptismum Christi suscipere vellet. Tunc Mauricius episcopum direxit et apparatum infinitissimum Anthiocie fieri jussit. Inibi Gregorius, ejusdem urbis episcopus, atque Johannes Constantinopolitanus, cum aliis episcopis et presbyteris, infra spatium duarum hebdomadarum, LX milia Persarum cum rege baptizaverunt. Ecce non solum vir infidelis per mulierem salvatus fidelem, sed multa et inenarrabilis multitudo utriusque sexus ad Christum confluxit! Nec passa est prudens sibi et aliis utilis Cesara regina baptizatos viros jungi paganis mulieribus; suasit viro, ut peteret Mauricium imperatorem episcopos et clericos divine legis, quos secum in Persidem duceret, ut non baptizatos mundarent et fidem eis Christi predicarent. Quod et factum est.

Anno imperii regis Guntranni XXX°, tunica Domini nostri Jesu Christi, que ei a militibus in passione sublata est, profitente Symone judeo, duabus hebdomadibus multis cruciatibus affecto, in civitate Zaphad, non procul ab Jherosolimis, reperta est integra in archa marmorea. Quam Gregorius Anthiocenus et Thomas Jherosolimorum necnon Johannes Constantinopolitanus episcopi, cum multis aliis episcopis, clero cum populo triduanum celebrante jejunium, cum archa, levi onere, pedestri gradu Jherosolimam detulerunt, eamque in loco, ubi crux Domini adoratur, posuerunt.

Ipso anno sol a mane usque ad meridiem ita minoratus est, ut vix ejus tertia pars appareret, forte obitum regis Guntranni bonitate pleni designans. Nam anno sequenti, V° kalendas aprilis, migravit, sepultusque est in ecclesia sancti Marcelli, quam ipse miro opere exornatam construxerat. Post quem Hildebertus nepos ejus regnum recepit, et is post quartum imperii annum obiit. Filii ejus regnum diviserunt: Theodebertus adeptus est Austrasiorum regnum, sedem habens Metensem urbem: Theodericus Burgundiam, regnum Guntranni, sedem habens Aurelianis. Lotharius mox instigante matre Parisiis veniens, more barbarico regnum Theoderici invadere disposuit, adversus quem idem Theodericus cum fratre Theode-

berto hostiliter veniens castra in loco, cui nomen est Latifisco, statuunt. Quibus ex adverso Lotharius superveniens, diluculo exercitum eorum graviter trucidavit: fratres exinde fugere compulit. Anno sequenti Fredegundis regina obiit, et Parisiis in ecclesia sancti Germani juxta virum suum Chilpericum, quem interfecerat, sepelitur. Clades glandolaria ipso tempore Burgundie populum nimium gravabat. Brunechildis ab Austrasiis de regno Theodeberti ejecta, ad Theodericum nepotem suum confugium fecit. Hic aviam suam libenter excipiens, gloriose honoravit. Iterum globi ignei, per celum quasi currentes instar hastarum, ad occidentem visi sunt, signantes presagia futuri belli. Nam Theodebertus cum Theoderico fratre exercitum copiosum moventes, super Lotharii regnum irruunt; contra quos Lotharius exire non timuit, sed confligente exercitu super fluvium Aroanna, pars Lotharii gravissime cesa, et ipse exinde Parisios cum paucis aufugit. Multi inibi nobiles capti, pluriores occisi, castra etiam vel oppida, circa ripam Sequane sita, rupta atque depopulata sunt. Lotharius Parisiis inclusus, coactus per pactionis vinculum firmavit, ut inter Ligerim et Sequanam usque ad mare Oceanum et Brittannorum limitem Theodericus reciperet: ducatum omnem inter Sequanam et Ysaram Theodebertus haberet: hec occidentalis pars, ab Ysara et Summa fluviis usque ad mare, Lothario relicta
607. Posthec Theodericus cum fratre Theodeberto exercitum rursus moventes, Wasconiam sue ditioni redigunt et tributarios [1] faciunt. Tempore Chilperici regis, quem supra memoravimus occisum, prefuerunt Romani pontifices Johannes, Benedictus et Pelagius. Eodem etiam tempore obiit sanctus Vedastus, et sanctus Amandus est natus. Nunc igitur a nobis exponenda est vita et mors regine Brunechildis.

De Brunechilde regina. Cap. XV.

570. Anno Domini D LXX°, anno vero Chilperici regis Francorum V°, Sigebertus frater ejus uxorem duxit Brumam, filiam Athanagildi regis Wisigothorum, que et Brunechildis dicta. Genuit autem ex Sigeberto rege Hildebertum regem: Hildebertus autem genuit Theodebertum et Theodericum. Vixit autem cum viro suo X annis, post mortem autem ejus regnavit cum filio suo Hildeberto, et post mortem Hildeberti cum filiis ejus Theo-

[1] Suppl. *Wascones.*

deberto et Theoderico annis XL. Que propter insolentiam morum adeo intolerabilis erat Francis, ut merito crederetur sibillam de ea vaticinatam esse : *Veniet autem Bruma de partibus Hispanie, ante cujus conspectum gentes vel gentium reges peribunt, ipsa vero calcibus equorum disrupta peribit.* Hanc rex Chilpericus, post necem Sigeberti viri sui, Rodomis cum filiis exiliavit, ubi eam Meroveus, filius ejusdem Chilperici, illicito sibi matrimonio copulavit, ipsa tamen consentiente. Pro hoc illicito matrimonio eundem Meroveum pater suus interfecit. Post mortem autem Hildeberti filii sui, ad Theodebertum nepotem suum confugium fecit. Inde pro meretriciis ejecta, ad Theodericum fratrem Theodeberti in Burgundiam venit, ubi Theodericus factione Brunechildis Desiderium Viennensem episcopum, virum sanctum, in exilium direxit. Postea Theodericus rex, pessimo ipsius avie sue deceptus consilio, eundem sanctum episcopum ab exilio revocatum lapidari jussit, ad cujus sepulchrum Deus omnipotens mira operatur magnalia. Predicta Brunechildis, memor prioris injurie, quod a rege Theodeberto pro meretriciis ejecta fuerat, inter duos fratres Theodebertum et Theodericum, et Lotharium nepotem eorum, bellum indissolubile consurgere facit. In primis Lotharius et Theodericus prelio inter se colliduntur, in quo plus quam XXX milia cesa referuntur, Theodericus tamen victoria potitur. In hoc prelio angelus Domini evaginatum gladium super populum tenens visus est. Rursus consilio Brunechildis Theodericus super fratrem suum Theodebertum exercitum ducit, Theodebertus autem non impar exercitui obvius venit, Prothadium, principem militie regis Theoderici, interfecit : Theodericus, Theodeberto persequente, victus aufugit. Theodericus cum Lothario nepote suo, congregato copioso exercitu, non post multum temporis Theodeberto congreditur. Quem fugientem usque ad Coloniam Agrippinam persequuntur; ibi Theodebertus cum thesauris suis capitur, filius ejus occiditur, ipse rex in clericum tonsuratur, et non post multos dies jussu fratris sui perimitur. Brunechildis regina, timens ne rex Theodericus uxorem legitimam duceret, ipsa in palatio vilior esset, a legalibus nuptiis pravo suo consilio regem subtraxit. Quod beatus Columbanus non sustinens regem coarguit. Ipse autem rex ex concubinis quatuor habebat filios. Timens autem Brunechildis, ut dictum est, ne rex uxorem legitimam duceret hortatu beati Columbani, ipsum sanctum a Burgundia expellens in Ytaliam ire compulit, ubi beatus Columbanus famosum cenobium Bobiense edificans,

in ipso requiescit. Non post multum temporis idem Theodericus contra Lotharium nepotem suum movens procinctum, hausto veneno, a Brunechilde avia sua sibi preparato, profluvio ventris moritur, et mox unusquisque redit in sua. Brunechildis cum filiis Theoderici quatuor, Sigeberto, Hildeberto, Chorbo et Meroveo, qui ex concubinis nati fuerant, Metis adveniens, Sigebertum in regno patris instituere nitebatur. Lotharius consensu quorundam procerum parcens Theoderici defuncti filiis, Austriam ingreditur. Tunc jussu regine Sigebertus Theoderici filius, cum valido sed infido exercitu, in campis Catalaunicis, ubi quondam Ecius Romanus patricius cum Attila, Hunorum rege pessimo, bellum gesserat, pervenit, Lotharium non impari manu operientem excepit. Cumque super fluvium Coxoma certamen arripi deberet, exercitus Sigeberti ultro terga vertit, sic in propria quisque loca regressus est. Sigbertus exercitu destitutus, campis palans, Burgundiam ingreditur. Lotharius hostiliter usque Sequanam fluvium ingreditur; capiuntur inibi filii tres Theoderici defuncti, Sigebertus, Chorbo et Meroveus, qui mox exilio directi in Neustriam usque ad diem mortis exules duxerunt tempora.

De morte probrosa Brunechildis regine, equis detracte. Cap. XVI.

Posthec Lotharius rex Brunechildem reginam, que propinquos suos Theodebertum et Theodericum, filios videlicet Childeberti consobrini sui, peremerat, et plures alios de semine regio extinxerat, quasi jungeretur ei in conjugium, convocavit; que leta effecta, sicut ei jussum fuerat, venit compta preciosis ornamentis quasi ad nuptias. Quam judicio Francorum uno pede et brachio mulctatam jussit camelo imponi et per circuitum castrorum circumduci, et postea ad equos indomitos ligatam disrumpi. Sic obitu nephando, ut fuerat merita, ad inferos descendit. Cujus etiam ossa in igne posita et consumpta nusquam comparuerunt. Hic est finis Brunechildis, que regnavit in Francia L annis: cum viro suo Sigeberto annis decem; cum Childeberto filio, Theodeberto et Theoderico nepotibus suis, et Lothario annis XL. Que quamvis fuisset insolens, tamen Dei ecclesias honorabat, plura etiam cenobia sanctorum fundavit et edificia admirandi operis construxit, unde mirandum est tot et tanta mala ab ea fieri potuisse. Defunctis

igitur hoc mundo Theodeberto, Theoderico et Brunechilde, predictus Lotharius, filius scilicet Chilperici et Fredegundis, totius Gallie solus primatum obtinuit, sicut obtinuerat avus ejus primus Lotharius.

De regno Lotharii secundi, dicti Magni. Cap. XVII.

Anno Domini D°LXXXVI°, Mauricii imperatoris anno quarto, regnavit 586.
Lotharius secundus, filius Chilperici, in Francia XLIIII annis: primo quidem cum nepotibus suis regnat annis XXX, postea solus annis XIIII. Hoc tempore Arabum sive Saracenorum princeps erat Mahomet, qui pseudopropheta ex orphano et inope per heresis sue prestigia ad regnum provectus est. Hic de progenie Ismaelis ortus, cum esset pauper et orphanus, ad quandam cognatam suam perdivitem, nomine Cadigam, primo ut mercenarius, deinde ut sponsus se conjungens, per eam ditatus est. Que cum egre ferret illum epileptico morbo vexari, ille dicebat hoc non esse morbum, sed visionem archangeli Gabrielis se interim videre, et quia ejus aspectum ferre non posset, mente defecta cadere. Hic communicabat christianis et judeis, ex eorum scripturis suam pseudoprophetiam in aliquibus confirmans. Hic dicebat, quod hii qui inimicum occidunt vel qui ab inimico occiduntur, paradisum ingrediuntur: affirmabat quod habitantes paradisum carnalis cibi ac potus essent refecti, ibique esse fluvium vini, lactis ac mellis, et mixturam feminarum, non presentium sed aliarum multo tempore futurarum, et affluentem voluptatem et multa hujusmodi. Hic est Mahomet, cui adhuc gentiles cultum deitatis exhibent. Hic in regno Saracenorum quatuor pretores statuit qui amirei vocabantur, ipse vero ammiras dicebatur vel prothosimbolus.

Anno imperii Lotharii regis XXX°, Beretrudis regina obiit, ex qua idem Lotharius Dagobertum et sororem ejus Blichildem genuerat, ex qua Karlensium regni pullulavit prosapia. *Karlensium prosapiae origo.* Pipinus, filius Karlomanni principis Brabantie et Hasbanie, major domus regis Lotharii principabatur. Pipino in disponenda republica cooperabatur sanctus Arnulphus, filius Arnoldi, filii Ausberti ex Blichilde, filia Lotharii regis. Lotharius rex filium suum Dagobertum in regno ascitum Pipino et Arnulpho committit ad Austrasiis regnandum, contra quem Saxones commoto exercitu fortiter pugnaverunt, sed Deo donante pater suus Lotharius ei subve-

nit, et trans Renum bellum cum ipsis Saxonibus iniit. In quo bello Berthoaldum ducem illorum peremit, pro eo quod Dagobertus filius ejus sauciatus fuerat in prelio superiori, omnemque regionem eorum ita subjugavit, ut non remaneret in ea belligerans vir quantitatem spate ejus supereminens: tanta tunc regum animositas fuit. Tempore horum, Lotharii scilicet et dulcissimi filii ejus Dagoberti, regnum Francorum valde elevatum est, necnon et sancta ecclesia per sacerdotes et ecclesiasticos viros sublimata refulsit, in tantum ut Romanus pontifex mittens in Galliam rogaret, ut sibi transmitterentur viri fortes in fide et sapientes in eloquio, qui contra hereticos cum eo disputare possent. Dagobertus iram patris sui Lotharii regis veritus, quia consiliarium ejus cesum et detonsum dehonestaverat, Parisios ad ecclesiam sancti Dyonisii confugit, et quia nullo modo extrahi potuit, inde locum illum semper cordi habuit. Lotharius aliam duxit uxorem nomine Sichildem, de qua filium habuit Haribertum nomine. Mauricius imperator se cum suis a Foca interficiendum divinitus predixit, et malorum penitens ea sibi retaliari per se et servos Dei instanter exposcit. Anno XX° Mauricii imperatoris, et XIX° Lotharii regis Francorum, Mauricius ipse interfectus cum filiis suis, Theodosio, Tyberio atque Constantino, a Foca, qui fuit strator Prisci patricii, occiditur. Sequenti anno beatus papa Gregorius migravit ad Dominum. Hac etate Eleutherius patricius, eunuchus, dum imperii jura conaretur arripere, a militibus peremptus est, caputque ejus Constantinopolim delatum est. Focas, extincto Mauricio ejusque filiis, per octo annorum curricula principatus est.

Pipinus. Supradictus Pipinus, filius Karolomanni Brabantie et Hasbanie principis, qui principale dominium suum tenuit apud Landen in Brabantia, quare cognominatur Pipinus de Landen, quique fuit primus dux Austrie inferioris, que postea dicta est Lotharingia, dehinc etiam Brabantia, atque major domus temporibus regum Lotharii, Dagoberti et Sigeberti, duxit uxorem sanctam Ydubergam, filiam Godini comitis Aquitanie, fondatricem monasterii Nyvellensis, sancti Modoaldi, Treverensis archiepiscopi, et sancte Severe, abbatisse ibidem, sororem, ex clarissima nobilitate Aquitanie oriundam, que ipsi duci Pipino peperit Grimoaldum ducem, etiam majorem domus Sigeberti regis, et sanctam Beggam, que nupsit Ansigiso duci, filio sancti Arnulphi Metensis episcopi, que fratri suo in predicto ducatu Austrie successit. Genuit etiam ipse Pipinus ex eadem Yduberga

sanctam Ghertrudem, que predia portionis patrimonii sui contulit monasterio suo Nyvellensi. Erat ipse Pipinus tamquam major domus in Austrasiorum regno, et posteri sui jure hereditario gladium regni portantes et super omnes principes ipsum regnum gubernando principantes : unde adhuc Lotharingie archiduci, tamquam hujus dignitatis heredi, adjudicatur gladius totius regni. Hic Pipinus obiit anno DC° XLVII° et rexit annis XXX, aliqui dicunt XXXII : et fuit primo sepultus apud Landen, ubi diu quievit, et postea corpus ejus translatum est in ecclesiam Nyvellensem. In cujus translatione dum feretrum deferebatur de Landen ad Nyvellam, candele ceree accense in itinere non extinguebantur.

Versus de Pipino de Landen primo duce :

Iste Brabantinus princeps dux Austrasiorum
Primus erat, majorque domus, regni gladiator.

Ea, que sequuntur, inveni scripta in legenda sive gestis sancte Ghertrudis, tam in ejusdem sancte Ghertrudis Landenensis quam Nyvellensis ecclesiis, inter cetera in hec verba :

Notissimum quidem est ac celebri fama pervulgatum, patrem sanctissime Deoque dilecte virginis Gertrudis Pipinum extitisse, sed preter nomen cetera vite gestorumque ejus cunctis pene historias ignorantibus manent incognita; de quo quidem pauca in gestis Francorum sparsim inventa colligentes, stilo continuam facere narrationem curavimus, quam ideirco voluimus in propositi operis exordio premittere, ut, si quis nobilissime virginis genus nosse cupiat, et de ipsius hac vita familiaris esse, non aliunde petat.

Fuit igitur Pipinus Karlomanni principis Brabantie et Hasbanie filius, dux et major domus sub Lothario, Dagoberto et Sigeberto potentissimis regibus, qua dignitate, modicum differente a sublimitate regia, preditus omnia prudentissima dispositione ordinabat, prestabatque tam in bello fortitudinem quam justiciam in pace. Erat erga regem fidei servantissimus, erga populum vero tenacissimus equitatis, et in disceptanda utrorumque causa firmissimo animi judicio persistens; nec munera populi ad subvertendum jus regni respiciebat, nec gratiam regis ad obruendam populi justitiam attendebat; sed quia regem Deum supra hominem preferebat, cujus mandato injunctum noverat, multum potentes honorare, personam pau-

peris in judicio attendere, tam ergo que plebis erant plebi defendebat, et que Cesaris Cesari restituebat, studebat ad lineam divine justicie omnes judiciorum suorum sententias dirigere. Que res tum totius plebis testimonio, ut post docebimus, tum vero vel maxime hic arguitur, quod beatum Arnulphum Metensem episcopum, quem in timore ac dilectione Dei noverat excrevisse, omnium consiliorum suorum vel negociorum socium assumebat: si quid litterarum ignorancia ipse minus cerneret, ille, quasi fidelissimus divine voluntatis interpres, certissime enunciaret, qui et sanctarum scripturarum sciencia erat eruditus, et ante pontificatum hanc eandem dignitatem irreprehensibiliter administraverat. Hoc adjutore fretus, regem ipsum equitatis freno cohibebat, si quando, neglecto jure, potestate regia abuti voluisset. Defuncto quoque predicto viro, beatum Cunibertum Coloniensem antistitem, pari sanctitatis fama illustrem, curabat in hac negociorum administratione participem adhibere. Perpendere potes, quo equitatis ardore accensus fuerat, qui tam circumspectos custodes tamque incorruptos arbitros consiliis suis delegerit: quia enim a pravitate aversus, rectis et honestis studiis attentissimus extitit, semper usus est in exercicio sancti operis sanctorum virorum consiliis.

Primum ergo hic egregius princeps, sub Lothario rege patre Dagoberti major domus, precipuam potestatem summumque venerationis locum apud ipsum obtinuit. Qui cum proposuisset filium suum Dagobertum in amplissimi regni parte regem ordinare, sed infirmis annis et immaturis sensibus parum fideret, huic talem virum pre cunctis principibus dignum credidit, quem tenere etatis rectorem ac regie administrationis provisorem statueret. Commisit ergo adolescentem in manu ejus, fretusque consiliis et industria prudentissimi monitoris, eum ad regnandum in Austriam, que nunc Lotharingia dicitur, direxit. Susceptum itaque juvenem studuit Pipinus quam optimis moribus adornare, timorem Dei et amorem justicie inculcare, docens quod scriptum est: « Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus firmabitur in eternum. » Ejus ergo providentia Dagobertus non solum hanc partem prospicere administravit, sed totum patris regnum, quod latissimum erat, post decessum ejus obtinuit, cum tam frater ejus Haribertus quam plerique principes summo studio contraniti vellent, ac potestatem regiam in se quique inflectere certarent: sed cito oppressa est factio illorum sanis consiliis prudentissimi ducis. Dagobertus ergo brevi

confirmatus est in regno. libertate, justicia. mansuetudine. aliisque artibus. quibus regere decebat. cunctos sibi arctissimo amore devixit. ac boni monitoris industria eo celebritatis splendore enituit. ut cunctis ante se regibus nobiliore fama precelleret. omnesque eum immensis laudibus predicarent. Sed hanc regiam viam. hanc virtutis lineam tenuit, quamdiu sanam doctrinam sapientissimi preceptoris sustinuit. et non ad sua desideria coacervavit sibi magistros. felix si secundum viri sapientis monitum de mille pacificis suis hunc elegisset consiliarium. Sed demum Salomonis exemplo depravatum est ad tempus cor ejus per mulieres, utique solet in magna rerum copia ac soluta libertate prona esse in consensu peccati natura mortalium. ob divitiarum affluenciam ac secundum rerum successum. a bono honestoque in pravum abstractus. salutaribus monitis aurem obclusit : cepit ergo tam avaricia quam libidine estuare. rebus ecclesiarum novos thesauros implere. et preter concubinas. quarum multiplex erat numerus contra jus canonum et regium decus. trium reginarum incestis abuti amplexibus. Quo dolore Pipinus eum liberrimo ore increpabat. exprobrans quod maxime Dei beneficiis ingratus existeret. Sed ille obscenis libidinibus potius quam sanis monitis obtemperans. malebat more frenetici medicum quolibet modo extinguere quam a pravitatis sue furore resipiscere. Ad quod scelus non parum incitabatur perversis suggestionibus perversorum hominum. virtuti Pipini maliciose invidentium. Sed Pipinus. in modum sancti animalis. habentis oculos ante et retro. undique est conspectus: prudenter agebat in cunctis. Verumptamen. ut ipsis verbis historie Francorum utar : « Amor justicie et timor Dei. quem diligenter amplexatus fuerat. ipsum liberavit a malis. » Nec mirum si depravante tanta rerum gloria rex. minus adhuc in via perfectus. ab ejus magisterio in devium fornicationis et homicidii cupiditatem incidit. cum ipse David. qui electus secundum cor Dei fuerat. quique prophetas sanctos eruditores habebat. mox. ut pressure pondere caruit. eo lascivientis animi levitate raptus est. ut in illicitos amplexus aliene conjugis primo rueret. post ad obruendam infamiam perpetrati flagicii devotum militem extinguens. adulterium homicidio cumularet. Sed benignus Deus. qui David a commisso scelere per penitenciam purgavit. hunc quoque ab effusione justi sanguinis desperata oportunitate innoxium servavit. Nam videns Dagobertus eum minime insidiis potuisse capi. simul etiam saniore consilio reputans dignitatis sue statum labefactari. si virum nobilem.

potentem, fide ac justicia popularibus acceptum perimeret, paulatim animum ejus reflexit : cepit egregium ducem magis revereri.

Denique conceptam maliciam ita in pacem et gratiam commutavit, ut filium suum Sigebertum absque suspicione illi commendans in Austriam, que modo Lotharingia dicitur, ad regendum mitteret, expertus in seipso fidem ejus et efficacem industriam, qua prospere hanc ipsam regni partem adhuc patre suo superstite administraverat, eoque defuncto ad totius regni obtentum, revictis omnibus adversariis, pervenerat. Transfusa est ergo per ejusdem rectoris prudentissimum consilium eadem prosperitas in filium, ita ut Sigeberto regnante, sed proprio regente et accommodante operam suam, deinceps Austrasii terminos suos contra barbaros strenue defenderent, quorum creberrimis insultibus eatenus impugnari solebant, sed et mortuo postmodum Dagoberto, omne regnum Francorum ad Sigebertum transtulisset, nisi prius, facta descriptione totius regni, pater cum Sigeberto pactum firmasset, ut ipse Austria contentus juniori fratri Clodoveo Franciam permitteret. In hujus vero Clodovei potestate matrisque ejus Mathildis regine, copiosissimi thesauri Dagoberti regis indivisi relicti fuerant. Eorum ergo divisionem Pipinus cum Cuniberto episcopo expostulans ex arbitrio suo obtinuit, justamque partem receptam Sigeberto regi Methis deportari fecit. Sed eodem anno expleto egregius dux et verissimus pater patrie rebus humanis excessit, cujus mors tanto dolore totam Austriam percutit, ut planctui ejus planctus regum nequaquam referri possit : fuit namque probatissime vite et purissime fame, sapiencie domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis, munimentum patrie, curie decus, via ducum et disciplina regum. Qui profecto si exemplo beati Job suas laudes predicare voluisset, ex persona sapientie, que eum uberrime repleverat, verissime et absque jactancie vicio dicere potuisset : « Per me reges regnant, et conditores legum justa decernunt. »

Sed ne videar de vita beatissimi ducis novum accumulare figmentum, non ab re erit, si in testimoniun sanctitatis ejus eadem verba que in gestis Francorum diversis locis inserta sunt, hic in unum collecta sub oculis posuero. Sunt ergo in hunc modum sese habentia : Usque ad id tempus, ab inicio quo regnare ceperat Dagobertus, consilio beatissimi Arnulphi Metensis urbis pontificis et Pipini majoris domus usus, tanta prosperitate regali regimen in Austria regebat, ut a cunctis gentibus immensam laudem

haberet. *Et paulo infra :* Post decessum beati Arnulphi adhuc consilio Pipini majoris domus et Cuniberti pontificis Colonie urbis utens, et ab ipsis fortiter ammonitus, tante prosperitatis et justicie amorem complexus, universas sibi subditas gentes sic regebat, ut nullus de Francorum regibus precedentibus sua laude fuisset precellentior. *Ipse post narrationem de tribus reginis et concubinis Dagoberti :* Hec cernens Pipinus, cum esset cautior cunctis et consiliosus valde, plenissimus fide et ab omnibus dilectus pro justicie amore, qua Dagobertum instruxerat, dum suo usus fuerat consilio; sibi tamen nequaquam oblitus justiciam, neque recedens a via bonitatis, cum ad Dagobertum accederet, prudenter agebat in cunctis. et tamen se in omnibus ostendebat zelus Austrasiorum versus eundem, vehementer suggerebat, ut ipsum etiam conarentur Dagoberto facere odiosum, ut potius interficeretur. Sed justicie amor et Dei timor, quem diligenter amplexatus fuerat, liberavit eum a malis. *Et aliquanto infra :* Dagobertus Metis urbem veniens, cum consilio procerum et pontificum, Sigebertum filium suum in Austrie regnum sublimavit, et Cuniberto pontifici [1] et Adalgiso duci et Pipino majori domus regnum gubernandum constituit, quorum studio deinceps Austrasii limitem et regnum Francorum contra Windas utiliter defensasse noscuntur. *Item post pauca :* Cum Pipinus major domus post Dagoberti obitum et ceteri duces Austrasiorum cum Sigeberto unanimem conspirationem expetissent, Pipinus cum Cuniberto, sicut et prius amicicie cultu in invicem collocati fuerant et nuper, sicut et prius, amiciciam perpetuo se firmiter conservaturos obligaverant, omnesque leudes Austrasiorum secum uterque prudenter et cum dulcedine attrahentes benigne gubernabant. *Ac deinceps :* Cunibertus pontifex ac Pipinus major domus a Sigeberto directi villam Compendium usque perveniunt, ibique thesaurus Dagoberti jubente Mathilde et Clodoveo presentatur et equa lance dividitur. Cunibertus et Pipinus partem Sigeberti faciunt perduci, et Sigeberto presentatur et describitur. *Ultimum vero laudabilis rite et honestissime preconium eadem historia hiis verbis concludit :* Post

[1] Haec adduntur in MS. Nota. Sanctus Cunibertus, septimus Coloniensis antistes, filius Crallonis, ducis Lotharingie, sedit annis XL, temporibus Eraclii imperatoris et ejus filii Constantini, sub Francorum rege Dagoberto et ejus filio Sigeberto, principante Pipino majore domus, duce Austrie inferioris, que postea dicta est Lotharingia, dehinc etiam Brabantia. Hic sanctus Cunibertus Susatensem civitatem acquisivit, et eam ecclesie sancti Petri Coloniensis dedit.

anni circulum Pipinus moritur, nec parvum dolorem ejusdem transitus cunctis generavit in Austria, et quod ab ipsis pro justicie cultu et bonitate ejusdem dilectus fuisset, quis plura testimonia industrie ac bonitatis potencieque ipsius desideret? Quia ergo hoc de vita preclarissimi ducis Pipini retulimus, pauca etiam de uxore ac liberis et nepotibus retraxamus.

Itta, uxor Pipini. Uxor igitur ejus venerabilis Icta, alias Yduberga, ex clarissima nobilitate Aquitanie oriunda, sicut ex possessionum ejus traditione ad ecclesiam nostram sancti Petri Nyvellensis, que nunc sancte Ghertrudis dicitur, facta indubitanter cognoscimus : quas quidem per multa tempora, quamdiu pax viguit, dicta ecclesia nostra tenuit, multamque inde pecuniam per annos singulos exactores nostri referre solebant; sed demum, ingravescente bellorum tumultu, quia res longe remote erant et sine legatorum periculo adiri non poterant, paulatim negligi cepit, donec tandem in jus alienum cessit. De hac igitur sancta muliere satis quidem erit dicere quomodo post obitum pii consortis vixerit, ut ex eo, quod sancte egit in libertate sua, notum sit quam religiose se habuerit sub mariti disciplina : viduataque sancta Icta, alias Yduberga, pii conjugis consorcio, statuit non ultra alium amatorem admittere, qui eam a prioris sponsi affectu abstraheret, et in novos mores vel amores traheret, elegit sancte continentie propositum, ut que primam illam virginee integritatis palmam assequi non poterat, proximum saltem virginitati ac pene conjunctum viduitatis meritum obtineret. Sed caute considerans tam sancte deliberationis votum hiis modis impugnare solere, vel quia mulier naturali in se concupiscentia victa virum appetere cogitur, vel quia ipsa intus libera, foris tamen a concupiscente viro in amplexus allicitur, utriusque, tam intime quam extime, temptationem occasionis voluit a se amputare; illam afflictionem carnis impositione sacri velaminis, illam tamen interioris concupiscentie flammam dudum conservatam lacrimarum affluencia funditus restrinxerat. Sed procerum temptamenta majorem curam de castitatis sollicitudine ingerebant. Nam aliqui eam propter morum dignitatem, aliqui propter generis excellentiam, nonnulli vero ob multiplices prediorum possessiones et numerosam familiam petebant. Sed mulier sancta soluta a viro ex consilio apostoli nolebat ultra alligari : que quidem sic virum habuerat tamquam non haberet, et sic usa fuerat hoc mundo tamquam non uteretur. Dum igitur contra hec assidua et munda intentione cogitaret, contigit beatum

antistitem Amandum, tam a Deo quam ab hominibus amari dignum, ad domum ejus consolandi gratia divertere. Hic eximie sanctitatis antistes ex nobilibus Aquitanie oriundus fuit. Qui dum orationis studio Romam adiisset, beati Petri principis apostolorum visione jussus est in Galliam transire, et inculta adhuc Gallorum corda celestis predicationis semine fecundare. Mox huic jussioni humiliter obtemperans, commigravit in hanc viciniam, atque ita injunctum sibi predicandi officium fideliter ac devote exercuit, ut audita hujus sancti studii fama ad aulam invitatus, jussu Dagoberti regis Trajectensis ecclesie ordinaretur episcopus. Hunc itaque sanctum virum ad se introeuntem beata Ieta vel Yduberga letissime suscepit: jam etiam in vita mariti assueverat hospitio recipere, sanctorum pedes lavare, consolationem patientibus subministrare, ceteraque exercere opera pietatis, sanctis viduis ab apostolo injuncta. Huic itaque pio consolatori sanctum animi propositum aperuit, et de manu ejus sacrum velum in signum caste viduitatis ac devote continentie accipere postulavit. At ille, sublatis manibus ad celum oculos attollens, benedixit Domino, qui ancille sue tam sanctum desiderium injecisset, quique eum in eo, quod hortari venerat, prevenisset : « Gratias, inquit, ago Domino nostro Jhesu Christo, qui respectu amoris sui gloriam mundi hujus in oculis tuis despectam fecit, et evulso effectu carnalis concupiscentie dilectionis sue radicem in corde tuo fixit. Age, mulier sancta, quod divina inspiratione cepisti; transiit denique tempus complexandi, subiit tempus longe fieri ab amplexibus, preterit enim figura hujus mundi. Quocirca sanissimo consilio delegisti, o mulier sancta, Christi conjugium petere et sine sollicitudine esse. Namque, teste apostolo, mulier innupta cogitat, que Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu: que autem nupta est, cogitat, que mundi sunt, quomodo placeat viro, quod ita esse non magis credis, quia ab apostolo audiisti, quam quia in temetipsa id experimento didicisti. Perfice ergo, beata vidua, quod animo concepisti, et misericordia Dei, que aspirando prevenit, ut continentiam vovere velis, ipso adjuvante subsequatur, ut votum hoc integrum conservare possis. »

Hac viri Dei exhortatione venerabilis Yduberga confirmatiorem animum erga Deum et propensius votum assumens, non solum se divine servituti mancipavit, sed largiore benevolentia omnia, que habere potuit, Domino devovit. Primum itaque consecratione adhibita in ecclesiam mutavit pro-

prie domus fastigia, eamque tam dotavit prediis quam diversi generis decoravit ornamentis. Deinde inter missarum solempnia de manu reverendi pontificis sacrum velum in religionis habitum suscepit, seseque redigens in numerum sanctimonialium, quas ibidem ad serviendum Deo de suo ordinavit, nobilissime cervici nobilius jugum dominice servitutis imposuit. Vere admirabilis et immensis laudibus dignissima predicari hec femina, que tantam mundi gloriam, qua regum uxores equabat, tam forti animo abjecit, ut hiis se consortem faceret, quarum famulatum in priori statu pro dignitatis magnitudine designare potuisset! Taliter ergo illis, qui eam sibi matrimonio jungi concupierant, spem omnem nuptiarum abstulit. Sed quas persecutiones ab illis ob sancte professionis votum pertulit, quia illas communiter sustinuit cum filia sua beatissima Ghertrude, tunc commodius explicabo, cum ad vitam gloriose virginis describendam divine potestatis ductu venero.

In hoc ergo sanctitatis habitu, quamdiu vixit, Deo servire non destitit: erat autem spe longanimis, caritate dilatata, fide sublimis, humilitate submissa, in jejuniis ac vigiliis longissimam habens perseverantiam, in assidua psalmorum meditatione ac jugi affluentia lacrimarum habens semper pre oculis sanctissimam Annam (a qua in Novo Testamento vidualis continentie cepit origo), que vidua usque ad annos octoginta non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens Deo die ac nocte. Sic et ipsa mortificationem Jhesu in corpore suo circumferebat, summo studio apostolicum illud devitans obprobrium : « Vidua, que in deliciis est, vivens mortua est. » In largitione eleëmosinarum et peregrinorum susceptione non alium modum tenebat, nisi ut tanti pauperes rebus ejus participarent, quanti et illarum participes esse potuissent; quippe que omnia sua Deo devoverat, nichil in hiis suum potius quam omnium *existimans*. Tanta erat virtutum perfectio, ut sorores, que ab annis puerilibus illius angelice conversationis exercitium ceperant, vitam ejus attentis animis considerarent, et inde unum sibi sanctitatis exemplar sumerent. Hanc ergo beate actionis semitam annis XII post obitum pii conjugis indefesso gradu cucurrit, quibus transactis, excurso stadio hujus vite, pervenit ad bravium felicitatis eterne, migransque LX° sue etatis anno, apud Dominum recepit debitum sancte viduitatis sexagesimum fructum. Sepulta est ergo Nyvelle in basilica beati Petri apostoli, religiosa devotione fidelium defleta, ut vera ac pia ma-

ter, a fratribus et sororibus, viduis et orphanis, cecis et claudis, omnique genere pauperum et debilium. Hec de vita venerabilis Pipini et beate uxoris ejus Ydulberge diximus; nunc divina prosequente clementia ad liberos eorum et nepotes transitum faciamus.

Horum itaque liberi extitere Grimoaldus et Begga et virgo Ghertrudis, electissima regis angelorum sponsa. Grimoaldus sese cum sancto Cuniberto episcopo in amicitia fortiter strinxit. Cumque esset vir strenuus, et instar patris diligeretur a plurimis, factus est major domus in palatio Sigeberti, et omne regnum Austrasiorum in manu ejus confirmatum est vehementer. Cujus dignitatem cum Otto, emulus ejus, superbia tumidus, ceca ambitione preripere et in se transferre conaretur, in gratia ipsius a Leutherio Alemannorum duce interfectus est. Aliud quoque judicium tam potentie sue inter homines quam et devotionis apud Deum exhibuit in eo, quod cum rege Sigeberto communiter jussit, ut in Dei cultum edificarentur duo illa preclara monasteria Stabulense et Malmundariense, que administratione sua edificata et exornata omni pulchritudine, peracta dedicationis et missarum celebratione, tradidit idem major domus Grimoaldus in manu pontificis Remacli, ut monasticam vitam illic institueret. Hanc occasionem effugiendi tumultum secularium rerum solique Deo vacandi vir sanctus arripiens, substituto pro se in cura episcopali beato Theodardo, postmodum martyre, ad hec loca secessit, et continentioris vite discipline ac promotioris virtutis exercitio sese devovit; cujus doctrinis et exemplis dum Grimoaldus sancte conversationis studium cotidianis incrementis proficere cerneret, annuente Sigeberto, ex circumjacentibus terris, cultis vel incultis, XII leucas in longum totidemque in latum ei tradidit, in usum fratrum ibidem Deo famulantium, et traditionem hanc testamento ac regii sigilli impressione signavit. Grimoaldus occisus fuit, et in Joppilia prope Harstallium quiescit.

Grimoaldus.

De Ansigiso marito, et de Pipino filio beate Begge, necnon de Karolo Martello bellicoso duce, de Karlomanno et Pipino rege fratribus, de Karolo Magno imperatore, de Ludovico Pio filio ejus, et de tribus filiis Ludovici, Lothario, Ludovico et Karolo Calvo, infra tractabitur. Et quia in subsequentibus latius de gestis eorum tractatur, idcirco id scribere distuli, prout in prescripto libro gesta ipsorum sunt inserta.

Bonefacius papa apud Focam imperatorem obtinuit, ut ecclesia Romana

caput esset omnium ecclesiarum, quia ecclesia Constantinopolitana scribebat se esse primam omnium ecclesiarum. Impetravit etiam ab eodem Foca Pantheon. et vertit illud in ecclesiam beate Marie et omnium martyrum. et in kalendis novembris ibi instituit solempnitatem omnium sanctorum. Contra hunc Focam, XIX° anno Lotharii regis. Eraclius, qui Africam regebat, rebellavit, eumque regno privavit, remque publicam Eraclius ejusdem filius regendam suscepit. Hoc tempore sanctus Amandus Elnonensis per Gallias miraculorum et predicationis gratia clarescebat. Temporibus Eraclii imperatoris, qui Focam predecessorem suum igne cremaverat. Perse Romanum imperium minuunt, Jherusalem duce Cosdroa vastant, thesauris spoliant. crucem dominicam asportant; Eraclio autem imperatore cum filio Cosdroa pugnante super pontem lapideum civitatis Adenne. cum victoria ab ipso Eraclio Jherosolimis est relata. Qui Eraclius ad Persas debellandos proficiscens, virilem Dei figuram in manibus accipiens, quam manus non depinxerunt. sed in yconia verbi, quod omnia format atque componit sine pictura, formam, velut sine semine partum. educit. Persidiam aggreditur. eamque per sex continuos annos potenter depopulatur, et pretorem Persarum omnesque pene principes peremit, et Persidiam pervagans miranda Persarum palatia combussit et dejecit. Lotharius rex tributum XII millium solidorum. quod Longobardi Francis solverant. relaxat Longobardis sibi perpetuo confederatis. In Gallia quidam cedens ligna in silvis adeo a muscis infestatus est, ut per biennium amens fieret. Deinde se exhibebat sub religionis habitu pseudoprophetam, deinde magum, deinde etiam, sanitates super infirmos faciens, Christum se esse dicebat et pro Christo se adorari faciebat. Nolentes se adorare, cum populo, qui ei multus adherebat, impetebat; et postea a quodam fideli occisus est, et ita sequaces ejus dispersi sunt. In Nilo. Egypti flumine. visa sunt animalia humane forme. vir scilicet et mulier, usque ad lumbos super aquam natantes. qui per Deum ab omnibus adjurati, de mane usque ad nonam se videndos prebuerunt.

Virtus et nomen sancti Johannis Baptiste miraculis declaratur apud urbem Gallie Mauriennam. de reliquiis corporis ipsius divinitus illustratam. In ea olim mulier, sancto Johanni Baptiste nimis devota, expetebat a Deo donari sibi aliquid de membris ejus, et in hac orandi instantia per triennium persistens, cum alter quivis posset desperare. ipsa spem in Deo

ponens, juravit se non manducaturam, donec, quod petebat, acciperet. Et sic septem diebus jejunans, septima tandem die desuper altare nimii candoris pollicem apparere videns, leta donum Dei accepit: ad quod adorandum tres episcopi venientes, cum de hoc sancto pignore partem elici vellent, tres sanguinis guttas ex eo in lintheo stillare supposito stupuerunt, et singuli singulas se meruisse letati sunt. Tempore hujus Lotharii regis, nata est beata matrona nostra Rictrudis in Wasconia, ex agili pugnacique Gothorum gente, patre Arnoldo nobili viro, matre Licia.

Eodem tempore monasterium nostrum Marchianense a beato Amando, postea Trajectensi episcopo, in possessione ejusdem beate matris nostre fundatum est. Tempore Lotharii regis, prefuerunt hii pontifices sancte Romane ecclesie : sanctus papa Gregorius, cujus anno VIII° ejus industria Angli ad fidem sunt conversi, et post eum Fabianus, Bonefacius, alter Bonefacius, iterum Bonefacius et Honorius. Hoc tempore floruerunt sancti viri Furseus, Foillanus et Ultanus fratres, Gaugericus Cameracensis, Austrigisilus Bituricensis, et sub eo Sulpitius, Cunibertus Coloniensis, Johannes Tongrensis, Ysidorus Hispalensis. Lotharius, anno regni XLIII°, porro vite sue XLV°, quatuor mensibus adjectis, moritur, et in suburbio Parisiensi in ecclesia beati Vincentii martyris, que nunc Germani dicitur, sepelitur.

De regno Dagoberti et Hairberti fratris ejus. CAP. XVIII.

Anno Domini DC° XXX°, anno Eraclii imperatoris XIX°, Dagobertus 630.
filius Lotharii regnat in Francia annis XVII. Jherusalem a Persis capta est anno XIII° ante regnum Dagoberti. Dagobertus rex, audita morte patris sui, in Austria, ubi regnabat, universis principibus, quibus imperabat, promovere jubet exercitum: cumque Remos pervenisset, omnes pontifices et duces Burgundie et Neustrie inibi se noscuntur illi tradidisse. Hairbertus vero frater ejus nitebatur, si posset, regnum patris sui assumere, sed voluntas ejus nullum sortita est effectum. Brunulphus autem, frater Sichildis regine et avunculus ejusdem Hairberti, volens eum in regnum stabilire, multa adversus Dagobertum machinabatur. Quapropter multis transactis diebus, a ducibus Dagoberti, jussu ejusdem regis, apud Ablatonam interfectus est. Cumque totum regnum a Dagoberto fuisset occupatum, sapienti usus con-

silio, pagum Tolosanum et Caturiacum, Agennensem et Petragoricum et Sanctonicum, et usque ad Pireneos montes, Hairberto fratri suo concessit, eo tenore ut nullo tempore adversus eum de regno patris presumeret repetere. Inde vero Parisios rediens Gomatrudem reginam, quam patris sui Lotharii consilio conjugem acceperat, eo quod esset sterilis, Francorum monitu reliquit, et quandam speciosissimi decoris et generis puellam, nomine Namthildem, in matrimonio accipiens reginam sublimavit. Deinde, cum regio cultu Austriam circumiret, mestusque esset nimium, eo quod filium, qui post eum regnaret, minime haberet, quandam puellam nomine Ragnetrudem stratui suo ascivit. De qua eodem anno, multis precibus et eleëmosinarum largitionibus, Deo donante filium habuit, quem Hairbertus frater suus Aurelianis de sacro fonte suscepit. Dum autem illum beatus Amandus, posthec Trajectensis episcopus, benediceret, cathecumenumque faceret, finitaque oratione cum nemo responderet : Amen, aperuit os pueri Dominus, cunctisque audientibus respondit : Amen. Qui ex aqua et Spiritu Sancto regeneratus, ab Hairberto regis fratre de fonte susceptus est, et Sigeberti nomen accepit. Hairberto vero rege et filio ejus parvulo defuncto, Dagobertus rex omne regnum ejus protinus sub ditione sua redegit. Dagobertus, collecto exercitu Francorum et Ostrowendorum, conjunctis sibi Saxonibus, qui tunc temporis tributarii erant, Slavos et Avares, quos dicimus Hungros, domuit et tributarios sibi fecit. Fuit vero idem rex eleëmosinarum profluus largitor, justitie amator, et nisi vulnere ceci ignis illectus succubuisset, cunctos pene antecessores suos excessisset. Anno Dagoberti VIII°, Eraclius imperator vita decessit. Eracleonas, filius Eraclii major natu, cum matre Martina duobus annis imperat. Constantinus filius Eraclii, frater Eracleone, imperat sex mensibus. Constantinus junior, filius Constantini, imperat annis XXVII. Anno Dagoberti regis Francorum XI°, Saxones legatos ad regem dirigunt supplicantes ut tributum, quod pater ejus Lotharius imposuerat, eis indulgeret (nam quingentas inferendales vaccas singulis solvebant annis); ipsi deinceps contra Slavos se certaturos et limitem Francorum defensaturos hac mercede se promittunt. Consilio suorum rex accepto, tributum cessavit, sed Saxonum promissio modicum effectum habuit. Eraclius imperator, ut ad superiora redeam tempora, sapiens in liberalibus artibus et maxime in astronomia, mandavit Dagoberto, ut Hebreos de regno suo exterminaret : quod libentissime Dagobertus fecit. Previderat enim imperator in sideri-

bus, quibus intentus erat, quod imperium Romanum a circumcisis deleretur. Sed, quod intellexerat de Hebreis, hoc actum esse dignoscitur a gente Agarenorum, quos Saracenos vocamus.

Dagobertus rex nuncios Samoni regi Slavorum misit, quatenus regnum suum ab eo reciperet. Quibus Samon respondit : « Terra, quam habemus, Dagoberti est, et nos sui sumus, si amicitias disposuerit servare nobiscum. » Cui legati Dagoberti dixerunt : « Non est possibile, ut servi Dei cum canibus amicitias jungant. » Quibus Samon e contrario respondit : « Si vos estis servi Dei et nos sumus Dei canes, et dum vos contra Deum agitis, permissum habemus dentibus vos lacerare. » Tunc missi Dagoberti ejecti sunt de conspectu Samonis. Quo audito Dagobertus graviter tulit, et congregato exercitu terram Slavorum crudelissime devastavit. Inde victor rediens Metis civitatem divertit, et pontificum ac procerum suorum consilio Sigebertum filium suum in regno Austrasiorum sublimavit, sedemque Metis habere permisit. Cumque eidem Dagoberto de Namthilde regina natus fuisset filius nomine Clodoveus, ob magnatum suorum consilium cum Sigeberto rege Austrasiorum, filio suo, pactionis vinculo confirmavit, ut Neustriam et Burgundiam ad regnum Clodovei post decessum Dagoberti regis respiceret.

Ipse vero gloriosus rex inter alia, que laudabiliter fieri jussit, memor voti sui, sancti Dyonisii, Rustici et Eleutherii auro puro et preciosissimis gemmis memorias exornavit. Et quamvis ecclesiam, quam a fundamento construxerat, intrinsecus miro decore fabricavit forisque, desuper absidem, infra quam martyrum corpora tumulaverat, ex argento puro cooperuit.

Post gloriosam vero regni administrationem, XVI° postquam regnum Francorum sortitus fuerat anno, profluvio ventris in Spinogiolo villa, non procul a Parisiis, humanis rebus est exemptus; intolerabilis ergo luctus totum replevit palatium, universumque regnum ob ipsius mortem acerbissima occupavit lamentatio. Conditus autem est aromatibus, et cum ingenti dolore atque frequentia translatus est in basilica sanctorum Dyonisii, Rustici et Eleutherii, quam condigne ex auro et gemmis preciosis diversique generis ornamentis foris et intus, ultra quam credi posset, mirifice exornaverat, ubi etiam ordinem psallentium ad instar monasterii Agaunensium et sancti Martini Turonensis, ut ibidem laus Dei perhenniter haberetur, instituit, atque juxta eorum tumulum in dextero latere honore decenti sepultus est.

Dagoberto rege Francorum mortuo, per visionem cuidam revelatum est, quod ejus anima ad judicium rapta sit, et multis sanctis contra eum pro

exspoliatione ecclesiarum suarum reclamantibus, cum eam jam mali angeli vellent ad penas inferni rapere, interventu sancti Dyonisii martyris, cui ipse maxime devotus fuerat, a penis liberata est.

De sancto Amando et beata Rictrude et aliis sanctis ipsius temporis.
CAP. XIX [1].

Temporibus Dagoberti regis, multi utriusque sexus sancti diversis virtutibus clarebant in Galliis, in quibus beatus Amandus eminebat, natus ex Aquitania, qui a beato Petro per visionem confortatus et ad predicandum verbum Dei in Gallias missus, episcopus quoque ordinatus, multis choruscans miraculis, innumeras gentes ad fidem Christi convertit. Multa etiam construxit monasteria, in quibus adhuc eminent monasterium sancti Petri in Gandavo, monasterium Helnonense, ubi ipse sanctus requiescit, Marchianense etiam monasterium, quod beata Rictrudis nobilitavit sanctitate vite et laudabili fine. Hec enim beata in sua adolescentia nupsit Adalbaldo magnifico duci, de genere regis Dagoberti, cujus fratres fuerunt Sigefridus comes Pontivensis, maritus sancte Berte Blanciacensis, et Herchenaldus, majordomus et patricius Clodovei filii Dagoberti regis Francorum. Hic Herchenaldus, post mortem Adalbaldi ducis fratris sui, in ejus possessione successit, et reedificavit Duacum castrum, et infra construxit ecclesiam beate Dei genitricis Marie, que hodie dicitur sancti Amati. Beata igitur Rictrudis post necem viri sui *vidua* remansit (fratres ejus et cognati eum interfecerant, eo quod Adalbaldus de genere esset Francorum, nam Gothi Francos vilipendunt). Accepto igitur consilio a beato Amando, cum rex eam ad secundas nuptias cogeret, Marchianis venit, et tres filias suas, Clossendam, Eusebiam et Adelscendam virgines, Deo obtulit; Maurontum filium suum, regalibus obsequiis intentum, a seculo abstrahens Deo militare coegit. Sicque in sancto permanens proposito, septuagesimo quarto anno vite sue ad Dominum feliciter migravit. Beatus ergo Amandus, Trajectensi episcopatu postposito, ubi a rege Dagoberto et episcopis illius provincie fuerat intronizatus, ad monasterium Helnonense revertitur. Nonagenarius migravit ad Dominum, et ibidem sepultus est in ecclesia apostolorum.

Floruerunt eo tempore Eligius Noviomensis, Audoennus Rothomagensis.

[1] Restituta est hoc loco capituli inscriptio, prout supra p. 6 exstat in indiculo. In MSS. desideratur illa inscriptio, et CAP. XVIII cum CAP. XIX simul descripta sunt.

Amatus Senonensis. Autbertus Cameracensis, Remaclus Trajectensis, Gislenus Cellensis. Faro Meldensis. Landelinus Crispiniensis. beata quoque Aldegundis et soror ejus Waldetrudis. Gertrudis Nyvellensis. et Begga soror ejus. uxor ducis Ansigisi. et multi alii sexus utriusque.

De regno Clodovei secundi et Sigeberti[1]. CAP. XX.

Anno Domini DC° XLV°. imperii vero Constantini V°, regnaverunt in Francia filii Dagoberti, Sigebertus in Austria et Clodoveus in Neustria. Clodoveus, in regno a ducibus Francorum sublimatus, accepit uxorem de Saxonum genere, nomine Bathildam, pulchram valde et ingeniosam. Ex qua tres filios habuit, Lotharium[2] videlicet, Childericum et Theodericum. Major domus Clodovei fuit Herchenaldus. frater ducis Adalbaldi; porro in regno Sigeberti Pipinus pater sancte Ghertrudis, quo mortuo Grimoaldus filius ejus in aula ejusdem regis potenter principabatur. Sigebertus rex de posteritate prolis desperans, XII monasteria hinc inde Deo construxit, in quibus Stabulanum et Malmundarium eminebant, cooperante sibi in hiis majore domus Grimoaldo et Trajectensi episcopo Remaclo; qui Remaclus non *multo* post in ipso monasterio Stabulano monastice vite assumpsit habitum. Sigebertus rex Hildebertum, filium Grimoaldi majoris domus. adoptat in filium et in regnum. Ignis de celo cecidit et timor magnus super homines venit. Pestilentia gravissima tribus estivis mensibus grassata est : cunctis visibiliter apertum fuit bonum et malum angelum noctu civitatem circumire: et quoties jussu boni angeli malus angelus venabulo, quod manu tenebat, ostium cujuscunque domus percussisset. tot sequenti die ex eadem domo interiebant. Sigebertus rex Austrasiorum moritur, Dagoberto filio suo admodum parvulo fidei Grimoaldi commendato, ut in regno suo ejus auxilio promoveatur. Grimoaldus major domus, domino suo Dagoberto. Sigeberti filio attonso et per Didonem Pictavensem episcopum in Scotiam directo, Hildebertum filium suum facit Austrasiorum regem. 645.

Franci dolentes de infidelitate Grimoaldi contra filium Sigeberti, captum eum Parisiis presentant judicio Clodovei; quem Clodoveus vinculatum in carcere fecit amara morte consumi, filiumque suum juniorem Childericum regem facit Austrasiorum. Hic Grimoaldus fuit frater sancte Ghertrudis

[1] Id est : *Sigeberti secundi.*

[2] Seu *Clotharium.*

Nyvellensis. Ansigisus filius sancti Arnulphi clarebat, cui Begga soror Grimoaldi nupserat. Cenobium Floriacense a Leodebaldo abbate fundatur. Et non multo post corpus sancti Benedicti abbatis, ab Agiulfo monacho a castro Cassino delatum, illuc transportatur. Corpus vero sororis ejus sancte Scolastice Cenomannis transfertur. Saraceni, capto Rhodo, famosum ejus colossum everterunt, ex cujus ere nongenti onerati sunt cameli.

Olimpius exarchus in Ytaliam ab imperatore Constantino missus et Martinum papam occidere jussus, cum aliter non posset, tractavit, ut inter missarum solempnia, cum sibi ipsi papa sacram communionem porrigeret, spatarius suus illum perimeret: sed spatarius hora sancte communionis papam nullo modo videre potuit. Exarchus vero paulo post a Saracenis turpiter victus periit. Clodoveus rex corpus sancti Dyonisii Parisiensis discooperiens, minus religiose, licet cupide, os brachii ejus fregit et rapuit, moxque in amentiam perpetuam incidit.

Anno Constantini imperatoris XVIII°, Clodoveus rex Francorum obiit, anno regni sui XVII°. Temporibus Dagoberti regis et filii ejus Clodovei, hii pontifices Romane prefuerunt ecclesie: Severinus, Johannes, Theodorus, Martinus, Eugenius, Vitalianus, cujus tempore obiit beatus Amandus. Atrebatum dum corpus sancti Vedasti transferretur ab episcopo Autberto, presentibus Lamberto Tongrensi et Audomaro Tervavensi aliisque sanctis episcopis et abbatibus, Audomarus qui pre senio cecus erat, dum precibus presentium episcoporum et meritis sancti Vedasti illuminatus esset, egre ferens se liberatum esse a cecitate, quam pro salute sua sibi immissam esse gaudebat, rursus ad votum suum excecatus est.

De regno Lotharii tertii. Cap. XXI.

662. Anno Domini DC° LXII°, anno vero Constantini imperatoris XIX°, Lotharius[1] filius Clodovei regnavit in Francia annis quatuor. Herchenaldo majore domus, fratre Adalbaldi ducis, mortuo, Franci quendam Ebroinum in loco ejus substituunt[2]. Porro in Austria Ansigisus, filius sancti Arnulphi Metensis episcopi, principabatur. Bathildis regina, mater Lotharii, Corbeiam et Calam monasteria Deo construxit. Porro illo in tempore apud Gallias Francorum regali deficiente gloria, per prefectos palatii domus ordinabatur regia, re-

[1] Seu *Clotharius*.

[2] Cf. Sigeb. ad an. 662.

gibus ob imperitiam desidiamque solum regale nomen inaniter gestantibus[1].

Jamque opes et potentia regni penes palatii prefectos, qui majores domus dicebantur, et ad quos summa imperii pertinebat, retinebatur, neque aliud regi relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undique venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, que erat edoctus vel etiam jussus, ex sua velut potestate redderet. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bobus junctis et bubulco rustico more agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat, et kalendis maii presidere coram tota gente, et salutare et salutari, obsequia et dona accipere et rependere, et sic secum usque ad alium maium habitare. Regni vero administrationem et omnia, que vel domi vel foris agenda erant et disponenda, prefectus aule procurabat.

Lotharius quatuordecim annis Francorum rexit imperium, et valida febre correptus obiit. Dissensio protinus inter Francos exorta est de imperio : Childericum fratrem quibusdam sublimare volentibus. Ebroinus contra voluntatem palatinorum et principum regni Theodericum in regio solio sublimavit. Consulens itaque propriis utilitatibus, ob id illum regem constituit, ut preventum beneficiis illum sibi amicum faceret, et contra omnes inimicos firmum sibi prepararet. Igitur Theodericus regie dignitatis culmen adeptus, qui lateri suo nequissimum Ebroinum adoptans, ejusdem grassantis ingenio stimulante, in tantam exarsit insaniam, ut non solum plebem injurians, verum etiam primates non minime affligens, alios trucidaret, alios exterminaret. Franci autem iis diutissime adacti injuriis, nec tamen ferocitatis, quam semper habuerunt, obliti, unanimiter insurrexerunt in eum. Quibus insequentibus ad tantam miseriam redactus est, ut non solum principatus palatii dignitate ablata de regno pulsus aufugeret, verum etiam, totius venie decidens spe, precisa capitis coma in Luxovio monasterio sub regula se victurum sponderet. Suscepit igitur habitum monachi, de monacho nichil habens, sed fictionem cordis vestimenti religione palliabat. Hoc autem quam digna religione factum sit, operum exhibitione postmodum evidentissime claruit. Eodem tempore in sententiam unam pari consensu optimates palatii ac totius regni Francie proceres convenerunt, quatenus

[1] *Additur in MS. :* Nota reges nomine regum inaniter habentes.

Theodericus regno privaretur, ac frater ejus Childericus, qui eo tempore monarchiam Austrasiorum tenebat, patris regno potiretur. Quod factum est. Eo itaque ejecto, Childericus frater ejus sublimatur in regnum.

De regno Hilderici[1]. Cap. XXII.

665. Anno Domini DCº LXVº, Constantini imperatoris anno XXIIIIº. Lothario rege Francorum mortuo et Theoderico ejecto, Childericus frater ejus regnavit in Francia annis XII. Hujus domus major post Ebroinum fuit Ulfoaldus, quo mortuo Leudegesilum filium Herchenaldi, cognatum beati Mauronti, majorem domus regie consilio beati Leodegarii episcopi Franci constituunt. Anno Childerici regis quinto, Constantinus imperator, qui et Constans, omnibus suis exosus, Syracusis a suis in balneo est occisus. Mysius quidam, in Sicilia tyrannidem meditatus, mox extinguitur. Constantis filius, Constantinus, post patrem imperavit annis XII. Childericus rex fratrem suum Theodericum cum Francis insecutus, tandem captum tenuit et violenter injuriis affecit, tonsuratumque coma capitis in monasterio Dyonisii sub regula vivere coegit. Childericus rex Hectorem Masiliensium patricium interfecit propter injusticias Arvennensi ecclesie ab eo illatas: primores autem ejusdem urbis in ultionem ejusdem patricii sanctum Projectum, ejusdem civitatis episcopum, martirizaverunt. Inter Childericum regem et sanctum Leodegarium, Augustudunensem episcopum, maliloquis intercurrentibus orta dissimultate, idem beatus Leodegarius devenit Luxovium: ibi sancte conversationis suscepit habitum. Ibi supradictum invenit Ebroinum, sub habitu monachali cor tegens lupinum, ubi beatus Leodegarius, non tam corpore quam mente veterem hominem exutus cum actibus suis, studebat cotidie piis operibus novo homini conformari.

Childericus[2] rex Francorum, cum secundum seculi honorem strenue imperium regeret, ut minus prudens malum iracundie in se non domuit, neque levitatem animi superfluam, qua detinebatur, refrenavit. Nam quadam die virum nobilem Dodilonem[3] ad stipitem ligatum absque legis judicio graviter virgis corrigi jussit, unde Francorum animos adversum se incitavit. Rex, quod egerat, vilipendens, post paululum in silvam Lanconis venandi causa cum Blichilde uxore sua pregnante abiit. Dodilo autem dedecoris

[1] Seu *Childerici*, hujus nominis *secundi*.

[2] *Additur in MS.:* Nota levitatem et iram Childerici intemperatam.

[3] Alias *Bodilonem*.

sibi facti non immemor, cum suis regem insecutus, ipsum et uxorem ejus interfecit, et ad Ansigisum Austrasiorum ducem se transtulit. Constantinus imperator habens fratres suos odio et suspectos, ne regnarent, nasos eorum abscidit. Yris apparuit in celo mense martio, et tremuit omnis caro, ita ut omnes dicerent, quod consummatio seculi esset. In Ytalia tante pluvie et tonitrua erant, quales nulla etas hominum memorat, ut etiam homines et peculia fulgure interirent. Et nisi per letanias, quas cotidie faciebant, Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere, in tantum ut ex ipsis pluviis denuo legumina renascerentur, et ad maturitatem devenirent. Temporibus Childerici regis, Romane pontifices prefuerunt ecclesie Adeodatus, Domnus, Agatho, Leo, etc.

De regno Theoderici monachi, cenobium relinquentis, et qui prius regnaverat. Cap. XXIII.

Anno Domini DC° LXXVIII°, Constantini imperatoris anno X°, Childerico 678.
rege Francorum mortuo, Theodericus frater ejus [1], cenobium relinquens in quo monachus erat, annis XIIII regnavit. Quod audiens Ebroinus a cenobio Luxovii, ubi sub falso nomine monachi morabatur, egressus, accitis secum, quos olim habuit, amicis, tirannidem arripuit. Austrasios sibi verbis blandis allexit, muneribus corrupit, sicque ad regem ire contendit. Sed inter eundum Bacivo-villa perveniens, Leudisium, Augustudunensem inclytum principem palatii, cum thesauris Childerici regis defuncti obvium habuit, sub specie pacis false promisse dataque fide amicitie, inibi eum occidit. Et citissime confugium ad regem Theodericum fecit, a quo ei principatus palatii redditus est. Augustudunenses a cenobio Luxovio beatum Leodegarium, sanctitate vite egregium, educunt, atque in sede episcopali cum maximo laudum tripudio restituunt.

De morte sancti Leodegarii, ab Ebroino quondam monacho interfecti. Cap. XXIV et XXV [2].

Ebroinus preterea, auctor et amator dissensionis, sponsionis dominice orationis immemor, sed avite recordationis odii memor, statuit persequen-

[1] Hic Theodericus est tertius hujus nominis.

[2] In MS. Corsendonkano, variis in locis additamentis onusto, capitulorum series, prout initio hujus libri primi exstat, hoc in loco desinit. Sequor itaque eam, quam habet codex MS. Miraei.

dos, quos olim habuisse meminit contrarios, qui eum a principatu palatii deposuerunt. Et ut alter apostata Julianus decianas renovans persecutiones, Francorum multos paterna hereditate privavit, alios pecuniis spoliavit, quosdam gladio extinxit, inter quos venerabilem Leodegarium Edue urbis episcopum persequens gravi ira, multis primo afflictum suppliciis, deinde occulis a capite erutis, lingua precisa, ad ultimum interemit. Quem martyrem dignum sancta virtus fecit paciencia.

Theodericus rex consilio Ebroini synodum episcoporum cogit, et in hac multos eorum ex sententia Ebroini episcopatu privat, aliquos etiam irrevocabili exilio dampnat. Sub tam procellose domestice persecutionis tumultu sanctus etiam Lambertus a Trajectensi amotus episcopatu, in cenobio Stabulano monastice quietis expetiit portum, ibique per septem annos habitavit. Sanctus etiam Amatus a Theoderico rege consilio Ebroini exulatus est Sanctus Philibertus abbas a Gunegiensi cenobio expellitur.

Ansigisus dux, pater Pipini, a Gunduino perimitur, quem ipse inventum et nutritum de sacro fonte susceperat, et ad maximos militie honores promoverat. Cui succedit in ducatu Austrasiorum Pipinus filius ejus. Anno VII° Theoderici regis Francorum, Constantino imperatore mortuo, Justinianus filius ejus imperavit annis X. Ulfoaldo majore domus mortuo, Pipinus filius Ansigisi principabatur in Austria cum duce Martino nepote Ansigisi. Quibus congressis, Ebroinus victoria potitur, Martinus fugiens ab Ebroino perimitur in pago Laudunensi apud castellum, quod vocatur Herciacum.

Predicti Ebroini rabiem quamplurimi Francorum declinantes, confugium ad Pipinum Austrasiorum ducem fecerunt in Colonia. Verumptamen Dei vera dispositio, quum tam injusti persecutoris munus reddere decrevisset actionis, Ermenfrido in discrimine mortis involuto, se in veritate invocanti velox prebuit auxilium. Is natione Francigena, vita et moribus catholicus, dum sepe ut dives et nobilis optime se ab inimico christianorum Ebroino defensaret, quadam die incautus cum paucis suorum hostem, cum multis precatum sed non sine adjutorio Dei preventum, offendit. Qui amissa spe fugiendi, misericordem et omnipotentissimum Deum invocans, in armatorum copiam infelicis Ebroini irrupit, uno ictu animam ejus excutiens, ad sibi digna inferna direxit, et ne ulterius christianum lederet, interdixit. Posthec timens regem Theodericum, confugium fecit ad gloriosum ducem Pipinum.

Hic Pipinus regio stemmate ortus fuit patre Ansigiso, principe glorioso, avo Arnulpho, qui deposito militari cingulo ecclesiastica sanxione decenter ornatus, Mediomatricum, que est Metis, sanctificatione vite adeptus est sedem, post mortem sancte Dode uxoris sue: proavo Arnoldo sancte Ode marito; abavo Ansberto illustri principe, genere Romano ac urbis senatore ex imperiali orto prosapia. Qui Ansbertus duxit uxorem Blithildem, filiam Lotharii magni Francorum regis, sororem primi Dagoberti, qui dicebatur etiam Magnus, rex Francorum. Genitrix vero ejusdem Pipini dicta est Begga filia sancti Pipini, principis et ducis Austrie inferioris, que postea dicta est Lotharingia et dehinc Brabantia, qui, ab ipsa que dicitur Carbonaria silva ad fines usque Frisonum, justo moderamine cunctum infra regebat populum. Et sic constat ipsum Pipinum Grossum ex parte matris de majoribus domus, et patris ex parte a Trojanis et ex parte a Romanis descendisse.

Sed ut clarius appareat genealogia Pipini prescripti, est sciendum quod Priamus primus rex Francorum, a Priamo rege Trojanorum nomen et genus trahens, genuit Marchomirum; Marchomirus genuit Pharamundum regem tertium; Pharamundus genuit Clodium quartum regem. Cui successit Meroveus rex quintus, nepos ex genere Trojanorum et Priami predictorum: Meroveus rex genuit ex Basina, uxore Basini regis Thuringorum, Clodoveum regem septimum. Hic duxit Rothildem, filiam Chilperici regis Burgundie, reginam orthodoxam et christianissimam, per quam ipse rex cum gente Francorum meruit baptizari; quem sanctus Remigius baptizavit et oleo celitus emisso consecravit, et Ludovicum appellavit.

Clodoveus autem genuit Lotharium regem octavum; Lotharius genuit ex Jugunde, que fratris sui Clodovei uxor fuerat, Chilpericum regem nonum; Chilpericus rex genuit ex uxore sua Fredegunde, eleganti muliere et male callida, ex ancilla domina effecta, Lotharium Magnum regem decimum; Lotharius Magnus rex genuit ex Bertrude Dagobertum Magnum regem undecimum et Blithildem. Ad cujus progeniem, scilicet duces Austrie seu Lotharingie et Brabantie, translata est tandem corona Francie. Blithildem duxit Ansbertus princeps illustris prescriptus, qui genuit ex ea Arnoldum principem et sanctum Ferreolum, sanctum Modericum et sanctam Cartisiam virginem: Arnoldus genuit ex sancta Oda sanctum Arnulphum principem, tandem episcopum Metensem. Sanctus Arnulphus genuit ex sancta Doda sanctum Clodulphum et Waitisium

patrem sancti Wandregisili, et gloriosum principem Ansigisum, quem pater suus sanctus Arnulphus benedixit et progeniem ejus, prophetando quod essent futuri reges Francorum hereditarii et imperatores Romani excellentissimi : et factum est ita. Hec benedictio cum unctione descendit in sanctam et nobilissimam prosapiam ducum Lotharingie et Brabantie, que tunc Austria inferior vocabatur, quorum generatio et gloria non derelinquetur in secula. Nam multi sancti et sancte procreati sunt ex ea. Ansigisus autem gloriosus princeps duxit in uxorem sanctam Beggam, recta linea secundam Lotharingie et Brabantie ducissam, filiam sancti Pipini primi ducis ducatus predicti. Cujus Pipini pater fuit Karlomannus, princeps illustris et dominus Brabantie et Hasbanie, et principabatur tempore Chilperici noni regis Francorum. Hic Karlomannus etiam genuit Amelbergam, sororem dicti Pipini, que fuit nuptui tradita comiti Hannonie, cui peperit filium nomine Walbertum et filiam nomine suo Amelbergam. Walbertus autem Bertiliam virginem illustrem regii sanguinis, nobilitate predecoram, duxit uxorem; cujus Bertilie fratres germani fuere Landricus et Gundebaldus, quos referunt vexilliferos fuisse regii exercitus. Ex hac Bertilia Walbertus comes duas filias genuit, Waldetrudem scilicet et Aldegundem. Et tandem Amelberga senior quievit in Domino, et apud Lobis sepulturam accepit. Filia autem Amelberga junior nupsit Witgero, comiti cujusdam comitatus in Brabantia, que mansit apud Ham juxta Xanctas in Brabantia. Hec genuit ex eodem Witgero sanctum Emebertum Cameracensem episcopum, qui in monasterio Malbodiensi quiescit, et sanctam Renildem virginem, que apud Xanctas martirizata ibidem quiescit, in allodio quod *Ten Eygen* dicitur, et sanctam Pharaildem que Gandavi, et sanctam Ermelindam que in Meldert quiescit, et sanctam Gudulam de Bruxella, patronam majoris ecclesie ibidem, quam sancta Ghertrudis de sacro fonte levavit, et secum tenuit quamdiu vitam duxit in humanis: post cujus obitum virgo Gudula ad suos parentes fuit reversa. Waldetrudis vero, que patri suo Walberto successit in comitatu Hannonie, duxit sanctum Vincentium, de regno Scotie[1] ex regali prosapia ortum, ex quo genuit sanctum Landricum, postea Metensem episcopum, qui apud Cimacum juxta patrem suum quiescit; genuit etiam sanctam Madelbergam

[1] Alias *Gothie.*

et sanctam Aldetrudem. que virgines manserunt. Madelberga apud Leodium quiescit in ecclesia majori, Aldetrudis vero in Malbodio sepulta est. ubi etiam quiescit sancta Aldegundis. soror sancte Waldetrudis predicte. Sanctus Pipinus dux, frater Amelberge senioris, qui fuit major domus temporibus regum Lotharii magni, Dagoberti et Sigeberti, duxit sanctam Ydubergam, sororem sancti Modoaldi Treverensis archiepiscopi et sancte Severe abbatisse ibidem. que peperit ipsi duci Grimoaldum, post patrem ducem et majorem domus sub Sigeberto rege, qui occisus fuit et in Joppilia juxta Herstallium quiescit. et sanctam Beggam. que fratri suo Grimoaldo successit in ducatu Lotharingie et Brabantie sepe dicto : que jacet sepulta in monasterio Andennensi. quod ipsa fundavit. Genuit etiam sanctam Ghertrudem virginem. que predia portionis sui patrimonii contulit Nyvellensi monasterio suo. que ibi cum patre et matre quiescit. Hii manserunt apud Landen in Brabantia. ubi ipse Pipinus diu quievit. sed corpus ejus inde postea translatum est in Nyvellam. Sancta vero Begga. secunda ducissa suprascripta. genuit ex memorato Ansigiso filio sancti Arnulphi. Pipinum Grossum sive de Herstallio, Lotharingie et Brabantie ducem tertium. avo suo consimilem. cujus sicut erat heres nominis, possessionis et dignitatis. ita justicie et religionis, vir acer consilio et manu strenuus. qui totam potentiam suam ad exaltandam sanctam ecclesiam convertit. Hic duxit sanctam Plectrudem. que peperit ei tres filios. Drogonem scilicet Campenensium principem, et Grimoaldum. qui martirizatus fuit Leodii, et ibidem apud sanctum Jacobum in altaris cripta quiescit, et sanctum Silvinum. qui Cymaci quiescit in ecclesia sancti Petri. quam sancta Plectrudis mater sua fundavit. que Colonie quiescit in monasterio sanctimonialium sancte Marie. quod ipsa construxerat. Hujus filii vivente patre et matre mortui sunt. Pipinus etiam genuit ex Alpaide. Dodonis de Ardenna sorore, Karolum Martellum, ducem Lotharingie et Brabantie quartum. Alpais juxta Geldoniam apud Orp in Brabantia quiescit.

Profugi igitur Francorum, qui in persecutione Ebroini ad dominum Pipinum confugerant, audita interfectione predicti Ebroini, dominum Pipinum adeunt postulantes legationem dirigi ad Theodericum regem Francorum, quatenus ipsius adjutorio parentibus. adjunctis terrisque amissis reddi mererentur. Prefatus dux, prudenti legatione directa, non que pacis erant. recepit. verum suadente Berthario, Theoderici regis

consiliaro, bellum indicitur, profugos quoque Francorum vi repetita recepturos minatur. Legatio coram duce Pipino et optimatibus ejus, quod acceperat, refert in commune. Placuit arma corripi. profugis et viduis subveniri. plebiscitum acclamatur ab utrisque partibus. Carbonarias convenitur, bellum initur, sed non equo proventu finitur; nam multi Francorum partium Theoderici bello se subtrahentes, causa parentum quaquaversum delituerunt. Certaminis erat ab utroque velle vinci et a neutro horum superari. Theodericus bello fugatur Parisios usque a Pipino, profugosque Francorum insequitur; sed Sequana fluvius imminens malum determinavit. Anno sequenti Pipinus dux Radbodoni Frisonum duci bellum indicit. quem grandi prelio devictum tributarium fecit.

Ebroino interfecto, Franci accepto consilio Warathonem, illustrem virum, in loco ejus constituerunt; idcirco prefatus Waratho obsides accepit a duce Pipino pace invicem patrata. Erat eo tempore memorato Warathoni filius valde efficax atque prudentissimus consilio, qui vice patris curam gerebat palatii, nomine Gislemarus, qui ob nimiam calliditatem et sagacitatem patrem ab honore supplantavit. Quem sanctus Audoenus episcopus increpabat sepius, ut ad pacem et patris indulgentiam remaneret. Qui audire renuit, et in duricia cordis permansit. Fuerunt igitur inter Pipinum et prefatum Gislemarum discordie multe et bella civilia multa; nam ad castrum Namurcum contra hostem Pipini ducis Gislemarus consurgens, fraudulenter falso juramento dato, quamplures eorum nobiles viros occidit. Inde vero reversus ad supplicationem patris vel aliam maliciam modicam, quam falliciter perpetraverat, a Deo percussus predictus Gislemarus, ut dignus erat, iniquissimum reddidit spiritum. Illo quoque mortuo, pater ejus Waratho honorem pristinum majoris dominatus sui recepit. Eratque Warathoni matrona nobilis et strenua, nomine Auffledis, cujus gener, nomine Bertharius, honorem majoris dominatus palatii suscepit. Eratque statura parvus, intellectu modicus, levis atque tacitus. Francorum amicitias atque consilia sepe contempnens. Hec indignantes Franci Audoramnus, Reolus et alii multi relinquentes Bertharium, ad Pipinum per obsides confugiunt, amicitias copulant, bella super Bertharium vel reliquam partem Francorum concitant.

Pipinus. commoto exercitu hostili ab Austro consurgens contra regem

Theodericum et Bertharium. preparavit se ad bellum. Cuncti in opido Vermandensi. in loco qui dicitur Textricio, bellum mutuo gesserunt, prevalente Pipino cum Austrasiis; Theodericus cum Berthario fugam iniit, Pipinus victor extitit, persecutosque eos eorum cum regione sibi subjugavit. Sequenti tempore idem Bertharius ab adulatoribus falsis amicis interfectus est, instigante Aufflede matrona socru sua. Posthec autem Pipinus Theodericum capiens et thezauros ejus. major domus Francorum sub Theoderico rege constitutus. in Austriam regreditur. Eratque ei uxor nobilis et prudentissima nomine Plectrudis, genuitque ex ea filios duos: nomen senioris Drogo, nomen vero junioris Grimoaldus.

Prefuerunt hoc tempore Romani pontifices: Benedictus, Johannes, Conon. Sergius. Floruerunt tempore hoc etiam sancti viri Remaclus, Theobaldus et Lambertus, Trajectensis urbis pontifices, Vindicianus Cameracensis. Audomarus Morinensis, Maurontus et Jonathus Marchionenses abbates. Richarius. Walericus et Judocus Pontiniensis, Bertinus et Winnocus Flandrensis: sanctus Amatus Senonensis episcopus, jussu Theoderici regis et Ebroini quondam exulatus, aliquantum temporis cum abbate remansit Ultano. Post mortem autem ejus, precepto ejusdem regis suscipitur a beato Mauronto ejusdem regis cognato, custodie mancipandus in suo, qui *dicitur* Broilus, monasterio. Qui ejus vitam sanctis miraculis plenam conspiciens. eum absolvens a custodia. in monasterio Marchianensi sancte matri sue Rictrudi et sorori Eusebie commendavit, ut ejus edificarentur exemplo et vita. Post non multum vero temporis, prece et precepto sancte Rictrudis constrictus. suscepit fratres regendos in monasterio beati Mauronti, scilicet Broilo. Hic locus ita eo tempore nuncupabatur. nunc autem Maurontilla. quia Mauronti villa, vocatur. In quo loco beatus confessor ydibus septembris. tempore supradicti Theoderici regis, ad Dominum migravit. Cujus corpus Maurontus in eodem loco in sua possessione sepelivit. et omnia sua per cartharum instrumenta contradidit.

Tempore Clodovei regis et Lotharii filii ejus, qui quatuor tantummodo annis regnavit, fuit Herchenaldus, de quo supra narravimus, beati Mauronti avunculus, qui beato Furseo fuit familiaris. Nam ejus consilio construxit ex propriis sumptibus cenobium sancti Petri in Latiniaco: monasterium quoque ejusdem sancti Fursei in proprio allodio in Perona, ubi ipsum sanctum sepelivit. ubi etiam ipse Herchenaldus sepultus fuit.

Post mortem *ejus* Franci Ebroinum majorem domus regie constituunt. Quo ejecto Leudisium filium Herchenaldi in patris principatu stabiliunt. Childerico autem rege interfecto, idem Leudisius cum thesauris ejusdem regis ad beatum Leodegarium in Luxovio ire disponens, ab eodem Ebroino in medio itinere in osculo pacis suscipitur et interficitur. Ebroinus autem thesauros accipiens, de eisdem thesauris primatum a rege Theoderico, episcopis contradicentibus, redemit.

Nunc restat ut ejusdem Ebroini actus sub brevitate colligamus. De quo genere fuit ortus, nulla, quam legimus, refert historia, tamen in gestis ejus, quantum in malo fuerit efficax, satis comprobatur. Major enim domus post Herchenaldum sub rege Lothario constitutus, ob insolentiam morum Francorum in se accendit odium. Lothario enim rege mortuo, idem Ebroinus Theodericum fratrem ejus suorum auxilio in regnum suum quondam sublimavit. Quod Francorum optimates cernentes et Ebroini sevitiam, Theodericique stoliditatem timentes, illum a principatu, alium autem a regno ejiciunt, Ebroinum quidem in Luxovio, Theodericum vero in monasterio sancti Dyonisii invitos faciunt monachos. Childerico autem rege Austrasiorum, quem sibi regem fecerant, interempto, Ebroinus quasi leo rupta cathena de claustro fugit, Leudisium majorem domus, quem suum dolebat esse successorem, cum thesauro regis interfecti obvium habens, dolo interemit. Theodericus, quia non justo judicio fuerat tonsuratus, ut justum erat, de claustro sancti Dyonisii exiens regno restituitur. Ad hunc Ebroinus reversus socius et familiaris ejus, datis thesauris, major domus iterum restituitur. Qui occasione accepta ad inimicos suos, qui eum a principatu ejecerant, intendit puniendos. In primis vero sanctum Leodegarium, episcopum Augustudunensem, consiliarium Childerici regis, effossis oculis, in carcerem trudit, quia ejus se consilio putabat a principatu fuisse submotum, et Leudisium filium Herchenaldi subrogatum. Deinde Gerinum fratrem ejusdem sancti lapidari fecit. Posthec Theodericus rex, episcoporum congregato consilio, multos episcopos et abbates consilio ipsius Ebroini exulavit : inter quos sanctum Lambertum, ab episcopatu Trajectensi remotum, in monasterio Stabulensi conclusit. Posthec sancto Leodegario linguam abscidit, pedes perforavit et sic capite absciso Deo dignum martyrem fecit. Deinde ducem Martinum interfecit, virum nobilem, nepotem Ansigisi gloriosi ducis, Francorum nobiliores exhe-

redavit. Ad ultimum, ut illud impleretur quod scriptum est : « Non potest bene mori, qui male vixerit, » ab Ermenfrido nobili viro, quem injuriaverat, improvise ei occurrens interfectus est. In archivis ecclesie beati Medardi Suessionis, sicut a monachis ejusdem ecclesie audivi [1], continetur, quod uxor hujus Ebroini ecclesiam beate Dei genitricis famosam a fundamentis de substantia hujus Ebroini et sua construxit. Anno Theoderici regis IX°, Constantino imperatore mortuo, Justinianus imperat annis X. Anno Theoderici regis X°, Pipinus major filius Ansigisi, victo in bello Theoderico, principatum rexit in utraque Francia annis XXVIII. Theodericus rex penitentia ductus pro morte injusta beati Leodegarii, monasterium sancti Vedasti construxit. Anno octavo Justiniani imperatoris, Theodericus rex moritur et in monasterio sancti Vedasti sepelitur.

De regno Clodovei filii Theoderici. Cap. XXVI.

Anno Domini DC° XCIIII°, anno vero Justiniani imperatoris VIII°, Clodoveus filius Theoderici regnavit in Francia annis quatuor. Anno III° Clodovei regis, Leo patricius Justinianum regno privavit, eumque lingua et naso truncatum in exilio misit. Beda presbyter et monachus clarens in Anglia trigesimum annum etatis agit, et reliquum tempus vite sue legendo, tractando et exponendo sanctam scripturam utiliter exigit. Pipinus dux sanctum Lambertum in Trajectensi presulatu relocat. Pipinus ducem Frisonum bello vicit, et Willibrordum genti illi ad predicandum direxit. 694.

Sanctus Lambertus Pipinum principem increpare ausus, quod pelicem Alpaidem sue legitime uxori Plectrudi superduxerat, a Dodone fratre ipsius Alpaidis Leodii martirizatur, et Trajecti tumulatur, eique Hubertus episcopus subrogatur. Pipinus Drogonem primogenitum suum majorem domus constituit in regno Clodovei, tradens ei uxorem Austrudem, filiam Warathonis, quondam majoris domus Childerici regis. Ex qua idem Drogo filium suscepit nomine Hugonem. Absimarus, qui et Tyberius, Leone ab imperio depulso eique naso absciso et in custodia retruso, imperat annis VIII. Drogo filius Pipini, dux Campanensium et major domus Neustrie, moritur. Prefuerunt Romane ecclesie Johannes VI et Johannes VII.

[1] Ita Andreas Silvius, quem Dynterus continuo chronicorum suorum hoc l. I° ad literam sequitur.

De regno Childeberti fratris Clodovei. Cap. XXVII.

698 Anno Domini DC° XCVIII°, Clodoveo rege mortuo, Childebertus frater ejus regnat annis XVII. Anno primo Tyberii imperatoris, Pipinus Grimoaldum filium suum in aula ejusdem regis majorem domus statuit, eique filia Radbodonis Frisonum ducis in uxorem despondetur. Dodo, interfector sancti Lamberti, pessimo languore cruciatus, a vermibus consumitur, et ob intolerantiam fetoris in Mosam fluvium demergitur, omnesque hujus culpe complices infra annum divinitus puniuntur. Percussor vero sancti martyris, fratri suo congressus, alter ab altero perimitur. Rursusque Frisones duce Radbodone pagano rebellantes, regiones usque ad Renum devastant, ecclesias subvertunt. Quibus Pipinus dux hostiliter concurrens, gravi strage eos proterit, et, ut solitus erat, victor extitit, et sue ditioni eos subegit. Tandem Pipinus revolvens in mente quod Christi sacerdos Lambertus pro peccato suo martyrium subiisset, rubore et verecundia perfusus, reversus est Coloniam ad Plectrudem conjugem suam legitimam, Alpaide gravida relicta. Cum autem Alpais peperisset, cucurrit nuncius ad Pipinum ducem, ut sibi de nativitate talis filii nunciaret. Sed inveniens regem inter nobiles et cum sua conjuge sedentem dixit : « Vivat rex, Karl est » sub hoc verborum tegumento innuens quod Alpais sibi pulchrum filium peperisset. Et est Karl, lingua germanica, homo robustus, membra habens magna. Respondit Pipinus : « Bonum nomen est Karl. » Hic fuit primus Karolus, dictus Martellus, qui mortuis filiis legitimis patris sui, scilicet Drogone et Grimoaldo, patri suo successit. Est sciendum, quod Alpais pellex Pipini fundavit ecclesiam et collegium canonicorum in Hugardis, et multa contulit ecclesiis et ecclesiasticis personis. Ipsa autem mortua sepelitur in ecclesia de Orp prope Geldoniam in Brabantia.

Finis Pipini secundi et successio Karoli Martelli filii ejus. Cap. XXVIII.

Igitur Pipinus de Alpaide, de qua supra diximus sanctum Lambertum fuisse occisum, genuit filium, vocavitque nomen ejus lingue proprietate Karolum, crevitque puer elegans, atque egregius effectus est. Anno octavo Childeberti regis, Justinianus auxilio Terbellis Bulgarum regis imperium

recepit, Leonem et Tyberium usurpatores imperii in medio circi jugulavit. Callinichum patriarcham excecatum exiliat. et tantam in adversarios ultionem exercet, ut quotiens a naso sibi exciso defluentem reumatis guttam detergeret, totiens pene aliquem ex iis, qui contra eum conspiraverant, jugulari preciperet. Imperavit ergo annis VII. Childeberto monarchiam regni tenente, archangelus Michael, apparens Autberto Abrincatensi episcopo, monuit semel et iterum, ut in loco maris, qui propter eminentiam sui tumba vocatur, fundaret ecclesiam in memoriam sui, volens talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhibetur in monte Gargano. Unde episcopus tertio monitus, ut in loco illo fundamentum jaceret, ubi taurum relegatum inveniret, et, sicut eam terram pedibus proteruisse videret, sic ecclesie ambitum duceret, ecclesiam in honore sancti archangeli constituit, et ex illo tempore, sicut in monte Gargano, ita etiam in illo loco, qui dicitur in periculo maris, veneratio archangeli frequentari cepit. Anno XV° Childeberti regis, Philippicus, qui et Bardanius [1], Justinianum imperatorem jugulavit, et post eum annis duobus imperavit.

Anno DCC° XIIII°, egrotante Pipino in Joppilia villa, que sita est juxta fluvium Mosacum, cum ad visitandum eum Grimoaldus filius ejus properasset, in basilica beati Lamberti martiris dum jacens oraret, gladio a quodam Regnario [2], satellite Radbodonis ducis Frisonum, instinctu uxoris ejus, filie ejusdem Radbodonis, occubuit. Dux Pipinus, de infirmitate non plene convalescens, omnes filii interfectores peremit. Sed eodem anno iterum molestia corporis oppressus, XVII° kalendas januarii obiit, anno principatus sui vigesimo nono. Reliquit filium elegantem parvulum, nomine Karolum, qui postea Tutides sive Martellus vocatus est. Eodem anno Arthemius, qui et Anastasius, Philippicum privans imperio et oculis, imperat annis duobus. Plectrudis relicta Pipini Karolum privignum suum captum in Colonia urbe custodie mancipat, et cum nepote suo Theodebaldo, quem majorem domus post interfectionem Grimoaldus Pipinus avus ejus constituerat, principatum regni usurpat. 714.

[1] Alias *Bardanes*, seu *Bardanicus*.

[2] Seu *Ranigario*, apud Sigebertum ad an. 715.

De regno Dagoberti, et Karolo Martello ejusque principatu. Cap. XXIX.

715. Anno Domini DCC° XV°, anno Anastasii imperatoris primo, Childeberto rege Francorum mortuo, Dagobertus junior filius ejus regnat annis quatuor. Franci contra Theodebaldum majorem domus dampnoso bello utrimque confligunt. Eoque victo Raginfredum majorem domus, et Chilpericum regem statuunt, qui quondam clericus Daniel vocabatur. Karolus de custodia noverce divino nutu eripitur, moxque principatum de manu occupantium extorquere nititur. Primoque Radbodonem ducem Frisonum Raginfredo solatiantem aggressus, multum exercitus sui dampnum exsequitur.

Sanctus Egidius veniens a Grecia sanctitate claret in Provincia. Anno Dagoberti regis primo Theodosius III imperat. Anno primo hic electus in imperatorem, Anastasium apud Nyceam civitatem gravi prelio vicit, datoque sibi sacramento clericum fieri ac presbyterum fecit ordinari antecessorem suum. Qui cum fuisset iners et ydiota, et publicorum negotiorum exactor, vi compulsus est ab exercitu imperium assumere. Anno Dagoberti secundo, Theodosius imperium deposuit, post quem Leo imperat annis XXIIII. Rome inundatio aquarum nimia nimisque calamitosa facta est, sed sancto Gregorio papa, crebris letaniis Deum precante, post IX dies repressa est. Zuleymen ammiras cum Saracenis suis et stolo navium trium milium Constantinopolim triennio obsedit : Bulgares Sarracenorum XXII milia perimunt. Karolus Martellus in pago Cameracensi apud Vinciacum [1], dominica prima in quadragesima, Chilperico falso regi et Raginfredo congreditur. Raginfredus victus in fugam vertitur, Karolus eos usque Parisios persequitur. Radbodo dux Frisonum ad predicationem Vulfranni episcopi adductus ut baptizari deberet, cum unum pedem in lavacro intinxisset, alium pedem detrahens interrogavit, ubinam plures majorum suorum essent, in inferno an in paradiso? Et audiens plures esse in inferno, intinctum pedem extrahens : « Sanctius est, inquit, ut plures quam pauciores insequar. » Et ita ludificatus a demone, promittente quod ei tertia die abhinc incomparabilia dona daret, ipse tertia die subita et eterna morte periit. Constantinopolitani instancia orandi et constancia preliandi fortiter resistunt Saracensis :

[1] Id est : Dans le Cambresis, près du château de Vinchy, près de Crèvecœur. Cfr. Clar. Le Glay, *Glossaire topographique de l'ancien Cambresis*, p. LXII, 60 et 187.

[1] Espace laissé en blanc dans le MS. Manque le mot *ouvrier* ou *forgeron* (faber).

regarder en son sépulchre, et ou cas qu'ilz ne y trouveroient son corps, qu'ilz le creussent, et aultrement nient. Lesquelz, ou commandement de ce sainct évesque, y allèrent et ouvrirent le sépulchre, duquel prestement sailly ung grant noir dragon tout puant et très-hideux, ne aultre chose n'y trouvèrent, mais sambloit que le sépulchre fut ars ou bruslé. Et ainsy l'ont tesmoingné plusieurs que ledit sépulchre ont veu, et qui à celle ouverture furent présens. Pour laquelle cause Karlomainne son filz, ou VI[e] an de sa coronation, renonça aux pompes du monde et se mist en religion, par le ordonnance du pape Zacharie, qui mesme luy vestit l'abit de saincte conversation. Et ung peu de tamps après, il s'en vint au mont de Cassin, où il se mist en l'ordre et rieule de sainct Benoît, et y fit profession ou gré de l'abbet. Et en cel an qu'il s'y mist, mist Pepin Grifon son frère hors de la prison, où Karlomainne son frère l'avoit mis. Adonc fut fait abbé d'Arras Aldaric, qui très-souverains estoit en l'art de médecine. Quant Grifon fut délivre de prison, comme dit est, il s'enfuy en Saxongne, et esmut les Saxons contre son frère Pepin. Si le persécuta Pepin grandement, et ou VII[e] an il le desconfit, et les Saxons avec. Ouquel an fist Pepin duc de Bavière de ung nommé Tassillon. Et puis donna-il derechief à Grifon son frère douze contés ou pays de Neustrie, mais il ne luy souffist mye atant, ains s'en ala à Gaifier le duc d'Acquitaine, pour avoir son ayde contre son frère Pepin. En ce tamps en Sicile et en Calabre fut une très-grant mortalité, et s'aparurent ès vestures des hommes et ès voiles des temples [1] petittes croisettes comme faites d'oille. Et ou VIII[e] an du règne Childéric, et du règne Pepin aussy VIII[e], c'est assavoir en l'an de Nostre Seigneur VII[c] et L, envoya Pepin ses messaiges au pape Zacharie, en lui demandant si les roys de France devoient ainsi demourer sans riens faire, fors seullement avoir nom de roy? Ausquelz légatz et messaiges du roy respondit le pape en disant, que celuy debvoit estre roy et appellé roy, qui gouvernoit la chose publique. Quant les Franchois le sceurent, ilz prindrent Childéric et le firent moinne. Ainsi fina le règne des Méroviens, c'est assavoir de Mérovée, qui avoit duré par le terme de III[c] LXXII ans, c'est assavoir depuis l'an de l'incarnation Nostre Seigneur III[c] LXXIX jusques à l'an VII[c] et L. Ou second an du règne Childéric, auquel an mourut Léon l'empereur, si fut Constantin son filz empereur. Ès tamps de Théodéric et de Childéric, furent papes de l'église de Romme, l'ung après l'aultre, Grégoire et Zacharie. Et atant fine le premier livre des histoires de Brabant.

[1] Au lieu de *temples*, il faut *femmes*, si l'on adopte la leçon d'un MS. latin, qui porte : *in velis feminarum*.

DEO GRATIAS.

EDMUNDI DYNTERI CHRONICON.

LIBER SECUNDUS.

INCIPIT EPYLOGUS [1] LIBRI SECUNDI HUJUS CRONICE.

Secundus, qui subsequitur, libellus indicat Karlentium generosam progeniem, ex Merovingorum majorumque domus prosapia descendentem; magnificosque Pipini Parvi et Karoli Magni filii ejus triumphos, Romanum etiam imperium Ytalicumque regnum ad eundem gloriosum regem et successores suos translatum; et qualiter ipse Karolus Magnus juxta divinam revelationem liberavit terram sanctam, et qualiter invitatus a sancto Jacobo liberavit Hispaniam et Saracenos expulit. Demonstrat etiam erectionem, dedicationem et consecrationem ecclesie Marie Aquensis. Describit etiam Normannicam cladem, post [2] contencionem filiorum Ludovici Pii imperatoris

[1] Seu potius *prologus*.

[2] Seu *per*.

Galliis illatam; necnon qualiter regna Gallie comate, scilicet Francie orientalis, sive Germanie Gallieque Belgice, sive Arelatensis atque Provincie, et etiam Gallie togate sive Francie occidentalis, necnon medium regnum Austrasiorum, quod, mutato nomine, ab imperatore Lothario Lotharingia vocatur, quandoque unum quandoque plura regna fuerunt, quorum possessores in eorum titulo se reges Francorum scripserunt. Et hec diversitas regum et regnorum in Gallia multas facit diversitates et contrarietates in scripturis, que gesta et antiquitates Gallicorum, Germanorum et Francorum descripserunt, hiis populis hec omnia imponentes. Et qualiter ipsum regnum specialiter divisum fuit inter fratres in Franciam occidentalem et in Franciam orientalem sive Germaniam, et in Lotharingiam, que magnam sustinuit cladem propter duas feminas Lotharii regis. Et qualiter Lotharingie regnum per divisionem devolutum fuit partim ad Germaniam et partim ad Franciam, et demum pars Francie per donationem devoluta fuit ad Germaniam et imperium Romanum; et qualiter frater fratrem, et consanguineus consanguineum de regno suo sive parte ipsius exterminaverit, sive nisus fuerit exterminare et expellere. Demonstrat etiam contentionem de successione regni Francorum inter heredes Karoli Calvi et Roberti, comitis Andegavorum, qui dicebatur Saxo, que tandem finem accepit in prodicione Karoli ducis Lotharingie, ab Anselmo episcopo Laudunensi vetulo traditore perpetrata, et Hugone duce, cognomento Capet, qui fuit successor quartus Roberti supradicti. Demonstrat etiam gesta Romanorum imperatorum et regum Germanie atque Lotharingie, usque ad imperium Ottonis tercii inclusive.

Explicit prologus, incipiunt capitula libri secundi [1].

De genealogia regum Francorum, qui Merovingi dicti sunt, et Karlentium ex eis procedentium.

De eo quod Pipinus, major domus regie, filius Karoli Martelli, ejecto

[1] In MS. codice Corsendonkano desiderantur, in hoc indiculo et per omnem hujus libri secundi decursum, capitulorum numeri.

Childerico, rege Francorum Merovingo, precepto Zacharie pape, a sancto Bonifacio Maguntino archiepiscopo in regem unctus est.

De pugna ejus contra Saxones.

De occisione Grifonis fratris ejus.

De Saracenis expulsis a Narbona.

Quomodo munitiones et civitates Saxonum destruxit, et Britanniam Francis subjugavit.

De eo quod Stephanus papa Pipinum apud sanctum Dyonisium secundo unxit, et Bertam reginam cum filiis Karolo et Karlomanno consecravit, et omnes anathematizavit, qui in Francia regem alienum ab eorum sanguine presumerent preficere.

Quomodo Aistulphum regem Longobardorum in Papia obsedit.

De terremotu.

De signis factis in Mesopotamia.

De morte Karlomanni monachi, quondam fratris Pipini regis.

De martirio sancti Bonifacii Maguntini archiepiscopi.

De morte Aistulphi regis Longobardorum.

De Waifero rege Aquitanie.

De capite beati Johannis Baptiste.

De miraculis ymaginis Christi.

De synodo apud Lestinias.

De morte Pipini et Waiferi.

Questio de translationibus regni et imperii in personas Pipini et Karoli Magni.

De regno Karoli Magni.

De Constantino imperatore.

De Adriano papa.

De Desiderio rege Longobardorum, et Adalgiso filio ejus, in civitate Papia obsessis.

De Amico et Amelio.

De eo quod Karolus regnum Longobardorum sibi subegit, et Saxones vicit.

De eo quod Karolus legendi et psallendi in ecclesia disciplinam diligenter correxit.

De eo quod Romani, contempnentes Constantinopolitanum imperium,

Karolum imperatorem in die natali Domini, Leone papa consentiente, fecerunt.

De tribus exercitibus Karoli victoribus.

Quomodo et quare Romanum imperium est honorandum.

De excellencia urbis et ecclesie Aquensis.

De pragmatica sanxione Karoli, et de erectione et consecratione ecclesie Aquensis predicte.

De liberali munificencia elemosine imperatoris Karoli.

De imperio dicti Karoli et forma ejus et robore.

De studio et moribus ejusdem.

Qualiter Karolus juxta divinam revelationem liberavit terram sanctam.

De sacris reliquiis, quas inde Aquisgranum detulit.

Qualiter invitatus per sanctum Jacobum liberavit Hispaniam.

De ydolis que subvertit, et ecclesiis quas edificavit.

De reditu Karoli in Hispaniam.

De pugna ejus contra Agolandum.

De quibusdam incidentiis illius temporis.

De translatione beati Bartholomei apostoli.

Qualiter Karolus exercitum Agolandi exploravit, eumque fugavit.

De reditu Karoli in Galliam et de principibus ejusdem.

De colloquio inter Karolum et Agolandum et de nece Agolandi.

De Ferracuto gigante et conflictu Rolandi contra eum.

De iterato conflictu et nece Ferracuti.

Qualiter Karolus Cordubam accepit, et totam Hispaniam beato Jacobo subjecit.

De proditione Gaveloni in bello Runciavallis.

De nece Marsirii regis et transitu Rolandi.

De exequiis Rolandi et ultione mortis ejus et Oliveri et morte Gaveloni.

De sepulturis militum apud Runciavallem interfectorum.

Qualiter Karolus post victorias beato Dyonisio gratias egit, eique totam Galliam subegit.

De revelatione corporis sancti Salvii martiris.

De translatione ejusdem.

De testamento quod Karolus fecit ecclesiis.

De transitu Karoli et ejus exequiis.

De canonizatione ejusdem.

De quatuor principibus, qui magni dicuntur, et quare.

De imperio Ludovici Pii et actibus ejus.

De quibusdam incidentiis illius temporis.

De Rabbano et scriptis ejus.

De ejusdem metrica laude crucis.

De translatione sancti Sebastiani a Roma in Suessionem, et translatione sanctorum Marcellini et Petri martirum et sancti Gregorii pape.

De quibusdam incidentiis illius temporis, et de depositione Ludovici imperatoris et ejusdem restauratione.

De morte Ludovici imperatoris, et de imperio Lotharii filii ejus, et etiam eventibus illius temporis.

De bello trium fratrum, filiorum Ludovici, et de divisione regnorum inter eosdem.

De morte Lotharii et imperio Ludovici, filii ejus secundi.

De divisione inter tres fratres, filios Lotharii imperatoris.

De matrimonio Lotharii, regis Lotharingie.

De regno Karoli Calvi, et qualiter debellat Britones.

Qualiter Lotharius rex dimisit Thietbergam uxorem legitimam, propter Waldradam suam concubinam, neptem archiepiscopi Coloniensis. Et de successione istius sceleris, qualiter Nycholaus scribit de ista materia Karolo Calvo, et direxit etiam idem papa epistolam Lothario regi.

Qualiter Ludovicus rex Germanie contra fratrem suum Karolum Calvum regnum Francie subjugare conatur.

De bello Roberti comitis Andegavensis, de genere Saxonum, contra Normannos, in quo interficitur.

Qualiter Ludovicus imperator ivit contra Saracenos patriam invadentes, et qualiter Lotharius rex fratri suo Ludovico venit in adjutorium.

Qualiter gens Bulgarorum convertitur ad fidem christianam.

Lotharius rex, citatus per papam Adrianum, vadit Romam.

Qualiter post mortem regis Lotharii Karolus Calvus rex Francorum sublimatur in regnum Lotharii.

Qualiter regnum Lotharii dividitur inter Ludovicum regem Germanie et Karolum Calvum fratrem suum, regem Francorum.

De tribus filiis Karoli Calvi, quorum duo infeliciter perierunt.

De rebellione contra Ludovicum imperatorem propter Grecos.

Qualiter imperator Ludovicus ivit Romam ad papam Johannem, a quo absolvitur a juramento duci Adalgiso prestito.

De locustis Gallie.

Qualiter Karolus Calvus obsedit civitatem Andegavensem, per Normannos occupatam.

De morte Ludovici imperatoris, et de incidentiis illius temporis.

Qualiter Karolus Calvus creatur imperator.

De excessibus Karoli Calvi imperatoris.

De morte Ludovici regis Germanorum.

Karolus Calvus conatur portionem fratris sui de regno Lotharingie usurpare.

Karolus Calvus secundo vadit Romam, et in reditu dedit Ermengardem filiam Ludovici imperatoris in uxorem Bosoni fratri Richildis regine, et cum ea regnum Arelatense sive Provincie.

De morte Karoli Calvi, cui in regno Francie succedit Ludovicus Balbus filius ejus.

De morte Ludovici Balbi, quo mortuo Boso rex Provincie inungitur in regem Burgundie.

De regno Ludovici et Karlomanni, filiorum Ludovici Balbi.

Qualiter Ludovicus et Karlomannus dant Ludovico regi Austrasiorum portionem regni Lotharingie, quam avus paterque tenuerant.

De morte Karlomanni regis Bavarie, patris Arnulphi, postea regis Germanorum et imperatoris Romanorum.

Qualiter Karolus tertius, filius Ludovici regis Germanorum, fit imperator post mortem Karoli Calvi patrui sui.

De morte Ludovici et regno Karlomanni.

Qualiter Karolus imperator tertius advocatur in Franciam, cujus ditioni Francigene se subjiciunt, et qualiter dat Godefrido regi Normannorum Gislam, filiam Lotharii regis Lotharingie, in uxorem, et Frisiam cum ea, et Godefridus fit christianus.

Hug filius Lotharii regis nititur recuperare regnum Lotharingie post mortem patris sui.

De clade Normannorum.

De visione Karoli imperatoris tertii.

De quibusdam incidentiis illius temporis, et specialiter. qualiter Godefridus rex Normannorum interficitur, Hug filius Lotharii capitur. et oculis prius erutis mittitur in monasterium.

Mortuo Karolo imperatore tertio, Arnulphus filius Karlomanni accepit regnum Germanorum.

Qualiter Berengarius et Guido confligunt pro imperio. et de successione eorundem.

De regno Odonis filii Roberti, qui consensu Arnulphi assumitur in regem Francorum.

Qualiter Arnulphus debellat Normannos et vicit.

Qualiter Karolus Simplex, postumus Ludovici regis. in regnum elevatur contra Odonem.

De multis incidentiis illius temporis, et specialiter inter Odonem et Karolum. et de Arnulpho et de imperatoribus Ytalie.

De morte Odonis et regno Karoli Simplicis.

De morte Arnulphi et regno Ludovicifilii sui in Germania.

De imperio Ludovici filii Bosonis in Ytalia.

De morte Ludovici regis Germanie et Lotharingie. filii Arnulphi imperatoris, cui succedit Conrardus, ex genere Francorum orientalium priundus.

De regno ejusdem Conrardi.

De captione et morte Ludovici imperatoris Ytalie, filii Bosonis.

De rebellione Roberti fratris Odonis contra Karolum Simplicem.

De morte Conrardi regis, cui successit Heinricus filius Ottonis Saxonum ducis.

Qualiter Robertus frater Odonis perimitur in bello a Karolo Simplici.

De proditione comitis Herberti, et incarceratione regis Karoli et ejus morte.

De regno Rodulphi ducis Burgundie.

De regno Ludovici filii Karoli Simplicis.

De lancea et clavis Christi.

Moritur Heinricus rex, cui succedit Otto filius suus.

De rebellione contra Ottonem.

Ludovicus rex Francie duxit Gherbergam sororem Ottonis in uxorem.

Datur advocacia abbacie Gemblacensis Lamberto comiti Lovaniensi per Ottonem imperatorem.

Capitur Ludovicus rex, quem Otto liberat.

Moritur Ludovicus rex Francie, cui succedit Lotharius filius suus.

De imperio Ottonis primi.

De morte Ottonis primi et regno Ottonis secundi.

Lotharius rex et Otto pacificantur.

Otto secundus moritur, succedit Otto tertius.

Moritur Lotharius rex, cui succedit Ludovicus filius ejus.

De regno Karoli ducis Lotharingie, patrui Ludovici.

De morte Karoli ducis, cui successit in ducatu Lotharingie Otto filius ejus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS HUJUS CRONICE.

Genealogia Merovingorum et Karlentium. CAP. I [1].

Marchomirus dux genuit Pharamundum regem; Pharamundus rex genuit Clodium: Clodius rex genuit Meroveum: Meroveus rex genuit Childericum: Childericus rex genuit Clodoveum, quem sanctus Remigius baptizavit: Clodoveus rex genuit Lotharium et fratres ejus: Lotharius rex genuit Chilpericum et fratres ejus: Chilpericus genuit Lotharium secundum, magnum regem: Lotharius rex genuit Dagobertum et Blichildem sororem ejus.

Genealogia Karlentium ex stirpe Merovingorum procedentium

Ansbertus senator, de orientali Francia, duxit supradictam filiam Blichildem filiam Lotharii regis, et genuit ex ea Arnoldum senatorem: Arnoldus senator genuit sanctum Arnulphum Metensem episcopum: sanctus Arnulphus dux, postea episcopus, genuit Ansigisum ducem: Ansigisus genuit Pipinum majorem sive secundum, alias de Herstallio: Pipinus dux genuit Karolum Martellum, victoriosum ducem: Karolus Martellus genuit Pipinum Parvum, prius ducem post regem: Pipinus rex genuit Karolum Magnum imperatorem et Karlomannum fratrem ejus: Karolus Magnus imperator genuit Ludovicum Pium, Augustum: Ludovicus imperator genuit Lotharium, Ludovicum et Karolum Calvum, gloriosum regem: Karolus Calvus genuit Ludovicum Balbum regem; Ludovicus

[1] Capitulorum numeros, quos in MS. cod. Carsendenkano desiderari dixi, adscribendos esse duxi, habita (quantum fieri potuit) ratione eorum quae supra in ipso capitulorum indiculo memorantur. Multum itaque excrevit numerorum series, quod quidem ad vitandam diversarum rerum confusionem necesse erat. In aliis vero Dynteriani chronici MSS. codicibus secundus hic liber capita dumtaxat triginta et unum habet.

rex genuit Ludovicum et Karlomannum ex concubina, et Karolum Simplicem ex uxore legitima; Karolus Simplex rex genuit Ludovicum regem: Ludovicus rex genuit Lotharium regem et Karolum ducem Lotharingie et Brabancie; Lotharius rex genuit Ludovicum regem. Hic mortuus est sine herede, et Hugo dux, cognomento Capet, usurpat regnum Francorum contra Karolum ducem fratrem Lotharii regis. Hic deficit progenies Karoli Magni in successione regum Francorum.

De eo quod Pipinus Parvus ex duce constitutus sit rex Francorum, et de iniciis regni illius. Cap. II.

751. Anno Domini DCC° LI°, anno Constantini imperatoris X°. Pipinus princeps, filius Karoli Martelli, auctoritate apostolica et Francorum electione a sancto Bonefacio Maguntino archiepiscopo in regem inungitur, et regnat annis XVIII, post annos circiter LXXXVIII, postquam majores domus ceperunt regnare super reges Francorum. Anno primo regni sui Pipinus rex contra Saxones pugnat. Grifo, dum confugium facere voluisset, a Theodino, viro illustri, interfectus est. Huic Theodino montes Alpini in custodia erant commissi. Exinde omnis terra Francorum Pipini sub jugo admissa est. Anno secundo Pipinus rex exercitum duxit in Gociam: Narbonam civitatem sub custodia directa post triennium obtinuit; Saracenis expulsis a Gocia, christianos ab eorum dominio liberavit. Anno tertio Pipinus rex Saxoniam adiit, civitatesque cum firmitatibus destruxit. Inde revertens, suos usque versus Britanniam ducens, Veneris castrum conquirit, Britanniamque Francis subjugavit.

De unctione et victoria Pipini. Cap. III.

Anno quarto Pipini regis, Zacharia Romano pontifice defuncto, beatus Stephanus succedit, qui persecutione Haistulphi in Franciam venit, ubi egrotavit usque ad mortem, et in ecclesia sancti Dyonisii, ante altare ejusdem et allocutione ipsius martiris, pristinam salutem recepit, et pro benedictione pastorali, et ob testimonium rei geste posteris demonstrandi,

pallium et claves apostolice dignitatis ibi reliquit, unxitque in reges Francorum florentissimum regem Pipinum et duos filios, Karolum et Karlomannum. Sed et Bertam[1] conjugem incliti regis Pipini, indutam cicladibus regiis, gratia septiformis Spiritus in Dei nomine consignavit, atque Francorum proceres apostolica benedictione sanctificans, auctoritate beati Petri sibi a Domino tradita obligavit et obtestatus est, ut nunquam de altera stirpe per succedentium temporum curricula ipsi vel quique ex eorum progenie orti regem super se presumant aliquomodo constituere, nisi de eorum progenie. Tunc gloriosus rex Pipinus, congregans proceres regie potestatis, eosque ammonitione tanti patris imbuens, statuit cum eis, que, Christo favente, una cum eodem papa decreverat perficere. Tunc Francorum consilio direxit suos missos Haistulpho, nequissimo Longobardorum regi, ut pacifice ablata restitueret ecclesiis: sed et Haistulphus omnia facere renuit. Cernens vero Pipinus quod atrocissimi Haistulphi nequiret saxeum cor emollire, premisit ante suum occursum aliquos ex suis proceribus, ad custodiendas Francorum clausas. Quod audiens protervus Haistulphus super eos repente ruit cum suis exercitibus, sed Dei bonitas Francis contulit victoriam, ita ut ipse Haistulphus fugam arriperet, et absque armis pre timore Francorum in Papia se reclusit civitate. Quam Pipinus obsidens et multum confringens, atrocissimus Haistulphus veniam postulans, omnimodo se professus est redditurum civitates: pactoque confirmato recipiendi ipsas civitates, rex Pipinus consiliarium suum Fulradum, ecclesie sancti Dyonisii abbatem, misit, et continuo rex cum suis in Franciam feliciter rediit. Notandum quod, priusquam hoc certamen Pipini contra Haistulphum peractum fuisset, missus est Karlomannus monachus ab Haistulpho ad fratrem suum Pipinum regem, ad perturbandam apostolicam petitionem. Karlomannus monachus in eodem itinere ossa sancti Benedicti abbatis ab ecclesia Floriacensi, ubi olim translata fuerant, tollere nititur, ut ea ad castrum Cassinum referret: miraculis a Deo ostensis et Francis obsistentibus, ab opere incepto prohibetur. Hoc tempore terremotus terribilis factus est, quo urbes, alie quidem ex toto, alie ex parte subverse sunt, alie autem a montanis ad subjecta campestria, cum muris et habitationibus suis, integre et salve plus quam ultra sex milliaria trans-

[1] Seu *Bertradam.*

migraverunt. In Mesopotamia etiam terra disrupta est usque ad duo milliaria, et abhinc alia terra nimis alba et arenosa de profundo ejus ascendit, et ex ea animal mulinum ascendit incontaminatum, humana voce loquens, pronuncians incursionem gentis ab heremo adversus Arabes. Karlomannus monachus et rex Vienne moritur. Sanctus Bonifacius Maguntie archiepiscopus cum suis sociis in Frisia ab inimicis fidei martirizatur, et in Fulda, cenobio quod ipse in Thuringia fundaverat, honorifice sepelitur.

De eo quod Pipinus rex Haistulphum regem Longobardorum ad deditionem compulerit. Cap. IV.

756. Anno Pipini V° pestifer Haistulphus, quodam loco venationi intentus, divino judicio fulmine percussus atrocissima morte interiit. Tunc Desiderius quidam dux, audiens Haistulphum obiisse, illico congregans multitudinem exercitus, auxilio predicti pape et Fulradi abbatis sancti Dyonisii, super Rachisum, fratrem Haistulphi regis Longobardorum, arripuit regale fastigium. Postea idem beatissimus papa Stephanus, Deo annuente rempublicam dilatans, dominicam plebem ut bonus pastor ab insidiis inimicorum eruit, cursumque vite sue consummans, Dei vocatione ad vitam transiit sempiternam.

De Saxonibus sub tributo redactis, et conciliatione Tassilonis. Cap. V.

Anno septimo regni sui Pipinus fortiter Saxonum munitiones irrumpit, et post multam stragem eos sub tributo redegit. Sequenti anno Waiferus filius Eudonis, dux Aquitanie, res Francorum injuste vexando iram Pipini incurrit; eoque Aquitaniam ingresso fedus ficte pacis iniit. Eodem anno Constantinus imperator Pipino organum misit, inter multa antea non visum in Francia. Quo anno placitum agens Compendio, villa publica, Tassilonem regno Francorum sacramentis conciliat, spondentem se fidelem esse regi per cuncta tempora.

De victoria Pipini contra Alvernicos et alios. CAP. VI.

Anno IX° Saxones Pipinus adiens, eorum destruxit firmitates, castra metatus est in loco, qui dicitur Situna [1], quo multi Saxones ceciderunt, reliqui vero ipsorum quotannis vectigal CCC equorum polliciti sunt solvere. Eodem anno natus est regi filius, cui nomen suum imposuit, qui vivens duobus annis in tertio obiit Waifero a pacis federe averso. Pipinus rex Alvernicum pagum premit, depopulando multa castella, ipsamque urbem Alvernis capit, et Blandinum urbis comitem cum multis abducit: Bithuricam etiam urbem capit et captam munit. Caput beati Johannis Baptiste in Emesa civitate transfertur. Tassilo dux a rege Pipino omnino avertitur. Thurci, a Caspiis portis erumpentes, Armeniam infestant. In quorum patria cum antiquo tempore pestilencia orta fuisset, suasu christianorum in modum crucis se totonderunt, et quia per hoc signum salus patrie reddita fuerat, hunc ritum tondendi tenuerunt. Waiferus diffidens suis rebus, muros urbium Aquitanie subvertit solotenus; quos restaurans Pipinus ad suorum tutelam fidis commisit principibus. Pipinus rex Lemovicinam regionem cede et incendio depopulatur. Stelle subito vise de celo descendisse ita omnes exterruerunt, ut putarent finem mundi imminere. Pipinus rex Agenum, Petragoricas et Angolismam, urbes Aquitanie, devastat, multamque Aquitanie partem sibi subjugat.

Tempore Constantini imperatoris et Hyrene uxoris sue in Syria civitate Miraculum crucifixi. Beritho, que subjacet Antiochie, judei ymaginem Jhesu Salvatoris invenientes in domo cujusdam judei, ibi relictam a quodam christiano qui ibi manserat, eam incuriose deposuerunt, et omnia obprobria, que judei Jhesu Christo intulerunt, ymagini Dei inferebant, illudentes ei, in faciem conspuentes atque percutientes, criminose conviciantes, manus et pedes clavis configentes, acetum et fel ei porrigentes. Tandem lancea latere ejus aperto exivit de eo sanguis et aqua; que ampulla supposita suscipientes ad experimentum, utrum fuerint vera miracula, que Jhesum fecisse audierant, omnes infirmos in synagoga sua collectos hoc sanguine aspergebant, et quocunque languore detinebantur, omnes sanabantur. Unde judei tandem

[1] Seu *Sitinia*.

compuncti ad Deodatum civitatis episcopum concurrerunt, eique re enarrata ymaginem ei cum sanguine dederunt. Quibus baptizatis episcopus sanguinem per ampullas longe lateque dirigens, predicabat magnalia Dei, obtestans ut singulis annis, V° ydus novembris, celebretur passio ymaginis Christi.

Pipinus rex Remistanium fratrem Eudonis, patruum Waiferi, qui a Waifero ad se et a se ad Waiferum transfugerat, captum a suis in bello, suspendit in patibulo. Rex Saracenorum Amirmonon, ab Hispania missis legatis et acceptis et datis muneribus, affectat gratiam et amiciciam Pipini regis. Pipinus ultimo exterminio Aquitaniam atterit, Sanctonas capit, ibique Waiferi matrem et sorores et nepotes captos et neptes secum abducit.

Pipinus gloriosus rex dampnationem patris sui Karoli cognoscens, synodum apud Liptinias congregari fecit, cui prefuit, cum sancto Bonefacio, legatus apostolice sedis Gregorius nomine. Nam et synodum ipsam habemus, et quantumcunque de rebus ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, prout potuit, ecclesiis reddere curavit. Et quoniam omnes res ecclesiis, a quibus ablate erant, restaurare, propter concertationem, quam cum Waifero duce Aquitanorum habebat, non prevaluit, precarias fieri ab ipsis episcopis exinde petiit; et nonas et decimas ad restaurationem ecclesiarum, et de unaquaque ecclesia XII denarios, ad casam, cujus res beneficiate sunt, sicut in libro capitulorum regum habetur, dari constituit, usque dum ipse res ad ecclesiam devenirent. Longa contencio inter Pipinum et Waiferum finitur, quia a suis, pertesis malorum, in gratiam Pipini perimitur.

De morte Pipini regis et translationibus regni et imperii. Cap. VII.

768. Anno XVIII° regni sui gloriosus rex Pipinus, qui regnum Francorum rexerat nobiliter per XVIII annos, Parisiis, morbo intercutis aque deficiens, mortuus est, et in monasterio sancti Dyonisii humatus. Floruerunt hiis temporibus sancti pontifices Romani: Zacharias, Stephanus, Paulus et Stephanus.

Questio quorundam ammirantium de translationibus regni et imperii in personas Pipini Parvi et Karoli Magni.

Quia nonnulli hujus temporis clerici et layci, qui annales principum historias et gesta veterum nescientes, et Francorum Germanorumque et Lotharingie regum, necnon principum atque ducum Lotharingie inferioris

et Brabancie originem et successionem ignorantes. spiritu indignationis inflati hujusmodi vel in corde vel ore faciunt questionem. ammirantes quare Pipinus Parvus, filius Karoli Martelli. ex duce et majore domus. jussu Zacharie pape. a sancto Bonefacio Maguntinensi archiepiscopo assumptus fuerit et inunctus in regem Francorum. post annos circiter LXXXVIII, postquam ejus predecessores majores domus ceperunt regnare super reges Francorum, antequam ipse Pipinus fuit inunctus in regem. et postea idem Pipinus. anno regni sui quarto. a beato Stephano. cum uxore sua Bertrada Eraclii imperatoris filia. et filiis suis Karlomanno et Karolo. in regem fuerit consecratus. ac per eum omnis generatio eorum in hereditatem regalis successionis imperpetuum fuerit confirmata. qui omnes invasores ejusdem regni anathematizaverat. Childerico eorum rege. de propagine Trojanorum sive Merovingorum. attonso et in monasterio sancti Medardi Suessionis truso: attento quod de progenie ejusdem Childerici principes adhuc erant in regno, habiles et ydonei ad gubernacula regni suscipienda : et pari modo ammirantes quare summus pontifex imperium Romanum in personam magnifici Karoli, predicti Pipini Parvi filii. de Grecis transtulit in Germanos, populum tam rudem et ineptum. qui, cum seipsos neque in ornatu vestium neque in morum compositione regere sciant, quomodo regnum tocius ecclesie sive mundi gubernabunt: vel. si transferendum fuit, tunc transferri debuit pocius in Gallicos togatos, presertim cum ipse Karolus fuit rex Francorum. et Gallici sunt homines, qui omnibus consideratis merito sunt cunctis hominibus preferendi? Ne igitur propter hujusmodi cogitantium suggestionem humana temeritas immutare presumat statum sacri imperii atque nobilissimi Francorum regni, pro declaratione sive demonstratione premissorum est sciendum. quod non eventu vel casu fortuito, sed magna sanctorum principum actum est solercia, et permaxima Grecorum et Romanorum atque Merovingorum desidia, quod translatio hujusmodi facta sit in personas Pipini et Karoli predictorum. qui ambo fuerunt duces Brabancie. et ibi nati et nutriti; que sita est in Germania sive regno Lotharingie sub imperio Romano. Non est dubium, spiritus sancti ordinatione, secundum qualitatem temporum et exigenciam meritorum humanorum, imperium Romanorum et regnum Francorum gubernari et disponi; quia certum est. quod Creator sue presidet creature, et quod justo Dei et irreprehensibili

agitur judicio, et secundum merita cleri et populi aliqua ecclesia habeat advocatum, aliqua nullum, aliqua vero pro rege tyrannum ad vindictam reprobatorum et exercicium electorum. Prophetalis etiam scriptura dicit, quod gens et regnum, que non serviunt ecclesie militanti, solitudine vastabuntur, quodque multa dominia vi et injuria occupata justicia et religione servata sunt, et dominia, ut plurimum labore quesita, magna vigilancie et solercie utriusque studio exerceri oportet. Et licet Deus, propter cleri et populi delicta, ad presens ecclesiam, imperium atque regnum conciliari permittat, et hactenus permiserit, tamen Deus omnes ejus contemptores et offensores odivit et punivit. Deus etiam mutat regna, disponit tempora, peccata punit, que infirma sunt mundi eligit, ut fortia confundat. Utinam principes Germani, ad quos ecclesie sive regnum mundi est translatum, saperent justiciam et eam diligerent, et imperatori sive regi Romanorum, quem ipsis loco justicie posuit, reverenter intenderent, eique etiam Dei ministro honoris debitum exhiberent! Et utinam principes, presertim hii ad quos pertinet jus et potestas elegendi regem, in imperatorem postmodum promovendum, pericula, que evenient sublato Romano imperio, previderent, et ne ipsi per ambitionem temporalis protestatis jura et possessiones imperii sibi vendicarent et usurparent! Utinam etiam pares et principes Francie saperent justiciam et eam intelligerent, et regi eorum intenderent, et honoris debitum exhiberent, et per ambitionem temporalis potestatis jura et possessiones regni non vendicarent, neque usurparent! Sed quia scriptura dicit : « Necesse est, ut veniant scandala : ve tamen illis per quos scandala sunt ventura! » et vere necesse est, quia tantus ardor dominandi et habendi cor eorum obcecavit, ut non velint facere veritatem et justiciam quam noverunt, nec audire ab aliis quam ignorant, sicut scriptum est : « Oculos habent, et non videbunt; aures habent, et non audient, etc. »

De regno fratrum Karoli Magni et Karlomanni. Cap. VIII.

769. Anno Domini DCC° LXIX°, anno Constantini imperatoris XXVIII°, Karolus Magnus filius Pipini et Karlomannus frater ejus regnaverunt in Francia. Karolus Magnus XLVI annis regnavit, et Karlomannus tribus. Anno primo regni Karoli Magni, Hunaldo rebellionem in Aquitania medi-

tante. Karolus Aquitania potitur, omnesque Aquitanos et Wascones in deditionem accipit. Hunaldum, qui ad Lupum Wasconum ducem fugerat, a Lupo sibi cum uxore remissum secum abducit, et sic Aquitanicum bellum finivit. Desiderius rex Longobardorum, sub obtentu orandi, Romam ingressus, aliquos nobilium Romanorum captos excecavit. Anno secundo Karolus rex celebravit in Wormacia civitate concilium. Anno tertio Karlomannus rex, regis Karoli frater, obiit; pars regni ejus partibus Karoli regni se jungit, et uxor ejus cum filio et Anthario Franco ad Desiderium regem Ytalie confugit. Hunaldus dux Aquitanie Romam, quasi ibi perseveraturus, venit. Qui ad Longobardos fugiens apostatavit, ibique non multo post lapidibus obrutus male periit. Constantinus imperator contra Bulgares navali prelio pugnaturus, navibus suis fere duobus millibus impetu aquilonis contritis, totum pene exercitum amisit. Adrianus nonagesimus Romane ecclesie presidet. Hic, ad reprimendam rabiem hereticorum, imagines Dei sanctorumque execrantium, nimis laboravit, et libro adversus eos edito, multis scripturarum inductionibus roborato, errores eorum infirmavit, fidemque rectam solidavit; hic in offertoriis et in offertoriorum versibus, quod geminatum est, geminavit.

Karolus rex ad Saxonicum bellum animum intendit, Heresburch castrum Saxonum capit, Hormensul fanum destruit. Ibique siti laborante exercitu, subito in torrente largissimo aque effuse sunt, divino nutu: votique compos Karolus obsides pacis accipit a Saxonibus.

De synodo Romana et potestate tradita Karolo regi a domino papa supra ecclesias. Cap. IX.

Anno quarto Adrianus papa ad tuendas res ecclesie Karolum Rome accersiit. Quo pergens Papiam obsedit, ibique relicto exercitu Romam pervenit, sanctamque resurrectionem ibi peregit. Postea rediens, Papiam cepit, iterumque Romam rediit. Synodum Adrianus papa cum eo aliisque centum quinquaginta tribus religiosis episcopis et abbatibus constituit, in qua Adrianus papa cum universa synodo dedit ei jus eligendi pontificem et ordinandi apostolicam sedem, dignitatemque patriciatus; insuper archiepiscopos et episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere dif-

finivit, et ut, nisi a rege laudetur et investiatur, episcopus a nemine consecretur. Omnesque huic decreto rebelles anathematizavit, et nisi resipiscerent, bona eorum publicari jussit. Anno quinto Saxones, rege absente, fines Francorum premunt igne et cede, sed ecclesiam in Frictislaer nequeunt incendere, quam sanctus Bonefacius benedixit, eamque nunquam cremandam predixit. Karolus rex offensus dissonancia cantus ecclesie inter Romanos et Gallos, et malens de puro fonte quam de turbato rivo bibere, duos clericos Romam misit, ut auctenticum cantum a Romanis discerent et Gallos docerent. Et per hos primo Metensis ecclesia, et per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus revocata est.

Inter obsidendum Ticinum rex Karolus, diviso exercitu, multas urbes ultra Padum comprehendit, inter quas Veronam capit, in qua Antharius Francus, cum uxore Karlomanni et filiis ejus latens, se cum eis regi dedit. Adalgisus vero Desiderii regis filius, qui illuc fugerat, inde elapsus Constantinopolim fugit.

De regno Longobardorum quod Karolus rex subegit. Cap. X.

774. Anno Domini DCC° LXXIIII°, anno Karoli regis VII°, Constantini vero imperatoris XXXIII°, obsidionem Papiensium pestilencia mortalitatis aggravante, civitas Karolo aperitur. Desiderius rex cum uxore et filia et cunctis principibus capitur, et perpetuo exilio ad Gallias Algifredo Leodicensium episcopo dirigitur. Alius liber dicit, quod Karolus Desiderium regem in Franciam misit, eumque jussit in ecclesia sancti Dyonisii tonsurari et monachum fieri, quod et factum est: ibique usque ad ultimum vite sue diem moratus est, sepultusque est ibidem in sinistra parte monasterii. Quidquid per multa tempora Longobardi Romanis abstulerant, Karolus eis restituit. Regno vero Longobardorum destructo, totam Ytaliam sub jure regni Francorum redigit. Et taliter Longobardi victi regnare destiterunt, post annos CC IIII, ex quo in Ytalia regnare ceperunt. Karolus rex Saxoniam repetit, tripertito exercitu concurrit Saxonibus, eique victoria provenit in omnibus.

De victoria Karoli contra Saxones et morte Constantini imperatoris. Cap. XI.

Anno VIII° Karolus rex Sigeburch castrum Saxonum capit, ter cum eis confligit, et victor obsides pacis ab eis accipit. Constantinus imperator plaga pessimi incendii divinitus percutitur, et clamans: « Adhuc vivus igni sum inextinguibili traditus, » miserabiliter moritur; post quem filius ejus Leo annis V imperat.

Anno IX°, quibusdam in Ytalia rebellionem meditantibus, Ytaliam repetit potens rex Karolus, urbem Forum Julii capit, et ducem ejus Rofgandum, rebellionis incentorem, decollari precepit, captaque Tarnisio urbe ceteris majestate nominis sui terrorem incutit. Saxonibus Heresburch castrum obsidentibus, gloria Dei super ecclesiam apparuit omnibus, duobus scilicet scutis sanguineo colore fulgentibus quosdam motus ut in bello per aera dantibus. Karolus Saxoniam velut tempestas proterit, munitiones irrumpit, et ad hoc eos compellit, ut se in provinciam ei concedant, et datis obsidibus se christianos futuros spondeant.

De obsidione Heresburch et miraculo super ecclesiam illius castri viso.

De confederatione Saxonum et pluribus civitatibus a Karolo captis. Cap. XII.

Anno X° Vinthichindus dux Saxonum in Normanniam fugit. Saxones vero baptizari paciscuntur, ut ingenuitatem suam et sua omnia perdant, si unquam a fidelitate Christi et regis desistant. Karolus in Hispania Cesaraugustam vastando delet, Pampiloniam obsidet, et capta murisque destructis Wascones duosque Saracenorum regulos sibi subigit, aliquasque urbes in deditionem accipit. Saxones precepto Vinthichindi Franciam atterunt: sed a Karolo victi fuga sibi consulunt.

Anno XI° Karolos rex in Saxoniam rediens, Westphalos sibi subjugat: Hiltrandus dux Spoleti Karolo regi se subdit, ejusque gratiam multis muneribus redimit.

De subjugatione Westphalorum et aliorum.

Anno XII° Karolus rex Albiam fluvium transgreditur, ibique in ejus gratiam Bardogavenses et Norduïte baptizantur. Tassilo dux Bavarie contra

Karolum regem rebellat hortatu uxoris sue, que filia erat Desiderii regis, et exilium patris sui per maritum suum temptabat vindicare.

Anno XIII° Leo imperator, cum insaniret cupiditate circa preciosos lapides, adamavit magnam ecclesie coronam, et accipiens asportavit eam; et exierunt carbunculi a capite ejus, et captus a febre mortuus est. Post quem uxor ejus Hyrene cum filio suo Constantino imperat annis X. Karolus rex orationis causa vadit Romam, ibique filii ejus inunguntur in reges. Pipinus super Italiam, Ludovicus super Aquitaniam. Tassilo dux Bavarie ab Adriano papa Karolo reconciliatur.

De lamina inventa et ejus mirabilibus.

Anno XIIII° Constantini, quidam laminam auream invenit, et in ea virum jacentem cum scriptura hac : « Christus nascetur ex virgine Maria et credo in eum : sub Constantino et Hyrene imperatoribus, o sol, iterum me videbis. »

Saxones iterum rebellant, et a Karolo in bello victi sediciosos usque ad quatuor millia et quingentos ei tradunt, et obsides ei tribuunt. Anno XV° Saxones rebellantes, a Karolo rege victi, usque ad internecionem delentur. Anno XVI° Saxones et Frisones rebellant; Westphali a Karolo, Karoli regis filio, debellantur. Anno XVII° Karolus Saxoniam depopulatur; Vinthichindus et Albion, Saxonum duces, Karolo reconciliati baptizantur, et motus Saxonum reprimuntur. Anno XVIII° Karolus rex Adulphum senescallum suum contra Britones mittit, et per eum multa Britonum castra et principes eorum capit.

De adventu Karoli apud Romam et de aliis. Cap. XIII.

787. Anno XIX° Karolus rex Romam venit et contra Heregisum Beneventi ducem vadit. Heregisus, muneribus et obsidibus datis, gratiam ejus redimit. Bellum inter Francos et Avares oritur. Signum crucis in vestibus hominum apparet. Sanguis de celo in terram profluxit.

Anno XX° Tassilo dux Bavarie contra Karolum regem reus majestatis adjudicatur; unde a Karolo tonsus cum filio ejus Theodone in monasterio relegatur. In Ytalia inter Grecos et Romanos pugnatur; secundo in Ytalia inter Francos et Avares pugnatur; tercio inter Avares et Bajoarios pugnatur; quarto inter Avares et Francos pugnatur; et in omnibus provenisse

suis Karolus victoriam letatur. Conjuratio valida facta est ab Austrasiis contra Karolum regem actore Herderico; qua detecta multi aut membris truncantur aut exulantur. Karolus Colonie super Renum pontes duos constituit et munit, et Slaviam ingressus eam sibi subigit. Adalgisus filius Desiderii regis, qui victo patre suo ad Grecos confugerat, animatus auxilio Grecorum, ad Ytaliam venit ad repetendum regnum aut inferendam ultionem. Qui inito bello cum Francis, tentus ab eis amara morte peremptus est.

De consonancia cantus quem Adrianus papa in Franciam misit.
Cap. XIV.

Anno Domini DCC° XCI°, anno vero Karoli regis XXI°, idem impera- 791.
tor, honestati ecclesie omnino intentus, legendi et psallendi disciplinam diligenter correxit. Perpendens enim iterum Gallos a Romanis discrepare, Metenses vero sola note levitate paulum quid dissonare, per cantores rursum sibi ab Adriano papa directos a Roma, dissonanciam cantus correxit. Circa pauperes etiam non solum sollicitus in regno suo, verum etiam trans maria, in Egipto et Syria, in Africa, et precipue in Jherosolimis liberalitate eleëmosynarum christianis pauperibus solaciabantur, transmarinorum regum propter hoc amicicias maxime expetens, ut christianis sub eis degentibus esset relevatio. Alcuinus, Britannia oriundus, magister deliciosus regis Karoli scientia litterarum prepollet in Gallia, cujus precipue magisterio ipse rex omnes liberales artes didicit. Hic multa scripsit, inter que eminent libri de sancta trinitate, scripti ad ipsum regem. Hic etiam jussu ipsius regis divinam historiam correxit. Anno XXII° Constantinus matrem suam Hyrenem imperio privat, solusque annis VII imperat. Karolus rex regnum Avarum terra marique impetit, eisque sola fuga spem evadendi reliquit.

Anno XXIII° Constantinus imperator congressus Cardanio Bulgari, turpiter victus dehonestatur. Pipinus, ex concubina Karoli regis filius, gibbo deformis, a quibusdam Francorum primoribus promissione regni illectus, contra patrem conjuravit. Unde convictus tonsuratur et in Prumia cenobio retrusus, usque ad finem vite Deo militavit. Complices vero conjurationis alii exiliantur, pauci perimuntur. Anno XXIIII° Saxones in fide Dei et fide-

litate regis vacillant. Constantinus imperator multos principum, sibi suspectos, oculis privat.

Anno XXV° Karolus rex, non solum patria lingua sed etiam peregrinis linguis eruditus, barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum bella et actus canebantur, scripsit et memorie commendavit. Inchoavit etiam grammaticam patrii sermonis; mensibus anni juxta propriam, id est theutonicam, linguam vocabula imposuit: ventos etiam XII propriis nominibus appellavit, cum antea tantum quatuor cardinales venti nominarentur.

De veneratione quam Karolus sancte ecclesie fecit, et de ministris ecclesie, et de aliis. Cap. XV.

Anno XXVI° Saxones virtute Karoli conterriti reddunt se Christi et regis fidelitati. Karolus rex, christianam religionem sancte et pie colens, ecclesias omnimodis honorabat ac ornabat sacris vasis ac vestibus, edicens ne janitoribus liceret communi habitu in ecclesia ministrare. Construxit Aquisgrani basilicam plurime pulchritudinis, ad cujus constructuram a Roma et Ravenna columpnas et marmora devehi fecit. Anno XXVII° Leo nonagesimus primus Romane ecclesie presidet, qui mox clavem confessionis sancti Petri cum vexillo Romane urbis Karolo regi misit.

Anno XXVIII° Heinricus dux Foro Julianorum, expoliato in Pannonia Avarum principe Yringo, inestimabilem thesaurum ejus misit regi Karolo. Thudin princeps Avarum se et patriam suam Karolo regi dedit, et gratiam baptismi percepit.

Anno XXIX° Hyrene imperatrix, super erepto sibi imperio femineo dolore abusa, Constantinum filium suum oculis et imperio privat, et sola annis tribus imperat. Thatin Hispanus, Barchinone prefectus, se Karolo regi dedit, et Barchinonam, que ab illo desciverat, reddit. Karolus rex gravi bello et prelio Saxones vincit.

Anno XXX° Adelphon rex Galichie regi Karolo multa munera mittit. Sol obtenebratus est per dies XVII. Constantinus imperator moritur. In Hispania Barchinona, Saracenis reddita, a Karoli militibus est obsessa. Leonem papam, celebritatem letanie majoris agentem, Romani capiunt, et linguam oculosque evellunt. Cui voce et visu divinitus redditis, iterum oculos et

linguam radicitus evellunt. Qui de manu eorum erutus, ad Karolum fugit, quanto cicius potuit.

Anno XXXI° Karolus rex Leonem papam in sede apostolica relocat: ipse vero Romam properat, causas examinat, reos legaliter dampnat, sicque omnes Romanorum motus sedat. Gens Avarum a fide deficit. Baleares insule auxilio Francorum a Saracenis defensantur.

Anno XXXII° per Widonem Karoli ducem Britones vincuntur, et in deditione recipiuntur. Geroldus dux Bavarie in Pannonia Avaribus congressus perimitur, de quo in visione Quintini legitur, quod inter martires annumeratus sit. In mense julio, contra naturam, aspero gelu concreta bis fuit pruina, sed nichil fructibus nocuit.

Quomodo et quare Romanum imperium ab omnibus est honorandum. Cap. XVI.

Multipharie, multisque modis, Dominus universorum, in diebus sue carnis, dignatus est honorare Romanum imperium, dando in semetipso exemplum, tamquam dominus et magister, Romanum imperium fore ab omnibus honorandum. Honoravit quidem Dominus Cesarem sive regem Romanum, mundum ingrediens, in mundo progrediens, et mundum egrediens. Verbi gratia, mundum istum secundum carnem ingrediens, in duobus Romanum honoravit imperium. Primo in hoc, quod tempore sui adventus per ipsum Cesarem totum orbem pacavit, ut pro ipsius Domini presencia pax esset in universa terra, ad significandum quod ipse esset pax nostra, et per eum, ut dicit apostolus ad Colocenses, reconcilianda erant omnia que sunt in celo et in terra. *Unde psalmus :* « Posuit prodigia, id est judicia future reconciliationis, super terram, auferens bella usque ad fines terre. » *Et alibi :* « Orietur in diebus Domini habundancia pacis. » Secundo, in ingressu suo, approbavit et honoravit Romanum imperium, mox ut natus est, censui Cesaris se subdendo. Unde *Augustinus in glossa super evangelium Luce* sic dicit : « Humilitas Christi commendatur, qui non solum incarnari voluit, sed etiam nasci in illo tempore, in quo natus est, ut mox censui Cesaris subderetur. Natus est enim in diebus professionis, quoniam singuli ibant in suas civitates, unde oriundi erant, ut profiterentur tribum suam.

censum et regem. Sic ergo Dominus, mundum ingrediens, dupliciter honoravit Romanum imperium, sive Cesarem : universum mundum pacando; censui. Cesari ac ministerio se subjiciendo. Item Dominus, in diebus sue carnis progrediens in hoc mundo, Romanum imperium dupliciter honoravit : primo, quia dedit tributum ei pro se et pro Petro, ut legitur *Matthei XVII° capitulo;* secundo, quia non solum ei tributum dedit, sed ei dare etiam precepit. *Matthei XXII° capitulo :* « Reddite, que sunt Cesaris, Cesari, etc. » Augustinus super hoc dicit dandum esse censum et tributum. Item Dominus, egrediens mundum, bis approbavit et honoravit Cesarem Romanum seu Romanum imperatorem : primo, dum dicentibus apostolis: Ecce duo gladii hic, Dominus, ut dicit *Lucas,* respondit: Satis est. Ecce quod duo gladii, qui duas potestates designant, hic in presenti seculo satis est. Et quid dicere est : Satis est, nisi : Sufficit, et nichil deest. Protestatus ergo Dominus est sua ipsius voce, potestatem sacerdotalem et potestatem imperialem, que tunc maxime vigebat, mundo sufficere, et ei quoad regimen tam in spiritualibus quam in temporalibus nichil deesse. Unde Gelasius papa dicit : « Duo sunt quibus hic mundus principaliter regitur, pontificalis auctoritas et regalis potestas. He sunt potestates principales, per quas Dominus discernit et distribuit jura humano generi, ut genus humanum per juris regulas ad vitandum mala et faciendum bona salubriter reformetur. » Secundo Dominus morte instante approbavit Romanum imperium. Dum enim Pylatus jactaret se de potestate, quam haberet in Christum, et diceret ei : « Nescis quod habeo potestatem crucifigere te et dimittere te? » Dominus, ut dicit Johannes, respondit : « Non haberes potestatem ullam in me, nisi datum esset tibi desuper, » id est a Deo, quia non est potestas nisi a Deo; vel desuper, id est a Cesare, quia Pylatum prefecerat in presidem. Unde super hiis verbis : Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris, dicit glossa : « Judei terrent Pylatum a Cesare, quem non potuit, ut auctorem sue potestatis, contempnere; Deus enim fuit auctor potestatis Pylati primarius, Cesar autem secundarius. » Secundum hunc posteriorem intellectum Dominus in verbis hiis multum commendat Romanum imperium; ostendit enim potestatem Cesaris aliis potestatibus mundanis preeminere et ipsas sub ea contineri. Quid est enim potestatem dare desuper, nisi dari ab eo, cujus supereminet potestas, et alias potestates mundanas tamquam inferiores et minores sub se continet et includit? Item Dominus non solum honoravit sed honorat Romanum imperium in hoc,

quod Romano imperio stante non veniet homo peccati, filius perditionis, Antichristus, ut legitur in *epistola secunda ad Thessalonicenses, capitulo secundo*, ubi dicit apostolus: « Qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat: et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui. » Super verbis istis apostoli dicit glossa, quod apostolus in hiis verbis: Qui tenet nunc, teneat, etc., Romanum imperium designat, quo destructo veniet Antichristus. Unde Romanus imperator, qui Romanum imperium sive mundum tenet, de rege ad regem successione teneat, donec Romanum imperium auferat de medio. De medio enim fieri est de communi conspectu hominum auferri. Augustinus *V° libro de civitate Dei* super hiis verbis apostoli sic dicit: « Illud quod ait apostolus, ut qui modo tenet teneat, donec de medio fiat, non absurde de Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum sit: Qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat, id est de medio tollatur, et tunc revelabitur ille iniquus, quem significare Antichristum nemo ambigit. Magnus honor est Romano imperio quod Dominus in hoc pre ceteris ipsum previlegiare dignatus est, quod non veniet Antichristus et membrorum ejus adversarius, nisi prius Romanum imperium penitus sit ablatum. Ablato autem Romano imperio erit tribulatio talis et tanta, qualis et quanta, ut legitur in Mattheo et Marco, non fuit ab inicio mundi usque modo, neque fiet. In diebus enim illis in tantum habundabit iniquitas et infidelitas, ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi, respectu hujus tribulationis gravissime tempora priora videbuntur tempora pacis fuisse. Unde psalmus: « Orietur in diebus Domini habundancia pacis et justicia, donec auferatur luna, » id est Romanum imperium, quod per lunam designatur. Unde apostolus Timotheo scribit: « Hoc autem scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; » et dicit instabunt, quia prius non fuerunt periculosa. Et durabit illa tribulatio tribus annis et dimidio. » *Glossa super Mattheum et Marcum*. Et colligitur hoc ex apocalipsi Johannis et Daniele. Sicut autem Christus, dominus et magister omnium, in se Romanum imperium honoravit, ita beatus Petrus, cui Dominus ecclesiam suam regendam commisit, honorari precepit in epistola sua, dicens: « Deum timete et regem honorificate. » Utinam Germani, ad quos mundi regnum est translatum et ecclesie regnum est commissum, saperent justiciam et eam diligerent, et regi, quem Dominus eis loco justicie posuit, reverenter intenderent, eique sicut Dei ministro honoris debitum exhiberent! Utinam, exaltati per Roma-

num imperium et dilatati, magnitudinem bonorum eis collatorum intelligerent et non essent ingrati! Utinam principes, presertim hii, ad quos pertinet jus et potestas eligendi regem, in imperatorem postea promovendum, pericula, que venient sublato Romano imperio, providerent! Dum enim sublatum fuerit Romanum imperium, tribulatio tanta fiet in mundo, quod, nisi dies illius tribulationis, ut dicitur in Mattheo et Marco, fuissent breviati, non fieret salva omnis caro. Utinam ergo Germani, ad quos imperiale regnum est translatum, hujus regis, quem Dominus posuit in prodigium super terram, novissima previderent, et sublationem ejus pertimerent! Licet enim necesse sit, ut veniant scandala, ve tamen illis per quos scandala sunt ventura. Et attende quod Treverensis, Coloniensis et Maguntinensis civitatum et dyocesium populi sunt Germani, et eorum archiepiscopi, qui tenentur regem eligere, adjuncto sibi comite palatino, qui dicitur comes palatinus a palacio, quod est in civitate Treverensi, quod olim fuit domus regni, a qua dicebantur majores domus, qui modo dicuntur comites palatini. Et hii populi dicuntur Germani, quia ab eodem germine ortum habentes cum Romanis, videlicet de Trojanis, Enea scilicet et Priamo juniore: vel dicuntur Germani, quia de germanorum germine germinati. Julius enim imperator illam terram Romano subegit imperio, et eam Romanis habitatoribus occupavit, et propter hoc debitus ordo requirebat, ut sicut Romani tamquam majores sacerdocium, Germani tamquam minores regnum obtinerent. De eodem enim fonte, principio sive germine regnum et sacerdocium processerunt. Quod autem Saxonie dux et Brandeburgensis marchio et rex Bohemie ad regis seu imperatoris eleccionem sunt vocandi, hoc est postmodum propter quandam necessitatem introductum, quia tempore translationis imperii de Grecis ad Germanos, que facta est sub Karolo rege magnifico, Saxones vel non erant fideles, vel in fide novelli erant. Item notandum, quod, cum Antichristus venturus non sit, nisi prius imperium destruatur, indubitanter omnes illi, qui ad hoc dant operam, ut non sit imperium, quantum ad hoc, sunt precursores et nuncii Antichristi. Caveant ergo Germani et eorum pontifices, ne peccatis suis et culpis exigentibus, justo Dei judicio imperium ab ipsis auferatur. Caveant nichilominus presules et principes Germani, ne ipsi per ambitionem temporalis potestatis jura sibi et possessiones imperii vendicent et usurpent, quia, sicut scriptum est, necesse est, ut veniant scandala, ve autem illis, per quos scandala sunt ventura:

et vere necesse est. quia tantus ardor dominandi et habendi cor eorum excecavit, ut non velint facere veritatem. quam noverunt. nec audire ab aliis quam ignorant, sicut scriptum est : « Oculos habent et non videbunt. aures habent et non audient, etc. »

Karolus rex Francorum fit imperator Romanorum, et est prima eleccio ejus inicium imperii Karoli. Martirizatio sancti Salvii et inventio corporis ejus a Karolo. Cap. XVII.

Anno Domini DCCC°. anno vero Karoli regis Francorum XXXIII°. 800.
Romani, qui ab imperatore Constantinopolitano jam diu desciverant. animo nunc accepta occasionis oportunitate. quia mulier. excecato imperatore Constantino filio suo. eis imperabat. uno omnium consensu Karolo regi imperatorias laudes offerunt. eumque per Leonis pape manum coronant Cesarem, oblato patricii nomine. et Augustum appellant. et a cuncto populo Romano acclamatum est: « Karolo Augusto. a Deo coronato. magno et pacifico imperatori Romanorum. vita et victoria: » post quas laudes unctus ab apostolico et. antiquorum more principum. ab eodem adoratus est. Pipinum vero filium ejus regem Ytalie ordinatum collaudant. Amymur [1] rex Persarum Karolo imperatori elephantem et multa munera mittit. Barchinona capitur: in Ytalia quoque Theate civitas a Francis capitur. Sanctus Salvius episcopus. veniens ab Aquitania ad fiscum Valencianas. a Winigardo, filio Genardi procuratoris ipsius fisci. martirizatur. Et super corpore ejus requirendo Karolus Magnus imperator tertio divinitus ammonitus. corpus inventum honorifice sepelivit. interfectores autem ejus gravi pena multavit. nec tamen in eos per hoc ulcio cessavit.

De justicia constituta, de XXIII legis capitulis, et de aliis. Cap. XVIII.

Anno XXXIV° Karolus imperator et rex Francorum per omne imperium suum legatos ad faciendum judicium et justiciam cunctis dirigit. et

[1] Alias *Aaron* seu *Amira*.

legis capitula XXIII constituit. Legati imperatoris Karoli. ab Aaron amira venientes [1]. inter cetera munera ossa Cipriani. Carthaginensis episcopi et martiris. et Sperati, primi Scillitanorum martiris. et caput Pantaleonis martiris in Franciam afferunt.

Anno XXXV° Karolus imperator omnes Saxones trans Albiam morantes in Franciam transtulit, pagosque eorum Abroditis dedit. Karolus per omne imperium justicias facit. et legis capitula XXIX instituit. Leo papa ad Karolum imperatorem in Franciam venit.

Anno XXXVI° Avares, qui et Huni, a Karolo et Francis longo bello sunt adeo perdomiti et fortitudine sua ita sunt diminuti, ut qui alios solebant ultro lacessere. jam nec se ab aliis valeant tueri, et quidquid pecunie et thesauri. per tot secula orbem terrarum vincendo. sibi congesserant. totum victorie Francorum cessit.

Anno XXXVII° Karolus. indignantibus imperatoribus Constantinopolitanis propter invidiam imperatorii nominis a Romanis sibi impositi. magna potencia et magnanimitate eos tulit, et, quia suspectam habebant suam potenciam, crebris eos legationibus sibi firmissimo federe conciliavit.

Anno XXXVIII° Karolus particionem regni inter filios suos facit.

Anno XXXIX° Karolus, per manum Pauli dyaconi sui. decerpens optima queque de scriptis catholicorum patrum. lectiones unicuique festivitati convenientes, per circulum anni in ecclesiis legendas, compilari facit. Rex Persarum Karolum imperatorem preciosis muneribus honorat per legatos.

Anno XL° Karolus imperator Eardul [2] regem Nordanymbrorum. regno et patria pulsum, potencia sua regno et patrie restituit.

Anno XLI° Pipinus filius Karoli. rex Ytalie, Veneciam sibi subegit. et non multo post Mediolani obiit. Et Karolus imperator Veneciam Nychoforo imperatori Constantinopolitano reddidit.

Anno XLII° Karolus in trespartes regni sui tres exercitus misit : unum trans Albiam, qui Hilmones [3] debellavit : alterum in Pannoniam, qui reliquias Hunorum et Slavos compressit: tercium contra Britones, qui eorum perfidiam contudit : et ubique sibi victoria provenit. Karolus imperator rerum suarum heredem Christum testamento facit, et duas mensas argen-

[1] Sigeb. ad an. 802.

[2] *Eardulph* apud Sigeb. ad an. 808.

[3] *Hilinones*, ibid. ad an. 810.

teas et thecam auream. atque bibliothecam cum libris. et generaliter quidquid in re mancipi habebat. in tres partes divisit: unam pauperibus et famulantibus palacio delegavit: duas vero reliquas partes in partes XXI subdivisit, et metropolitanis episcopis, qui totidem sibi suberant, distribuit. sic ut metropolis ecclesia terciam assignate sibi partis haberet, et duas alteras inter episcopos suffraganeos subdivideret. Nomina archiepiscopalium civitatum. que erant sub Karolo: Roma, Ravenna. Mediolanum. Forum Julii, que et Aquileya, Gradus, Colonia, Maguncia, Juvanum. que et Zalsburch, Treveris. Senonis. Vesuncio, Lugdunum. Vienna. Rothomagum, Remis Arelas. Darentesia. Ebredunum. Burdegala. Turonis. Bythurica.

Anno XLIII° Maguncie pons quingentorum passuum longitudinis trans Renum. quem Karolus per octo annos ingenti labore et mirabili opere de lignis construxerat. ita ut perpetuo durare posse videretur. ita tribus horis conflagravit, ut ne una quidem hastula [1] super aquam remaneret.

Anno XLIIII° Karolus imperator Ludovico filio suo coronam imperialem imposuit.

Anno XLV° Karolus imperator per totas Gallias concilia super statu ecclesiarum ab episcopis celebrari edicit: unum fuit Maguncie. alterum Remis. tercium Turonis. quartum Cabilonis. quintum Arelati.

Sequuntur gesta Amici et Amelii, sumpta ex Speculo historiali, lib. XXIV, *cap.* 162. *De duobus pueris consimilibus, Amico et Amelio.* CAP. XIX [2].

Temporibus Pipini regis Francorum orti sunt duo pueri miro modo sibi consimiles, unus ex comite Alvernensi. alius ex milite quodam Berichano [3]. Qui cum a parentibus baptismatis causa Romam deferrentur. in Luca civitate se invicem invenerunt. et societate inter se firmata Romam ingressi sunt, tantaque inter parvulos societas et voluntatis ydentitas

[1] Alias *trabula*.

[2] Amici et Amelii vitam in suo *Speculo historiali* inseruit Vincentius Bellovacensis, eamque ex illo descripsit Dynterus. Veterem et integrum illius fabulae seu legendae textum latinum, pluries gallice adornatum, edidit Mone, *Anzeiger für Kunde der teutschen Vorzeit*, 1836, p. 146. Cfr. *ibid.*, p. 353 et 420.

[3] Alias *Berieano*.

fuit. ut unus sine alio nollet cibum sumere, nec in alio cubiculo requiescere. Oblati igitur sancto pape Deusdedit ab eo sunt baptizati, qui filio comitis imposuit nomen Amelius. et filio militis Amicus, multique Romanorum militum eos cum gaudio de fonte sacro susceperunt. Posthec ipse papa duos cyphos ligneos pari amplitudine, compositos auro et gemmis, dedit eis, dicens : « Accipite hoc donum, quod vobis in eternum sit testimonium, quod ego vos in basilica sancti Salvatoris baptizavi. » Quibus gratuito acceptis ad propria sunt reversi. Adultum vero Berichanum, scilicet Amicum, quasi alterum Salomonem Deus magna sapiencia decoravit. Quem. cum esset annorum XXX, pater ejus, senex languore correptus, vir nobilis et sanctus, premonuit Christi miliciam exercere, fidem Domini servare, sociis et amicis auxilium ferre, misericordie opera exercere. et preterea societatem filii comitis Alvernensis et amiciciam oblivioni nullatenus tradere. Mox autem maligni homines juveni ceperunt invidere, eique dolos et insidias latenter parare; at ille omnes amabat, et injurias sibi illatas pacienter tolerabat. Adeo tamen contra eum iniquitas impiorum crevit. quod eum de paterne hereditatis castro cum tota familia ejus expulerint. Qui assumptis decem servis suis ait : « Festinemus ad curiam comitis Amelii. michi societate et amicicia juncti; forsitan nos bonis suis ditabit. Sin autem, ibimus ad Hildegardem, Karoli regis Francorum uxorem, que consulere semper ejectis consuevit. » Euntes autem ad curiam comitis pervenerunt, sed ipsum non invenerunt; perrexerat enim Bericum visitare ipsum Amicum suum, cujus patrem audierat esse defunctum. Quem non inveniens tristis decessit, seque non rediturum ad patriam, nisi prius eum inveniret, proposuit. Sed ipse Amicus comitem cum suis querere non cessavit, donec apud quemdam nobilem virum hospitatus est. Qui, audito infortunio quod eis acciderat, sponte filiam suam ei in conjugem tradidit.

Qualiter se invicem querentes invenerunt, et ad curiam Karoli venerint. Cap. 165.

Post annum autem et dimidium ibi transactum Amicus Parisius festinavit cum servis suis, ut quereret comitem Amelium, et ipse jam per byennium quesierat Amicum. Qui cum appropinquasset Parisius, inveniens quendam peregrinum interrogavit. si vidisset Amicum, militem Berichanum, a patria expulsum. Qui cum responderet se nunquam vidisse eum, comes abstractam tunicam dedit ei, rogans ut pro eo oraret ad Dominum, quatenus labori suo, quem byennio jam paciebatur, finem imponeret. Peregrinus autem iter faciens circa vesperam invenit Amicum, qui requisivit ab eo,

utrum audiisset aliquid de Amelio, Alvernensis comitis filio. Qui respondit : « Quid me peregrinum deludis? Nonne tu es Amelius, qui hodie a me quesisti, si vidissem Amicum Berichanum, et hanc tunicam michi dedisti? » Cui Amicus ait : « Non sum ego Amelius sed Amicus, qui non cesso eum querere. » Cumque peregrinus, ab eo rogatus ut oraret pro eo, accepisset denarios in eleëmosinam, dixit ei : « Festina miles Parisius, ibi, spero, invenies eum quem queris. » Festinans ergo Amicus invenit eum extra Parisius juxta Sequanam, in prato florido cum militibus suis comedentem. Qui cum vidissent Berichanos armatos venientes, cito surrexerunt, et arreptis armis obviam cucurrerunt. Amicus suorum animos ad pugnam animavit, putans illos esse Parisianos milites, qui aggredi eos vellent. Laxatis igitur frenis utrinque concurrunt, hastas erigunt, enses evaginant, ita ut nullum ex ipsis evadere crederes ingruentis periculum mortis. Sed Deus, qui cuncta disposuit, in fronte utramque partem sistere fecit. Tunc Amicus ait : « Unde estis milites fortissimi, qui Amicum exulem cum sociis interficere vultis? » Ad hanc vocem Amelius pallidus obstupuit, et Amicum agnovit. Mox illis decentibus invicem stringuntur amplexibus, oscula sumunt, et de tam improvida leticia Deo gratias reddunt, fidem inter se spondent, et ad curiam Karoli simul venerunt. Factusque est Amicus thezaurarius regis, Amelius dapifer. Teneres juvenes, moderatos, sapientes, pulcherrimos, pares uno et eodem vultu, ab omnibus dilectos et honoratos!

Qualiter Amicus Amelium a crimine liberavit, eique filiam regis tradidit Cap. 164.

Transacto itaque triennio dicit Amicus Amelio : « Uxorem meam videre desidero, et, quam cicius potero, redibo; tu vero manens in curia regis cave tibi ab ejus filia, maximeque a nequissimi comitis Harderici fallaci amicicia. » Quo verbis ejus annuente discessit. Amelius vero super regis filiam oculos injecit, et eam, quanto cicius potuit, oppressit. Interea delator Hardericus, qui iniquitate gaudebat, et omni probitati invidebat, Amelium sic alloquitur : « Nescis, karissime comes, Amicum thezaurarium regis furatum esse, et ideo fugisse? Nunc ergo ini mecum fedus amicicie, et fidem meam super sanctorum reliquias accipe. » Quo facto, Amelius ei secreta sua non timuit fideliter pandere. Dum ergo die quadam ante regem staret, ut aquam illius manibus preberet, Hardericus ait : « Noli, rex, aquam accipere de manu scelerati, qui magis dignus est morte quam honore, quia florem virginitatis abstulit filie tue. » Ad hec Amelius tremens cecidit, et stupidus non respondit. Rex

autem benignus eum levavit, et ait : « Ne timeas, Ameli, surge et viriliter ab hac infamia te defende. » Qui surgens ait : « Noli, rex justissime, verbis mendacibus Harderici delatoris credere, sed spacium consilii michi concede, ut coram te de hac infamia duellum cum eo faciam, et eum de mendacio astante curia convincam. » Quod cum annuisset rex, Amelii causam Hildegardis regina tuendam suscepit. Qui dum consilium quereret, Amicum ad regis curiam redeuntem invenit. Cui prostratus ad pedes ait : « O unica salutis nostre spes, heu fidem male servavi, quia crimen de filia regis incurri, et ante conspectum ejus cum falso Harderico duellum statui. » Qui cum eundem dure increpasset, ait : « Commutemus vestimenta et equos, et vade ad domum meam, et cum proditore comite bellum, Deo adjuvante, pro te faciam. » Cui comes Amelius respondit : « Quomodo ad domum tuam proficiscar, qui uxorem et familiam tuam non novi, neque illorum faciem vidi? » Respondit Amicus : « Secure ad domum meam perge, et que sit familia atque uxor mea, prudenter quere; sed cave ne ullo modo tangas uxorem meam. » Cumque flentes discessissent, abiit Amicus ad curiam, sub specie Amelii, et Amelius ad domum socii, sub specie Amici. At uxor Amici, ut vidit Amelium, credens suum esse virum, amplexus et osculum ei prebere voluit. At ille respondit : « Recede a me, quia instat michi tempus flendi et non gaudendi. » In nocte autem, cum intrassent in lectum, ensem inter se et ipsam posuit : « Vide, inquit, ne michi appropinquaveris, quia statim hoc ense morieris. » Sic reliquas duxerunt noctes, donec Amicus rediit. Interim Amicus, indutus socii vestimentis, ad regem ingrediens, se contra Hardericum pro infamia pugnaturum obtulit. Cui rex ait : « Noli timere, comes, quia, si victor fueris, eandem filiam meam Belixendam pro uxore tibi tradam. » Mane igitur, hora prima, Hardericus et Amicus armati exeunt in campum, astante rege et tota gente Parisiana. Tunc Amicus, consciencie sue timens, Hardericum sic alloquitur : « O comes, nimis stultum accepisti consilium, qui mortem meam tam ardenter appetis, et te mortis periculo tam imprudenter committis. Sed si falsum crimen, quod michi imponis, velles refellere, et duellum exiciale dimittere, semper meam amiciciam et servicium posses habere. » Ad hec ille furibundus respondit, se de amicicia ejus et servicio non curare, sed et caput ejus aufferre velle. Jurat igitur eum filiam regis oppressisse, jurat et Amicus Hardericum mentitum esse. Certantibus illis,

victus est Hardericus, delator impiissimus. Unicam vero filiam ab infamia liberatam rex Karolus Amico, ut putabat Amelio, in uxorem tradens, quandam juxta morem civitatem ad inhabitandum eis dedit. Qua suscepta, gaudenter Amicus ad domum suam, ubi erat Amelius, festinavit eique dicit : « Ecce, de Harderico traditore te vindicavi, et filiam regis tibi desponsavi. » Quam ille reversus suscepit, et in prefata civitate cum ea habitavit.

Qualiter Amicus lepra percussus, et abjectus ab Amelio susceptus est. Cap. 165.

Amicum vero cum uxore sua manentem percussit Deus morbo lepre, ita ut de lecto non posset surgere. Quem cum uxor ejus, Obias nomine, exosum haberet, et eum multociens suffocare vellet, vocatis ad se duobus servis suis ait : « Tollite me de manibus uxoris mee, ciphumque meum accipite, et ad Bericanum castrum me portate. » Quod cum fecissent, turba obvia quesivit, quis esset infirmus quem illuc deferrent. Iste est, inquiunt, Amicus dominus, vir lepra percussus, qui ad nos venit rogans, ut ejus misereamini. Mox illi impii servos verberaverunt, et ipsum Amicum de curru projecerunt, minantes eis mortem si amplius hoc verbum repeterent. Tunc Amicus in fletum prorumpens ait : « Piissime Deus, aut mortem michi tribue, aut michi misero misericordie subsidium porrige. » Posthec se Romam perduci fecit, ubi papa Constantinus ei occurrit cum multis Romanis militibus, qui eum de baptismi fonte susceperant, et magna humanitatis auxilia sufficienter prebuerunt. Post triennium vero fames tam gravis orta est in civitate, ut etiam a se pater filium expelleret. Tunc servis urgentibus inde recessit, et ad domum comitis Amelii se perduci fecit, ante cujus curiam cum tabellas, more talium infirmorum, tangeret, comes audiens dixit cuidam servo suo : « Panes et carnes accipe, et Romanum ciphum optimo imple vino, et defer illi infirmo. » Minister, ut jussum implevit, reversus dixit : « Per fidem meam, domine, nisi ciphum tuum tenerem, illum esse crederem, quem habet infirmus, quia ambo videntur unius pulchritudinis et magnitudinis. » Tunc comes infirmum jussit ad se perduci, et interrogavit unde esset, vel qualiter ciphum talem acquisivisset. Qui respondit se Bericano castro oriundum fuisse, et Rome a papa Deusdedit ciphum et baptismum recepisse. Statim ergo comes ille esse socium suum cognovit, qui eum a morte retraxerat et filiam regis in uxorem ei dederat; projecit se super illum clamans et flens, eumque osculans et amplexans. Uxor quoque ejus currens solutis crinibus super eum multas

lacrimas effudit, memorans qualiter Hardericum delatorem fortiter expugnavit. Denique introduxerunt eum in domum, et in lecto precioso eum collocaverunt, eique omnia bona sua communicaverunt.

Qualiter eum Amelius sanguine filiorum suorum aspergens curavit. Cap. 166.

Quadam nocte visus est angelus Domini Raphaël, eumque vocare, eique precipere, ut diceret Amelio comiti, quatenus duos filios suos interficeret, ipsumque sanguine illorum ablueret, et sic sanitatem reciperet. Quod cum ille cum magno tremore comiti retulisset, primo quidem comes graviter accepit; memor autem beneficiorum ejus, qui se pro eo coram rege obtulerat periculo mortis, accepto mucrone ad lectum filiorum dormientium perrexit, et incumbens super eos amarissime flevit dicens: « Quis unquam audivit filios patrem sponte interficere? Heu, filii mei, a modo non ero vobis pater sed cruentus laniator. » Et stillantibus super eos lacrimis excitati sunt, faciemque patris respicientes ridere ceperunt. Quibus etatem trium annorum jam habentibus dixit : « Risus vester, proch dolor, in luctum convertetur, quia sanguis vester innocens ab impio patre effundetur. » Hiis dictis eos decollavit, eorumque cadavera cum capitibus in lecto cooperta, quasi dormirent, reposuit. Sanguine vero, quem collegerat, socium aspersit, dicens: « Domine Jhesu Christe, qui fidem hominibus servare precepisti, et leprosum verbo tuo sanasti, hunc socium meum digneris mundare, pro cujus amore sanguinem filiorum meorum non timui fundere. » Statim ergo mundatus est, et a comite vestimentis suis optimis indutus. Dum autem ad ecclesiam currerent, ut ibi Deo gratias redderent, mox tintinabula Deo volente per se sonare ceperunt; quod ut populus audivit, undique admirando cucurrit. Comitissa vero, cum utrosque pariter incedere videret, cepit querere, quis eorum maritus ejus esset? « Indumenta, inquit, amborum cognosco, sed quis eorum sit comes, ignoro. » Cui comes ait: « Ego sum Amelius, et iste est socius meus Amicus, qui factus est sanus. » Verumptamen crebra comes suspiria trahebat, et mortem filiorum mente revolvebat. Cumque comitissa juberet afferri pueros, ut gratularentur eis, comes ait : « Dimitte eos placido sompno quiescere. » Post hec solus thalamum intravit, ut super eos fleret, et invenit eos in lectulo ludentes. Circa quorum colla cycatrices, ad modum fili rubei, usque ad mortem apparuerunt. Et suscipiens eos comes in ulnis suis, deportavit eos ad gremium uxoris et ait : « Gaude, conjunx, quia filii tui vivunt, quos occidi angeli jussione, et eorum Amicus mundatus est sanguine. » Ex tunc ergo comes et comitissa, usque ad

exitum vite servando castitatem, Dei servicio insistebant devote. Amici vero conjunx iniqua arrepta est a demone, et cadens per precipicium exspiravit. Amicus itaque movit ad Bericanos exercitum et tam diu obsedit eos, donec se victos reddiderunt. Quos ipse benigne suscepit, et omnem offensionis culpam benigne condonavit. Deoque ulterius in timore serviens pacifice cum eis habitavit [1].

De victoria Karoli contra Longobardos et nece sociorum Amici et Amelii. ex gestis eorum [2]. CAP. XX.

Adrianus papa, ut predictum est, legatos suos ob ecclesie Romane defensionem misit ad Karolum regem Francorum, qui valde affligebatur a Desiderio rege Longobardorum. Mox idem Karolus, rex mitissimus atque christianissimus, misit eidem Desiderio nuncios suos, deprecans ut civitates et reliqua, que beato Petro abstulerat, pacifice redderet, promittens etiam eidem dare XIIII millia solidorum auri. Sed cum neque precibus neque muneribus ejus ferocitatem flectere valeret, congregavit regni sui multitudinem ducum, principum et aliorum fortissimorum militum, necnon episcoporum et abbatum, inter quos fuit venerabilis Albinus Andegavensis episcopus, cujus vita et meritum jam in seculo floruerat. Cumque rex ad Clusas propinquasset, et volens pacifice beati Petri justicias recipere et sic ad propria redire, nullatenus Desiderii mentem malignam potuit inflectere, qui cum exercitu suo ad resistendum fortiter in ipsis Clusis assistebat, quas fabricis et materiis curiose munire fecerat. Sed Deus ejus iniquam proterviam conspiciens, dum vellent alia die Franci ad propria reverti, misit terrorem validamque trepidacionem in cor ejus omniumque Longobardorum, ita ut eadem nocte, propriis dimissis tentoriis et omni suppellectili, fugam omnes arriperent, nemine persequente. Quod cernens, Karolus cum exercitu persecutus est eos; in quo erant comes Amelius et Amicus, qui propria quidem officia in curia regis agebant, et tum operibus Christi cotidie studebant, jejunando, orando et eleëmosinas faciendo. Postea

[1] Sequuntur jam in MS. quaedam, antea similibus verbis enarrata, de gestis Karoli Magni. Haec omittenda esse duxi.

[2] Scilicet ex textu passionis Amelii et Amici. Vide Mone, op. cit. p. 158.

vero Disiderio cum parvo exercitu suo in Campania resistente maximo exercitui Francorum. Anglorum. Theutonicorum et aliarum gentium, que in Ytaliam intraverant, facto congressu in loco, qui dicebatur tunc Pulchra Silvula. quia delectabilis erat, mortua est ibi non parva multitudo exercitus, Karoli scilicet et Desiderii; et ob hanc interfectionem locus ille usque hodie Mortalis vel Mortalia vocatur. Ibi etiam interfectus est gener regis, comes Amelius, et socius ejus Amicus; quos enim Deus unanimi concordia et dilectione in vita conjunxit, in morte quoque separare noluit. Desiderius autem cum suis Papiam velociter aufugit, et Karolus eum persequens civitatem ex omni parte vallavit, moxque reginam Hildegardem cum filiis suis ad se adduci fecit. Hortante igitur beato Albino cum ceteris episcopis et abbatibus, ut ecclesia ibi fabricari et interfectorum corpora sepeliri juberentur, facte sunt ibi due ecclesie, una jussu regis, que dedicata est in honorem beati Eusebii Vercellensis, altera jussu regine, in honorem beati Petri.

[1] Cum autem sex mensibus rex urbem obsedisset, magnum habens desiderium visendi apostolorum limina, relicto exercitu Romam profectus est. Ubi dum in sabbato sancto ad beatum Petrum appropinquasset, fere uno miliario pedestris festinavit, omnesque gradus ecclesie singulatim osculans, ad Adrianum papam, ubi scilicet in atrio super gradus assistebat, juxta fores ecclesie pervenit. Illic ergo, celebrata paschali solempnitate, concessit civitates ac territoria beato Petro, sicut in eadem monstratur donatione.

[2] Rex autem, quia Amelium multum dilexerat et socium ejus Amicum, misit Mediolanum et jussit afferri duas arcas lapideas, in quarum una conditus Amelius, apud ecclesiam beati Petri, in altera vero Amicus, apud ecclesiam beati Eusebii. Reliqua vero corpora hic et illic sunt sepulta. Mane autem facto, divina dispositione inventum est corpus Amelii cum sarcofago juxta sarcofagum Amici in ecclesia regali. Interim exercitus Karoli in obsidione civitatis laboravit, donec post decem menses obsidionis, multis jam obsessorum languoribus et clade deficientibus, Dei nutu rex Karolus Desiderium cum suis comprehendit, et eorum regnum sue potestati subjugavit, ipsumque Desiderium et ejus conjugem secum in Franciam duxit. Passi

[1] Additur in MS. nota : *Ex Chronicis.* desumpta esse, quae sequuntur.

[2] Alia hic nota additur, scilicet ex Sigeberto

sunt autem Christi milites, Amicus et Amelius, sub prefato Desiderio, quarto ydus octobris.

De excellencia urbis et sancte Aquensis ecclesie. Cap. XXI.

Digne nec immerito inter summa summi imperatoris Karoli opera commemorari meruit et illa pulchritudinis et ammirandi decoris basilica, que Aquisgrani sub titulo et honore beate Dei genitricis semperque virginis Marie predicatur fundata. Cum enim religionem christianam, qua ab infancia fuerat imbutus, sanctissime et cum sancta pietate coleret, miri decoris et forme ammirande perfectionis ecclesiam predictam in loco prefato extruxit, quam auro et argento, luminaribus et vario ornatu solidi eris, cancellisque et januis magnifice et mirifice adornavit. Cujus summam vigilanciam in ejusdem operis edificio quis non stupebat, cum illius basilice materiam et formam diligencius attendat, et mirificum opus oculis et animo advertat? Que omnia, ut certissime credimus, divina sunt sibi ordinatione compacta, et ad unguem consummata. Ad cujus etiam fundationis structuram, cum columpnas aliunde habere non posset, a Roma atque Ravenna devehendas curavit. Ut enim dignam dignissime virgini fundaret ecclesiam, nullum laborem et sumptum recusavit. Ad laudem etiam beatissime virginis multis eandem basilicam animo inhianti decoravit ornamentis, quorum turbam, utpote infinitam, pertranseuntes, unum de multis in publicum perducere dignum duximus. Quodam namque tempore prefatus rex Persarum prefato Augusto Cesari magnifica transmisit munera, papilionem scilicet et tentoria vario colore respersa, mire magnitudinis et pulchritudinis. Erant autem omnia bissina, tam tentoria quam funes eorum, diversis tinctis coloribus; fuerunt autem munera et pallia prefati regis oloserica multa et valde preciosa ad ornamenta, et balsamum atque unguenta. Misit preterea *De mirifico horologio.* horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo XII horarum cursus ad clepsedram vertebantur, cum totidem ex eis pillulis que ad completionem horarum decidebant, et casu suo subjectum et symbolum resonare faciebant, additis in eodem horologio ejusdem numeri equitibus, qui XII fenestras, que prius erant aperte, claudebant. Insuper alia multa magnifice et laudabiliter disposita in eodem horologio fuisse memo-

rantur. Fuerunt preterea inter predicta munera duo candelabra mire proceritatis et forme precellentis : que omnia prefatus christianissimus imperator in ipsa Aquensi basilica virgini virginum consecravit. Consecrationem vero ejusdem basilice quanta solempnitate, quanta episcoporum et abbatum, quanta tocius regni primatum et principum numerositate celebraverit, accito etiam beatissimo Leone, sancte Romane sedis presule, series gestorum principalium manifeste declarat. Eadem namque illius ecclesie celeberrima dedicatio sub presencia metropolitanorum et episcoporum, numero trecentorum et sexaginta quinque, et cum innumerabili infinitate ducum, marchionum, comitum et baronum, gloriosissime est solempnizata, et sub honore beatissime virginis virginum, choro angelorum applaudente, et gloria in excelsis concinente est titulata. Basilicam ergo eandem inclitus ejus fundator, mane et vespere, item nocturno et sacrificii tempore, quoad valitudo corporis et sarcina imperii permittebant, in spiritu Dei et sacrificio cordis contriti et humiliati incessanter frequentabat. Quoad enim licuit et potuit, locum eundem et ejus habitationem sibi specialiter elegerat. Cujus affectionis ad ipsam Aquensem ecclesiam, ut plenius vestris auribus intimemus, paulo alcius repetentes, pragmatice sanxionis ejus auctoritate conscripte quedam verba in medium proponamus. Generali namque principum tocius imperii convocato concilio a piissimo et christianissimo Karolo, inter cetera sue sanxionis elogia, hoc quoque disseruit.

Pragmatica sanxio sancti Karoli Magni de erectione ecclesie Aquensis [1]. Cap. XXII.

« Nostis qualiter ad locum, qui Aquis ab aquarum calidarum aptatione traxit vocabulum, solito more venandi causa ingressus, sed perplexione silvarum, errore quoque viarum, a sociis sequestratus, inveni thermas calidorum fontium, et palacia inibi repperi, que quondam Granus, unus de Romanis principibus, frater Neronis et Agrippe, a principio construxerat. Que longa vetustate deserta ac demolita, frutetis quoque ac vepribus occupata, nunc renovavi, pede equi mei, in quo sedi, inter saltus rivis aquarum

[1] Est sermo ille de fundatione Aquisgranensis basilicae, qui exstat apud Miræum, *Op. dipl.*, I, 14.

calidarum perceptis et repertis; sed et ibidem monasterium sancte Marie, matri Domini nostri Jhesu Christi, omni labore et sumptu quo potui, edificavi, lapidibus ex marmore preciosis adornavi, quod Deo adjuvante et cooperante sic formam suscepit, ut nullum ipsi queat equiparari. Itaque tam egregio opere hujus eximie basilice non solum pro voto et desiderio meo, verum etiam ex divina gratia ad unguem perfecto, pignora apostolorum, martirum, confessorum et virginum ex diversis terris et regnis et precipue Grecorum collegi, que huic sancto intuli loco, ut eorum sufragiis regnum firmetur, et peccatorum indulgencia condonetur. Preterea a domino Leone, Romano pontifice, hujus templi consecrationem et dedicationem fieri impetravi, pre nimia devotione quam erga idem opus habui, et sanctorum pignora, que inibi recondita meo studio et labore habentur. Decebat enim, ut idem templum, quod cunctis monasticis edificiis in regno meo forma et structura preesse videtur, in honorem sancte Dei genitricis a nobis regali studio fundatum, dignitate consecrationis precelleret, sicut ipsa virgo super omnes choros sanctorum precellens exalta est; et ideo dominum apostolicum, qui omnes precellit ecclesiasticos gradus, ad consecrandum et dedicandum, ex sola cordis mei consideratione, elegi et accivi. Accivi etiam cum illo Romanos cardinales, episcopos quoque Italie quamplures et Gallie, simulque abbates et cujusque ordinis clerum etiam multum, qui huic sacre dedicationi interessent. Acciti sunt etiam multi Romani principes, prefectura et qualicunque dignitate noti, ad id solempne, duces, marchiones, comites, principes regni nostri, tam Ytalie quam Saxonie, tam Bavarie quam Alamannie, et utriusque Francie, tam orientalis quam occidentalis, in omnibus voto et desiderio meo obsequentes. Hic ergo, domino apostolico et omnibus predictis nobilibus et egregiis personis congregatis, ego merui ab omnibus optinere pro nimia devotione, quam erga ipsum locum et matrem Domini nostri Jhesu Christi habebam, ut in templo eodem regia sedes locaretur, et locus regalis et caput Gallie trans Alpes haberetur, ac in ipsa sede reges successores et heredes regni iniciarentur, et sic iniciati jure dehinc imperatoriam majestatem Rome sine ulla contradictione planius assequerentur. Confirmatum et sanxitum est hoc a domino apostolico Leone et a Karolo imperatore semper augusto, et primo auctore hujus templi et loci, quatenus ratum et inconvulsum hoc statutum et decretum nostrum maneat; et hic sedes regni trans Aples habeatur, sitque caput omnium civitatum et provin-

ciarum Gallie. Decrevimus etiam, ex assensu et benivolencia omnium principum regni, qui ad festum dedicationis venerant, ut locum et sedem regiam, pro murali presidio contra omnes turbines, episcopi, duces, marchiones, comites et omnes principes Gallie fines regni tueantur, semper locum hunc venerantes et honorantes. Decrevimus etiam, si qua injuria aut versucia contra leges, quas statuimus, surrexerit, libero aut servo nocere temptaverit, Aquis ad hanc sedem regiam, quam fecimus caput Gallie, veniat; veniant judices et defensores loci, et cum equitate legis cause discernantur; status legis resurgat, injuria condempnetur, et justicia reformetur. Nunc ergo, quia locum hunc majestate regie sedis, domini apostolici decreto et nostra imperiali potencia nostroque assensu exaltamus, honestate vero hujus templi et plurimorum sanctorum veneratione magnificavimus, decet nec incongruum videtur, quoniam ad hoc nimium meus figitur animus, ut peticio mea, cujus vos non solum auditores sed benivolos fautores fieri exoravi, apud vos obtineat, quatenus non solum clerici et laici loci hujus indigene, sed et omnes incole et advene hic inhabitare volentes, presentes et futuri, sub tuta et libera lege ab omni servili conditione vitam agant, et omnes pariter ex avis et attavis ad hanc sedem pertinentes, licet alibi moram facientes, ab hac lege, quam dictavero inpresentiarum, a nullo successore nostro vel ab aliquo machinatore legumque subversore infringantur, nunquam de manu regis alicui persone nobili vel ignobili in beneficio tradantur. »

Acquieverunt universi domini Magni Karoli imperatoris peticioni et voluntati, qui ad hoc solempne dedicationis templum ex diversis regnis confluxerant, ac bonum et acceptum coram Deo et hominibus domini apostolici et imperatoris decretum astrinxerunt, et omnium graduum episcoporum et abbatum quoque banno corroborari et confirmari hanc imperatoris peticionem universi, magni et parvi, acclamaverunt. Sed quia firmitatem vestram diucius prolixitate imperatorie orationis et pragmatice sanxionis iteratione detinere nequaquam presumimus, eis privilegiis, que preterea ecclesie Aquensi et civitati imperiali munificencia et precibus sunt collata, supersedentes, presentis opusculi primam partem suo fine quantocius concludamus, primicias ejus et terminum Deo consecrantes. Quod, si cujusdam diligens inquisitio imperialem munificenciam in exstructis et redivivis ecclesiis, locupletamque impensam plenius scire desiderat, historie ipsius aream latissime in splendore regii decoris diffusam fideli oculo per-

ambulet, ubi, ut dictum est, copiosos mire sanctitatis fructus et favi distillantis calamum inveniet.

Illic namque, inter hec et similia gloriose ejus operationis odoramenta, continget invenire quanta veneratione quamque inenarribili liberalitate, hylarem enim datorem Deum noverat diligere, hospites et peregrinos collegerit: quod sue pietatis opus non solum palacio, verum etiam regno suo videbatur importabile.

Illic enim quasi balsamum aromatizans gratuitam illam ejus munificenciam reperiet, quam Greci elëmosinam, nos miserationem vel misericordiam possumus nominare. Circa pauperes namque sustentandos vel misericorditer fovendos auxilio vere devotissimus, ut qui non in patria solum, verum etiam trans maria, in Syriam et Egyptum atque Affricam, Jherosolimis, Alexandrie atque Carthagini, ubi christianos in paupertate vivere compererat, penurie eorum compaciens pecuniam mittere solebat, cathenatos in vinculis et oppressos ergastariis Christi fideles sua eleëmosina redimi mandavit, per omnia vocem dominicam vite eterne largiter promerendo. Ob hoc etiam maxime transmarinorum regum amicicias expetebat, ut christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevationem misericordie perveniret [1].

De imperio dicti Karoli ac forma ejus et robore. Cap. XXIII.

Karolus igitur Magnus rex, cum super Francos regnasset annis XXXIII, primus Francorum imperator Romanorum, imperavit Romanis annis XIII. Cepit anno Domini DCCC° II°, mundi vero MMMM° DCCC° LXV°, diviso a Constantinopoli Romano imperio evolutis annis circiter quadringentis et LXVIII, ex quo Bisancium, Tracie civitas, a primo Constantino in novam ampliata et in regiam urbem est exaltata, et, translata in illam omnis Romane dignitatis gloria, in sedem Romani imperii fuit dedicata et nova Roma appellata.

Erat [2] hic Karolus corpore decorus, sed visu ferus: statura ejus octo

[1] Vid. Sigebert. ad an. 790.

[2] Ante vocem *Erat* notatur in MS. Cod. *Turpinus archiepiscopus Remensis*, quem fabulatorem auctor ducem sequitur et ex quo infra plura capitula describit. Cfr. Vincentius Bellovacensis, *op. cit.*, lib. XXV.

pedum suorum, scilicet qui erant longissimi. Renibus erat amplissimus, ventre congruus, brachiis et cruribus grossus; miles doctissimus et acerrimus, et omnibus artubus fortissimus. Facies ejus in longitudine habebat palmum et dimidium, barba unum palmum, nasus circiter dimidum. Frons erat unius pedis; oculi leonini, scintillantes ut carbunculus; supercilia dimidii palmi. Quemcunque iratus apertis oculis aspexisset, statim territus erat. Cingulum, quo cingebatur, octo pedibus extendebatur, preter illud quod dependebat. Parum panis comedebat; sed quartam partem arietis, aut gallinas duas, aut anserem unum, aut spatulam porcinam, aut pavonem, aut leporem integrum aut gruem comedebat. Modicum vinum limphatum bibebat. Tante fortitudinis erat, quod militem armatum super equum sedentem a vertice capitis usque ad bases simul in uno ictu propria spata secabat. Quatuor ferraturas equorum, simul junctas, manibus facile extendebat. Erat donis largissimus, in judiciis certissimus, in locutione luculentus.

Hic [1] Karolus in discenda grammatica Petrum Pisanum habuit adjutorem, et in ceteris disciplinis Albinum, cognomento Alcuinum. Religionem christianam summa pietate semper excoluit, et ecclesiam, mane et vespere, necnon et nocturnis horis et sacrificii tempore, impigre frequentabat. Circa pauperes quoque liberalitate maxima preditus erat, ut qui non solum in suo regno illis subvenire, verum in transmarinis regionibus, Syriam et Egiptum, Affricam et Jherosolimis, et Alexandrie atque Carthagini, pecunias multas mittere satagebat. Ob hoc etiam maxime transmarinorum regum amicitias expetebat, ut sub eisdem regibus christianis refrigerium aliquod proveniret. Fuit autem amplo corpore et robusto, statura imminente et apice capitis rotundo, naso paululum mediocritatem excedente, oculis pulchris, canicie veneranda, facie leta, voce clara, valitudine prospera. Denique conviviabatur rarissime; cena quoque cotidiana quaternis tantum ferculis prebebatur, preter assam carnem, quam venatores verubus inferre solebant, qua ille libentius quam ullo alio cibo vescebatur. Inter cenandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat : legebantur ei historie et antiquorum res geste. Delectabatur etiam in libris sancti Augustini, precipueque hiis qui *de civitate Dei* pretitulati sunt. Vini vero et omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut semper ad cenam raro plus quam ter

[1] Voci *hic* praemissa leguntur haec verba : *Hugo sexto libro de studiis et moribus ejusdem.*

biberet. Estate post cibum meridianum, pomorum aliquid sumens ac semel bibens, depositis vestibus et calceamentis, velut noctu, solitus erat duabus aut tribus horis quiescere. Noctibus sic dormiebat, ut sompnum quater aut quinquies, non solum expergiscendo, sed etiam surgendo interrumperet.

Igitur anno primo imperii sui Karolus per omne imperium suum legatos ad faciendum judicium et justiciam direxit, et legis capitula XXIII instituit [1].

Amiurlin [2], qui et Aaron, rex Persarum, elephantem, quem solum habebat, Karolo misit, cujus elephantis nomen erat Abulabat, et preter eum munera multa. Imperatore apud Spoletum existente, pridie kalendas maii, hora noctis secunda, terremotus, qui totam concussit Ytaliam, factus est. Quo motu tectum basilice beati Pauli apostoli magna ex parte cum suis trabibus cecidit, et in quibusdam locis urbes et montes corruerunt. Eodem anno quedam loca circa Renum in Germania et in Gallia tremuerunt. Pestilencia propter molliciem hyberni temporis facta est. Legati Karoli ab Aaron ammira venientes, inter cetera munera etiam corpora sanctorum Cypriani martiris, Carthaginensis episcopi, et Sperati, primi Scillitanorum, et caput Panthaleonis martiris in Franciam afferunt, et in monasterio Compendii posita sunt. Patriarcha Jherosolomitanus pro benedictione claves dominici sepulchri et loci Calvarie, et claves civitatis et montis cum vexillo, Karolo misit.

De Constantinopolitanis imperatoribus. Cap. XXIV.

In ipso anno quo Karolus assumpsit Romanum imperium, Hyrene imperatrix a Nychophoro ab imperio deposita, exilio relegatur et ibi moritur. ipse autem Constantinopoli imperat annis octo. Quo tandem a Bulgaribus cum multis ordinis senatorii perempto, Stauracius filius ejus imperavit anno uno; quo deposito Mychaël annis duobus, Leo octo, Mychaël IX, Theophilus XV, Mychaël et Theodora annis XI, deinde Mychaël solus XIII, quo a Basilio interfecto idem Basilius annis XVII imperavit. Post hunc

[1] Ex Sigeberto ad an. 803.

[2] Hoc loco in MS. Cod. additur: *Helinandus XLV lib.*

filius ejus Leo annis XVIII; deinde Constantinus filius ejus cum patruo suo Alexandro, scilicet ejusdem Leonis fratre, imperavit anno uno. Alexandro autem mortuo Constantinus imperavit annis XXXIX. Posthec Stephanus et Constantinus, egre ferentes jussa patris imperatoris, juvenili levitate, in palacio dispositis insidiis, patrem de palacii solio deponunt, et tonso ei, ut moris est, capite, ad vicinam insulam, in qua cenobite philosophabantur, transmittunt. Nec multum post, cum ad convivium ex condicto sedissent, et de prioratu sedendi inter se consulte decertarent, dato signo a viris Constantini, filii Leonis imperatoris, ambo fratres solio deturbantur, et tonsis capitibus ad idem monasterium, ad quod patrem transmiserant, et ipsi ad philosophandum cum monachis transmittuntur. Ita evacuato palacio abusivis imperatoribus, ipse Constantinus et Romanus filius ejus imperavit annis XVI. Quo defuncto Nychophorus imperavit annis decem. Hic timens a filiis suis imperio expelli, quia senex erat, eos eunuchizare volebat. Quorum mater Johanni suasit, ut eum occideret et imperaret; sic factum est, et imperavit annis VI. Exinde de Constantinopolitano imperio tacetur, scilicet ab anno Domini DCCCC° LXXVII°.

Qualiter Karolus juxta divinam revelationem liberavit terram sanctam. Helinandus IIII[1]. Cap. XXV.

Legitur quod eo tempore, quo Karolo datum est imperium Romanum, patriarcha Jherosolomitanus, de civitate expulsus a paganis, venit Constantinopolim ad imperatorem Constantinum et filium ejus Leonem, et cum eo Johannes Neapolis sacerdos, et David Jherosolomitanus archipresbiter; quos ille ad Karolum misit cum epistola Johannis patriarche, manu ipsius scripta. Et cum duobus prefatis fuerunt alii duo legati Hebrei, Ysaac et Samuel. In cujus epistole parte ultima scriptum erat: « Quadam nocte in extasi factus, vidi ante lectum meum quendam juvenem stantem, qui me blande vocans, paxillum tetigit et ait: Constantine, rogasti divinum

[1] Indicat Dynterus ex Helinando descripta esse quae hoc capite leguntur. Vid. Dom Brial, *Notice sur la vie et les ouvrages d'Helinand, lue à l'Institut, le 3 mars* 1815. — Petrus a Thymo illas etiam fabulas ex Helinando deprompsit.

auxilium ad hanc rem: ecce accipe Karolum Magnum regem Gallie, in ecclesia Domini propugnatorem. Et ostendit michi quendam militem armatum et ocreatum et loricatum, scutum rubeum habentem, ense precinctum, cujus manubrium erat purpureum, hasta altissima, cujus cuspis sepe flammas emittebat, et in manu tenebat cassidem auream. Et ipse senex prolixa barba, vultu decorus, statura procerus, cujus oculi fulgebant tamquam stelle, et annis caput albescebat. Age jam, ait, Auguste: qui visioni Dei refugit obedire, minime poterit culpam evadere. Emmanuel. Geman. Jhesu.

« In Domino gaude, memor ejus fungere laude.
Justicie zona, lumbos, caput atque corona
Perpete succingat te Christus, honoreque cingat.
Nil opus est ficto Domini quo jussio dicto;
Ergo tene fundum Domini percepta secundum. »

Hic ipse Constantinus sexies expulerat paganos ab Jherosolimis, sed tunc prevaluerant. Hii legati regem Parisiis invenerunt, et epistolas tradiderunt. Quibus perlectis rex lacrimari cepit pro sepulchro Domini. Has epistolas jussit rex exponere Turpinum archiepiscopum coram omni populo: quibus auditis omnes proficisci regem precabantur. Quo audito mox rex edictum proposuit, ut omnes, qui possent arma ferre, irent secum contra paganos, et qui non iret, ipse et filii ejus servus quatuor nummorum esset. Itaque majorem exercitum, quam unquam habuisset, congregavit, et profecti sunt. Cum venissent autem Jherosolimas in nemore quodam, quod vix duorum dierum spacio solet transiri, in quo erant griffones, ursi, leones et tigres et alie fere diverse, Karolus se putans illud transire una die, ingressus est cum exercitu adveniente nocte, et exercitu errante Karolus precepit castra metari. Transacto autem noctis silencio, rex in lecto suo accubans inchoavit psalmos, et cum diceret hunc versum: « Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui, » ecce ad aures ejus evidencius vox cujusdam alitis prope lectum suum clamantis audita est, quam qui aderant audientes, experrecti sunt. Rex autem psalmos continuavit usque ad illum locum: « Educ de custodia animam, etc. » Quod cum diceret, ales iterum clamavit: « France, quid dicis? » Hanc alitem prosecutus est rex parva semita, donec sui recognoverunt callem, quem die preterito amiserant. Peregrini

dicunt. quod illo tempore ceperunt audiri alites sic loquentes in illa terra. Fugatis paganis et recuperata terra, petivit rex licenciam repatriandi ab imperatore Constantino et Jherosolomitano patriarcha. Quem per unum diem retinuit imperator apud Constantinopolim, et interim fecit parari ante portas civitatis animalia diversi generis et coloris, et aurum et gemmas. Karolus autem, ne inurbanus videretur, si nichil acciperet, quesivit consilium a proceribus suis, quid facere deberet. Qui responderunt a nullo eum debere aliquod munus accipere pro labore, quem pro solius Dei amore susceperat. Qui laudans consilium, jussit omnibus suis, ut omnes appositas res nec respicere dignarentur.

De sacris reliquiis quas inde Aquisgranum detulit[1]. CAP. XXVI.

Tandem, adjuratus et coactus aliquod munus pro amore Dei accipere, petivit de reliquiis passionis dominice. Inito ergo consilio indictum est triduanum jejunium omnibus nostris et duodecim personis Grecis, que electe erant ad hoc sanctuarium dividendum. Tercia die Karolus peccata sua confessus est Ebronio archiepiscopo, deinde utrique cleri, greci et latini, psalmos cum letania inchoarunt. Cum autem Daniel Neapolitanus antistes aperuisset thecam, in qua spinea corona erat, tantus odor exinde exiit, ut omnes putarent se in paradiso esse. Tunc Karolus prostratus in pavimento plenus fide oravit Dominum, ut propter gloriam nominis sui miracula sue passionis et resurrectionis renovaret. Et cum orasset, statim ros celitus veniens lignum infudit et inebriat, et flores emittere cepit. Tantaque lux cum odore affuit, ut omnes sua vestimenta celestia esse putarent. Cumque Daniel adunca forcipe robur ipsius ligni secare inciperet, tunc magis atque magis florere cepit. Tunc Karolus in arboreo pallio, quod ad hoc preparaverat, suscepit et de floribus implevit wantum[2] suum dextrum. Dehinc alium wantum ad suscipiendas spinas preparans, tradidit primum cum floribus Ebronio archiepiscopo. Cumque utriusque oculi pre lacrimis impediti essent, ille putans se accepisse et iste dedisse, uterque

[1] Haec etiam ex Helinando et ex aliis fabulosis deprompta sunt fontibus.

[2] *Wantum*, chirothecam, *gant*.

wantum dereliquit, qui fere unius hore spacio pependit in aëre; cumque alterum wantum rex spinis implesset, et illud episcopo tradere voluisset, vidit illum primum pendere in aëre. Posthec cum flores de wanto ejicere cuperet, conversi sunt in manna; et hoc manna modo est apud sanctum Dyonisium, quod a multis putatur esse de illo manna antiquo, quod pluit Dominus in deserto. Omnes egri, qui ibi aderant, ad odorem florum sani facti sunt. Hiis itaque gestis, ecce turba infinita ecclesiam violenter intrans clamare cepit : « Vere hodie est resurrectionis dies; » nam odor de floribus exiens totam civitatem impleverat, et trecentos et unum egros sanaverat. Quidam eger ibi erat, XXIII annos et menses tres habens in infirmitate sua, cecus, mutus et surdus. Hic in extractione spinee corone visum recepit, et in sectione auditum, et in emissione florum loquelam. Posthec prefatus Daniel dominicum clavum manibus elatis regi tribuit; qui cum de alabastro, in quo absconditus erat, extraheretur, sanatus est puer quidam, sinistram manum et totum latus sinistrum ab utero matris habens aridum. Et cucurrit ad ecclesiam, dicens quod circa horam nonam, lecto jacens, quasi in extasi positus, videre sibi visus est quendam Kanutum fabrum adunca forcipe extrahere ex sinistra manu sua et sinistro pede suo, similiter arido, clavum, et a latere lanceam. Data sunt preterea regi Karolo frustum crucis dominice et Domini sudarium, et camisia beate Marie et fascia, qua puerum Jhesum in cunabulis cinxit, et brachium sancti senis Symeonis : que omnia recondidit rex in sacco de bulbanio tergore facto, et ad collum suum suspendit ad instar pere. Veniens autem ad castrum, nomine Ligmedo, puerum mortuum per tactum reliquiarum suscitavit, et LX egri promiscui sexus ibi curati sunt. Ibi sedit Karolus sex mensibus et uno die. Veniente autem Aquisgranum sanati sunt ceci innumeri, febricitantes innumeri, demoniaci XII, leprosi VIII, paralitici XV, claudi XIIII, manci XXX, gibbosi LII, caduci LXV, gutturosi plures, et ceci ex vicinis locis quamplures. Denique indixit per totum orbem, ut idibus junii venirent Aquisgranum videre reliquias, quas de Jherosolimis et Constantinopoli adduxerat, prius peccata sua confitentes. Et statutum est ibi in concilio, ut semper quarta feria jejuniorum quatuor temporum in mense junio fieret indictio ista reliquiarum. In hoc concilio fuit Leo papa et Turpinus archiepiscopus, et Achilleus Alexandrinus episcopus, et Theophilus Anthiochenus, et alii plurimi episcopi et abbates: ibi etiam suscitatus est unus mortuus.

Qualiter invitatus a sancto Jacobo liberavit Hispaniam. Turpinus archiepiscopus VI[1]. Cap. XXVII.

Karolus, postquam multa magna regna acquisierat, proposuit quiescere a preliis, statimque intuitus est in celo viam quandam stellarum, incipientem a mare Frisie et tendentem in Theutoniam et Ytaliam, et inter Galliam et Aquitaniam, et recte transeuntem per Gasconiam et Baselam et Naverram et Hispaniam usque ad Galiciam, in qua beati Jacobi corpus tunc latebat incognitum. Hanc viam per singulas noctes aspiciebat Karolus, et cogitabat, quid significaret; cui hec cogitanti vir quidam optime et pulcherrime forme, ultra quam fas est dici, nocte in extasi apparuit, dicens : « Quid agis, fili mi? » — Cui Karolus : « Quis es, dômine? » — « Ego sum, ait, Jacobus apostolus, alumpnus Christi, filius Zebedei, frater Johannis evangeliste, quem Dominus super mare Galilee ad predicandum populis sua ineffabili gratia eligere dignatus est; quem Herodes rex gladio peremit; cujus corpus in Galicia, que a Saracenis turpiter adhuc opprimitur, incognitum requiescit. Unde miror cur terram meam non liberasti, qui tot et tantas urbes acquisivisti. Quapropter tibi notifico quod, sicut Dominus potenciorem omnium regum terrenorum te fecit, sic ad preparandum iter meum et liberandam terram de manibus Moabitarum te inter omnes, ut tibi coronam retributionis eterne exinde prepararet, elegit. Via stellarum, quam in celo vidisti, significat, quod tu cum magno exercitu ad expugnandam gentem paganorum perfidam, et liberandum iter meum et ad visitandum sarcophagum meum ab hiis oris usque ad Galiciam iturus es, et post te omnes populi, a tempore presenti usque ad finem seculorum. » Taliter apparuit apostolus Karolo tribus vicibus. Posthec perrexit Karolus illic cum magno exercitu. Cumque obsideret Pampiloniam tribus mensibus, et eam capere non posset propter muros inexpugnabiles, oravit sanctum Jacobum, ut propter honorem nominis sui daret ei capere civitatem : tunc muri funditus corruerunt. Qui de Saracenis baptizari voluerunt, reservati sunt ad vitam; qui noluerunt, occisi sunt. Hiis auditis mirabilibus, omnes urbes se dederunt, et facta est tota terra sub tributo. Deinde visitato sarcophago venit ad Petronium, et infixit ibi in mari lan-

[1] Fabulosam Karoli Magni historiam ex Pseudo-Turpino congerit Dynterus. Hoc etiam Petrus a Thymo, aliique Brabantiae chronographi fecerunt.

ceam suam, agens Deo gratias et sancto Jacobo, qui eum illuc usque perduxit. Postea ivit per totam Hispaniam a mari usque ad mare; in Galicia tunc acquisivit XIIII urbes, inter quas Compostella tunc erat parva. In Hispania sunt urbes XXVI, inter quas est Osta, de qua fuit beatus Vincencius; in qua solebant esse turres XC. In Petroissa fit argentum optimum: in civitate Accintina jacet beatus Torquatus, qui fuit beati Jacobi cliens. ad cujus sepulchrum arbor olive divinitus florens maturis fructibus onustatur per unumquemque annum in ejus solempnitate, scilicet ydibus maii. Tota terra Hispanorum tunc Karolo subjecta est: terra scilicet Alandaluf, terra Pardorum, terra Castellanorum, terra Maurorum, tellus Navarrorum, tellus Portugalorum, tellus Saracenorum, tellus Basclorum, tellus Palargorum. Harum urbium quasdam sine pugna cepit Karolus, quasdam cum bello magno et arte maxima. Lucernam urbem, que est in valle viridi, nequivit capere. Novissime vero obsedit eam quatuor mensibus, et, facta prece Deo et sancto Jacobo, ceciderunt muri ejus, et facta est deserta usque in hodiernum diem. Quidam gurges atri amnis in medio ejus surrexit, in quo nigri pisces habentur. He sunt urbes, quas Karolus maledixit: Lucerna, Ventosa, Caparra et Adavia, propter hoc quod gravi labore eas acquisivit: et idcirco sine habitatore permanent usque in hodiernum diem.

De ydolis que subvertit, et etiam ecclesiis quas edificavit[1]. Cap. XXVIII.

Omnia ydola et simulachra, que tunc in Hispania invenit, penitus destruxit, preter ydolum, quod est in terra Alandaluf, quod vocatur Salancadis, quod est deus Cadis. Cadis enim proprie dicitur locus ille; *Salan* arabice interpretatur *deus*. Tradunt autem Saraceni, quod ydolum istud Mahomet, dum viveret, suo nomine fabricavit, et quandam legionem demonum arte magica in eo sigillavit; que legio tam fortiter illud ydolum optinet, quod a nullo umquam frangi potuit. Cum aliquis christianus ad illud appropinquat, statim periclitatur; sed si aliquis Saracenus causa orandi vel deprecandi Mahomet accedit, recedit incolumis. Si forte super id avis quelibet se deposuerit, illico moritur. Est autem lapis antiquus, in margine

[1] Ex Pseudo-Turpino.

maris opere saraceno optime sculptus super terram, deorsum latus et quadratus, desursum strictus, et tante altitudinis quantum solet volare corvus in sublime. Super quem elevata est ymago alba de auricalco optimo, in effigie hominis fusa, super pedes suos erecta, faciem habens versus meridiem, et clavam quandam ingentem in manu dextera tenens; que scilicet clava, ut Saraceni ajunt, de manu ejus cadet anno, quo rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam Hispaniam christianis legibus subjugabit in novissimis temporibus. Mox, ut Saraceni viderint clavam lapsam, gazis suis in terra repositis, omnes fugient.

Ex auro, quod reges et principes dedere Karolo, ecclesiam beati Jacobi, tunc per tres annos in illis oris commorans, augmentavit, antistitem et canonicos secundum regulam beati Ysidori illic instituit, eamque in tintinabulis, palleis et libris decenter ordinavit. De residuo auro et argento immenso, quod de Hispania attulit, fecit has ecclesias : beate Marie virginis Aquisgrani, beati Jacobi in eadem villa, item beati Jacobi apud urbem Biterrensem, item beati Jacobi apud Tholosam, item beati Jacobi in Gasconia, inter urbem Axam et sanctum Johannem Cordue via Jacobita, item beati Jacobi apud Parisios, inter Secanam et montem Martis; et preter has abbacias innumeras per mundum.

De reditu Karoli in Hispaniam. Turpinus in historia Karoli VIII. Cap. XXIX.

Reverso Karolo in Galliam, quidam rex paganus Affricanus, collectis exercitibus, Hispaniam conquisivit; et erat dux exercituum Mylo de Angleris, pater Rolandi. Cum autem apud Bajonam, urbem Basclorum, exercitus Karoli hospitatus esset, quidam miles, Romanus nomine, egrotus et morti proximus, accepta penitencia et eucharistia, cuidam consanguineo suo precepit, ut equum, quem habebat, venderet, et precium cleris egenis daret. Quo mortuo, ipse consanguineus equum centum solidorum vendidit, et precium cibis, potibus et vestibus velociter expendit. Transactis autem triginta diebus, apparuit ei mortuus nocte in extasi, dicens : « Quoniam res meas pro redemptione anime mee in eleëmosinis tibi ad dandum commendavi, scias Deum omnia crimina mea dimisisse; sed quia injuste eleëmosinam meam retinuisti, scias me per triginta dies in penis tartareis fuisse;

te autem in eodem loco infernali, unde egressus sum, die crastina scias ponendum, et me in paradisum futurum. » Quibus dictis, mortuus disparuit: vivus tremefactus, evigilavit. Et cum eodem die narraret sociis sompnium suum, subito factus est clamor in aëre, velut leonum, luporum et ursorum: et ecce subito raptus est a demonibus in locum nutu divino sibi destinatum. Quesitus a sociis suis, vix duodecima die supra quemdam montem altissimum mortuus jacens toto corpore colliso inventus est, qui mons quatuor dietis distabat a loco, quo raptus fuerat. Ibi demones eum projecerant tribus leucis in altum supra mare.

De pugna Karoli contra Aigolandum. Cap. XXX.

Posthec Aigolandus mandavit Karolo bellum secundum velle suum, vel viginti contra viginti, vel quadraginta contra quadraginta, vel centum contra centum, vel mille contra mille, vel duos contra duos, vel unum contra unum. Missi sunt ergo centum milites a Karolo contra centum, et interfecti sunt Saraceni. Deinde mittuntur alii centum ab Aigolando contra centum, qui omnes interfecti sunt. Deinde misit Aigolandus ducentos contra ducentos, qui statim occisi sunt. Deinde misit duo millia contra duo millia, quorum quidam occisi sunt, alii fugati. Tercia die jecit Aigolandus sortes suas, et cognovit detrimentum Karoli, et mandavit ei, ut sequenti die, si vellet, plenarium bellum faceret, quod ab utroque concessum est. Tunc astiterunt quidam christiani, qui, sero ante diem belli arma sua bellica studiosissime preparantes, hastas suas erectas infixerunt in terra ante castra, juxta fluvium in pratis, qui dicitur Ceyra; in quo loco postea beatorum martirum Facundi et Primitivi basilica ingens et optima jussu et auxilio Karoli constructa est, et magna villa et pinguissima. Istas hastas summo mane corticibus et frondibus decoratas invenerunt, hii scilicet qui in acie proxima martirii palmam Dei fide accepturi erant. Et admodum mirantes absciderunt eas prope terram, et radices, que remanserant in terra in modum perticarum, ex se postea magna generarunt arbusta; quod adhuc in illo loco apparet. Erant enim illorum multe haste de lignis fraxineis. Mira res magnumque gaudium animabus et ingens corporibus detrimentum! Quid plura? Die crastina occisi sunt quadraginta millia christianorum, et

dux Milo, Rolandi pater. et equus Karoli peremptus est. Tunc Karolus stans pedes cum duobus millibus christianorum peditum evaginavit spatam suam, nomine Gaudiosam, et trucidavit multos Saracenos per medium. Advesperante autem die conversi sunt Saraceni et christiani in castris. Altera die venerunt Karolo in auxilium quatuor marquisii de oris Ytalie, cum quatuor millibus virorum bellatorum. Quod ut Aigolandus agnovit, in fugam versus est, et tunc Karolus cum suis exercitibus remeavit in Galliam.

De quibusdam incidentiis illius temporis. Cap. XXXI.

Eo tempore Cumeid, amyreus missus ab Aaron ad excidendam Liciam, cum venisset Myream, nisus archam sancti Nycholai conterere, pro ea contrivit aliam. Et pro temeritate presumpta totam amisit classem, tempestate inevitabili persequente[1]. Pridie kalendas februarii, luna XVII^a, facta est eclipsis solis in medio die, stante utroque sidere in XXV^a parte Aquarii. Item quarto kalendas fuit eclipsis lune, et apparuerunt acies in eadem nocte mire magnitudinis; et sol stetit in XI^a parte Piscium, luna in XI^a parte Virginis. Nam et stella Mercurii XVI^a kalendas aprilis visa est in sole, quasi parva macula nigra, tum paululum superius, medio centro ejusdem syderis, que a nobis per octo dies conspicitur. Sed quam primo intravit vel exiit, nubibus impedientibus annotari non potuit. Item XI^a kalendis septembris lune fuit eclipsis, hora noctis tercia, sole in quinta parte Virginis extante, luna in quinta parte Piscium. Sicque ab anni superioris septembri usque ad septembrem presentem[2] luna ter observata est, et sol semel.

De translatione sancti Bartholomei apostoli. Cap. XXXII.

808. Anno sequenti, qui fuit ab incarnatione Domini DCCC^o VIII°, legitur facta translatio sancti Bartholomei de insula Liperitana Beneventum. Supervenientes autem Saraceni predictam insulam depopulati sunt, et rum-

[1] Sigebert. ad an. 807. — Omittimus quae in MS. hoc loco iterum leguntur de donis a rege Persarum Karolo factis.

[2] Phaenomena illa testis oculati verbis referuntur.

pentes sepulchrum apostoli disperserunt ossa ejus. Mox illis discedentibus, idem apostolus Bartholomeus per visionem apparuit cuidam monacho Greco, qui fuerat ipsius ecclesie custos, dicens : « Surge, collige ossa, que dispersa sunt. » Cui ille respondit : « Quare ossa tua colligere aut aliquem honorem tibi impendere deberemus, cum tu permiseris nos et populum istum deleri a paganis? » At ille ait : « Per longa annorum curricula meis precibus securus constitit, sed quia multiplicata sunt mala illius nimis, pro eo jam obtinere nihil potui. Tu surge, et fac ut dixi. » — « Quomodo ea invenire potero, que, ubi dispersa sunt, nescio? » Ait autem apostolus : « Nocte vade ad colligendum ea, et que videris resplendere ut ignem, leva hec, quia vere ipsa sunt ossa mea. » Qui statim jussa complens, recondidit ea diligenter in loculo, et abiit, relicto ibi socio suo. Cumque pro exquirendis Saracenis illic Longobardorum irent navigia, nutu Dei inventum monachum et sancti apostoli corpus tulerunt et abierunt. Supervenientes autem Saraceni circumdederunt navem illam, in qua sanctum corpus apostoli ducebatur, ita ut spes evadendi non esset; tunc subito facte sicut densissime tenebre ante Saracenorum naves, ita ut nescirent quo pergerent, sicque liberata est navis illa. Exeuntes autem ad terram ingenti cum honore Beneventum duxerunt corpus sanctum et in altari recondiderunt, anno incarnationis dominice DCCC° IX°, XXV° die octobris.

Qualiter Karolus exercitum Aigolandi exploravit, eumque fugavit.
Turpinus XII. Cap. XXXIII.

Porro Aigolandus congregavit gentes innumeras, Saracenos, Mauros, Moabitas, Ethiopes, Parthos, Affricanos, Persas, regem Arabum, regem Alexandrie, regem Bugie, regem Algarbie, regem Barbarie, regem Maloth sive Maltoch, regem Majorice, regem Meque, regem Sibilie, regem Cordube. Et venit usque ad urbem Gasconicam Agennum, et cepit eam; et mandavit Karolo, ut veniret ad se pacifice cum parva militum turma, promittens ei novem equos oneratos auro et argento et ceteris gasis, si suo imperio subjaceret. Hoc autem dicebat, quia eum agnoscere volebat, ut postea in bello eum posset occidere. Quod animadvertens Karolus venit cum duobus tantum millibus fortium, usque ad quatuor milliaria prope urbem Agenni, et

divisit ibi illos occulte, et venit cum LX tantum militibus usque ad montem, qui est prope urbem, unde potest civitas videri. ibique demisit illos, et mutatis vestibus suis optimis, sine lancea, clipeo retro dorsum transverso, sicut mos est nunciis in tempore belli, cum uno solo milite venit ad urbem. Qui ducti sunt ad Aigolandum. ad quem cum venissent, dixerunt : « Karolus misit nos ad te; venit, ut imperasti, cum LX militibus, et vult tibi militare et effici tuus. Veni ergo ad illum cum LX de tuis pacifice, si vis illi dare quod pollicitus es. » Qui respondit, ut redirent ad Karolum et expectarent eum; Karolus vero tunc cognovit eum, et exploravit urbem Agennum, in qua parte facilior esset ad capiendum, et vidit reges qui erant in ea, et rediit ad LX milites, et cum illis ad duo millia. Aygolandus autem cito secutus est cum VII millibus militum: sed illi animadvertentes fugerunt. Karolus vero rediit in Galliam, et coadunatis exercitibus reversus est ad urbem Agennum, et obsedit eam sex mensibus, septimo vero mense aptatis circa urbem artificiis et castellis ligneis, Aigolandus cum regibus et majoribus suis per latrinas et foramina latenter exivit, et sic fluvium Garonnam, qui fluit juxta urbem, transmeantes evaserunt. In crastina die cum magno triumpho Karolus urbem intravit, et decem millia Saracenorum peremit; reliqui per Garonnam fugerunt. Aygolandus autem venit ad Sanctonas, quem Karolus insecutus est, et mandavit ei, ut redderet urbem; qui noluit, sed exivit contra eum in prelium, tali conditione ut ejus esset urbs, qui vinceret. Sero ante diem belli, inter castrum Talaburgum et urbem juxta fluvium, nomine Karantha, infixerunt quidam christiani hastas suas ante castra in terra; crastina autem die hastas suas corticibus et frondibus decoratas invenerunt hii, qui in bello morituri et martires futuri erant, pro fide Christi occubando. Qui tanto miraculo gavisi, abscisis hastis suis de terra, insimul adunati primi se in bello obtulerunt, et multos occiderunt, sed tandem martirio coronantur numero quatuor millia, et etiam equus Karoli occisus est. Ibi postea fugientes occisi sunt a Karolo rex Algarbie et rex Bugie.

De reditu Karoli in Galliam et de principibus ejusdem. Cap. XXXIV.

Aigolandus autem fugiens venit usque Pampiloniam, et mandavit Karolo, quod ibi exspectaret eum causa preliandi. Quo audito Karolus rediit in Galliam, et precepit, ut omnes servi, qui sub malis consuetudinibus relegati tenebantur, soluta proprii capitis servitute et venditione deposita, cum omni progenie sua presenti et futura permanerent liberi: omnes etiam, quos ergastulis captos repperit, absolvit, et quos pauperes invenit, ditavit et multos vestivit, malivolos pacificavit, exheredatos propriis honoribus relevavit: omnes armis doctos et scutiferos milites fecit, et quos ab amore suo juste separaverat, revocavit. Tunc coadunatis centum triginta quatuor millibus bellatorum, preter armigeros et pedites, quorum ingens erat numerus, profectus est in Hispaniam contra Aigolandum. Et hec sunt nomina principum ejus : Ego Turpinus, archiepiscopus Remensis, qui dignis monitis populum fidelem armabam, et Saracenos propriis manibus et armis sepe expugnabam: Rolandus comes Cenomanensis, nepos Karoli, filius Berte sororis ejus et Milonis ducis, cum quatuor millibus bellatorum; Oliverus comes Gebennensis, filius Reyneri comitis, cum tribus millibus bellatorum: Arastagnus rex Britannorum, cum septem millibus (alius tamen rex erat tunc in Britannia); Engelerus dux Aquitanie urbis (quam Cesar Augustus primum in illis oris fecit, cui urbi Bituricas et Lemovicas et Pictavos et Sanctonas et Engolismam cum provinciis suis subjugavit, unde tota illa patria Aquitania vocata est : hec autem civitas post Engeleri obitum in vastitatem versa est, quia omnes ejus cives in Ronciavalle occisi sunt, nec alios colonos habuit amplius); Gaiferus rex Burdegalensis: Galdebodus rex Frisie; Oellus, comes Nannetensis; Arnoldus de Bellanda, qui Aigolandum postea occidit in bello; Naamundus dux Bavarie; Ogerus Dacie rex; Lambertus princeps Bituricensis; Sampson dux Burgundionum; Constantinus prefectus Romanus; Garinus dux Lotharingie[1]. Exercitus Karoli longitudine et latitudine cooperiebat totam terram duabus dietis: spacio duodecim miliarium audiebantur sonitus et fremitus illorum.

[1] Alia insuper principum seu ducum nomina leguntur in Pseudo-Turpino cap. XI.

De colloquio inter Karolum et Aigolandum, et de nece Aigolandi.
CAP. XXXV.

Karolus didícerat linguam Saracenam, cum esset juvenis, apud Toletum; veniens ergo Aigolandus ad colloquium cum Karolo, datis treugis inierunt pactum, quod ille, cujus milites vincerentur, legem meliorem victorum sequeretur. Mittuntur ergo sub hoc pacto viginti milites christiani contra viginti Saracenos, et interfecti sunt Saraceni; deinde quadraginta contra quadraginta, et iterum victi sunt Saraceni; deinde centum contra centum, et occiduntur omnes Saraceni; item ducenti contra ducentos, et interfecti sunt Saraceni; item mille contra mille, et occiduntur omnes Saraceni. Tunc Aigolandus, affirmans legem christianorum meliorem esse, statuit ut in crastino baptizaretur. In crastino circa horam terciam, data treuga eundi et redeundi, venit Aigolandus, ut baptizareter, et vidit Karolum ad mensam sedentem, ante quam erant quidam in militari habitu, quidam in monachali, quidam in canonicali, et interrogavit de unoquoque ordine. Videns autem quadam parte tredecim pauperes in miserrimo habitu, ad terram sedentes sine mensa et linteaminibus, parvo cibo et potu utentes, quesivit, qui essent? Cui Karolus: « Hec est gens Dei, nuncii Domini nostri Jhesu Christi, quos sub numero duodecim apostolorum cotidie pascimus. » Ad hec Aigolandus «: Male domino suo servit, qui sic nuncios Domini sui recipit. Qui circa te resident, felices sunt, et feliciter comedunt, et bibunt, et induuntur; et nuncii domini Dei tui fame pereunt et frigore, et longe sunt a te turpiter projecti. Magnam verecundiam facit Deo suo, qui famulis ejus ita servit; legem tuam, quam dicebas esse bonam, nunc ostendisti esse falsam. » Accepta licencia scandalizatus venit ad suos, et baptizari renuens mandavit ei bellum in crastinum. Tunc intelligens Karolus quare noluerit baptizari, omnes pauperes, quos in exercitu invenit, diligenter procuravit et optime induit, et cibum et potum honorifice illis ex more tribuit. In crastina die tanta fuit cedes Saracenorum, occiso Aigolando, quod christiani usque ad bases in sanguine natabant. Quicunque autem inventi sunt in urbe Pampilonia, interfecti sunt. Rex Sibilie et rex Cordube cum paucis fugerunt. Quidam vero christiani cupiditate ducti reversi sunt, ut tollerent spolia occisorum: et cum redirent onusti auro et argento,

a rege Sibilie et a rege Cordube, qui latebant in insidiis, interfecti sunt omnes usque ad mille. In crastinum princeps Navarrorum, nomine Furre, mandavit bellum Karolo. Karolus autem rogavit Deum, ut ostenderet ei illos, qui morituri essent in bello. Et ecce, crastina die armatis omnibus apparuit rubeum signum crucis dominice in humeris moriturorum, retro super loricas. Quod ut vidit Karolus, retrusit eos in oratorio suo, ne perimerentur bello. Peracto autem bello et perempto Furre cum tribus millibus, rediens Karolus ad oratorium, repperit eos, quos incluserat, exanimatos.

De Ferracuto gygante et conflictu Rolandi contra eum. Cap. XXXVI.

Posthec nunciatum est Karolo, quod apud Nageram erat gygas quidam, nomine Ferracutus, de genere Goliad, quem admiraldus Babilonie miserat cum viginti millibus Thurcorum ad Karolum debellandum. Hic lanceam aut sagittam non formidabat; virtutem quadraginta fortium possidebat. Mox Karolus Nageram adiit. Egressus gigas ab urbe, petiit singulare certamen; mittitur contra eum Ogerus Dacus, quem mox ut gigas solum respexit in campo, ivit suaviter juxta illum, et ilico eum cum armis suis brachio dextro amplexatus, portavit leviter quasi ovem, cunctis videntibus, in urbem. Erat autem statura ejus cubitorum duodecim, facies ejus longa quasi unius cubiti, nasus unius palmi, et brachia et crura ejus quatuor cubitorum, digiti trium palmorum. Posthec missus est contra eum Renaldus de Alba Spina; et portavit solo brachio in carcerem oppidi. Posthec simul duo mittuntur, Constantinus Romanus et Oellus comes, et portavit eos in carcerem similiter, unum ad dexteram et alterum ad levam. Posthec mittuntur bini alii viginti, et illos similiter misit ad carcerem. Posthec Karolus neminem ausus est mittere. Rolandus autem princeps exercitus, vix impetrata a rege licencia, quia adhuc juvenis erat, ivit contra eum. Quem gigas statim rapuit sola manu dextra, sicut priores, et misit eum ante se super equum suum. Cumque illum portaret adversus oppidum, Rolandus, collectis viribus, in Deo confisus, arripuit eum per mentum, et evertit eum fortiter retro super equum, et ceciderunt ambo simul ad terram de equo. Statimque ambo pariter elevantur de terra, et ascenderunt equos; mox Rolandus evaginata spata, que Durenda dicebatur, gigantem putans occidere, equum ejus solum

uno ictu per medium trucidavit. Cumque gigas, stans pedes, elevasset spatam suam, ut eum percuteret, festinans Rolandus percussit eum in brachio, quo tenebat spatam, et nichil eum lesit, sed tantum spatam ejus excussit. Tunc Ferracutus, amisso gladio, putans eum percutere pugno clauso, percussit equum ejus in fronte, qui statim corruens mortuus est. Dehinc ambo sine gladiis et pedites usque ad nonam pugnis et lapidibus pugnaverunt. Die vero advesperante impetravit gigas a Rolando treugas usque in crastinum, et disposuerunt inter se, ut in crastina die sine equis et lanceis convenirent; et sic uterque ad hospicium suum reversus est.

De iterato conflictu et nece Ferracuti. Cap. XXXVII.

Altera die summo diluculo redierunt. Ferracutus tamen attulit gladium, sed nichil ei valuit; quia Rolandus secum detulit baculum quemdam retortum et longum, cum quo tota die illum percussit, sed minime eum lesit. Percussit etiam magnis et rotundis lapidibus, qui in campo habundanter erant, usque ad meridiem, et ledere non potuit. Tunc impetratis treugis a Rolando, gygas sompno pregravatus dormire cepit. Rolandus vero, vir alacer et nobilis animi, tulit lapidem et supposuit capiti ejus, ut liberius dormiret. Ferracutus itaque, postquam sompno refectus est, evigilavit, et sedit juxta eum Rolandus, et cepit eum interrogare, quomodo tam fortis esset, quod baculum vel gladium non formidabat. Ad quem ille : « Vulnerari non possum nisi per umbilicum. » Quo audito Rolandus tacuit, et quasi non intelligens aurem avertit. Tunc incepit gigas eum interrogare de lege christiana, et, cum optime respondisset per omnia Rolandus, ait gigas : « Tali pacto tecum pugnabo, quod, si vera est fides hec, quam asseris, ego victus sim, et si falsa, tu victus; et sit genti victe jugiter obprobrium, victori autem laus et honor in eternum. » Fiat, inquit Rolandus. Tunc uterque paratur ad pugnandum, et Rolandus eum aggreditur. Gigas autem jecit ictum de spata sua super Rolandum, sed Rolandus, saltans ad levam, excepit ictum in baculo suo, quo abscisso irruit in eum gigas et arripiens eum leviter inclinavit ad terram. Tunc Rolandus, invocato in auxilium Christo Domino, filio Dei et beate virginis Marie, Deo donante erexit se paululum et revolvit eum subter se, et misit manum ad mucronem, et punxit eum parum

in umbilico, et evasit ab eo. Tunc ille excelsa voce cepit clamare Mahomet dicens: « Mahomet, Mahomet, succurre michi Deus meus, quia jam morior. » Ad hanc vocem accurentes Saraceni rapiunt eum, manibus portantes versus oppidum. Rolandus autem jam incolumis ad suos redierat. Tunc christiani, una cum Saracenis, qui Ferracutum ferebant, ingenti impetu ingrediuntur in urbem; sicque perempto gigante urbs et castrum capitur, et pugnatores de carcere eripiuntur.

Qualiter Karolus Cordubam cepit, et totam Hispaniam beato Jacobo subjecit. Cap. XXXVIII.

Posthec ivit Karolus Cordubam, ubi eum ad pugnam exspectabant rex Sibilie et rex Cordube. Cumque jubente Karolo appropinquaret prima turba militum nostrorum contra primam paganorum, venerunt ante singulos equos eorum singuli pedites, habentes larvas barbatas et cornutas, similes demonibus, tenentes singuli singula tympana, et manibus fortiter percutiebant; quorum sonitus mox ut equi nostrorum audierunt, et terribiles eorum similitudines viderunt, fugere ceperunt et retineri nullo modo valebant. Mane facto Karolus precepit, ut omnium equorum capita linteis et pannis velarentur, et aures obturarentur; sicque procedentes ad pugnam occiderunt eos usque ad meridiem, sed non usque ad internecionem. Nam omnes Saraceni coadunati erant circa plaustrum, quod octo boves trahebant, super quod vexillum eorum levatum erat; mosque illis erat, quod nemo de bello fugiebat, quamdiu signum erectum videret. Quod cum Karolus agnovisset, ingressus est in medias acies usque ad vexillum, quod spata sua abscidit, et mox illi fugerunt, quorum octo millia cesa sunt. In crastinum Altumajor Cordube reddidit urbem Karolo tali pacto, quod ipse baptisaretur, et urbem de illo teneret. Tunc Karolus divisit terras Hispanie pugnatoribus suis, ut supradictum est, et nemo postea ausus est eum impugnare. Posthec Karolus, dimissis majoribus exercitibus, in Hispaniam ivit ad sanctum Jacobum, et quos in illa patria christianos repperit, amplificavit; apostatas vero aut peremit, aut in exilium in Galliam misit. Et constituit per civitates episcopos et presbyteros, et fecit concilium in urbe Compostella, et instituit, amore beati Jocobi, ut omnes presules, prin-

cipes et reges christiani, Hispani et Galeciani, episcopo sancti Jacobi obedirent. In illo concilio ego Turpinus cum novem episcopis ecclesiam beati Jacobi et altare, rogatu Karoli, kalendis julii dedicavi. Et subjugavit rex eidem ecclesie totam terram Hispanie et Galecie, et dedit ei in dotem, precipiens ut unusquisque possessor uniuscujusque domus tocius Hispanie et Galecie quatuor nummos ex debito annuatim daret, et ab omni servitute liberi essent. Et constituit in die illa, ut ecclesia illa vocetur sedes apostolica, et virge episcopales et regales corone per manus episcopi ejusdem urbis ad honorem beati Jacobi prebeantur, sicut per beatum Johannem fratrem ejus factum erat in Asia apud Ephesum. Ephesus est ad dextram, Compostella ad sinistram, et ita completa est eorum peticio in evangelio. Et he sunt tres principales sedes in orbe : Romana, Galeciana et Ephesina, sicut Petrus, Jacobus et Johannes pre omnibus apostolis a Domino instituti sunt, et ad secreta ejus vocati.

De proditione Ganalonis in bello Ronciavallis. Cap. XXXIX.

Erant tunc apud Cesaraugustam duo reges Saraceni, Marsirius et Beligandus frater ejus, missi ab admiraldo Babilonie de Perside ad Hispaniam, qui Karoli imperio subjacebant et ei serviebant in caritate ficta. Hiis mandavit Karolus per Ganalonem, ut aut baptismum susciperent, aut tributum ei redderent. Qui miserunt ei triginta equos oneratos auro et argento ceterisque gasis Hispanicis, et quadraginta equos cum vino dulcissimo et puro pugnatoribus ad potandum, et mille formosas Saracenas; Ganaloni autem viginti equos oneratos auro et argento et palliis fraudulenter obtulerunt, ut pugnatores Karoli in manus illorum traderet. Qui pecuniam accepit, et firmavit cum eis pactum proditionis. Majores pugnatores vinum solummodo acceperunt, mulieres nullatenus; sed minores sustulerunt. Tunc consilio Ganalonis Karolus transiit portus Cisereos, et fecit ultimam custodiam de karissimis suis principibus, Rolando et Olivero, cum majoribus pugnatoribus, in Ronciavalle, cum viginti millibus aliorum christianorum. Tunc Marsirius et Beligandus cum quinquaginta millibus Saracenorum summo mane exierunt de nemoribus et collibus, ubi consilio Ganalonis duabus noctibus latuerant, et fecerunt duas turmas, unam

viginti millium, alteram triginta. Una viginti cepit primum percutere nostros, qui conversi occiderunt eos usque ad terciam, et ne unus quidem ex viginti millibus evasit. Statim vero illos tanta cede fatigatos invaserunt alia triginta millia, et percusserunt nostros a majori usque ad minorem. Quod ideo eis contigit, quia precedentibus noctibus, vino Saracenico ebrii, plures eorum cum mulieribus paganis et christianis etiam, quas secum multi de Gallia adduxerant, fornicati fuerant. Ibi ergo omnes pugnatores interfecti sunt, preter Rolandum, Balduinum et Theodericum. Turpinus autem et Ganalon cum rege erant.

De nece Marsirii regis et transitu Rolandi principis. Cap. XL.

Peracto illo bello cum redierat Rolandus, invenit quemdam Saracenum atrum in nemore latentem, quem ligavit fortiter ad arborem, et ascendit in montem quemdam, ut exploraret illos. Et vidit, quod multi erant, et rediit retro ad viam Ronciavallis, et insonuit tuba eburnea, ad cujus vocem redierunt ad eum ex christianis circiter centum. Et rediit ad Saracenum quem ligaverat, quem cum solvisset, extracto gladio minatus est ei mortem, nisi ostenderet ei Marsirium. Hunc ergo duxit secum usque ad agmina paganorum, qui ostendit ei a longe Marsirium, cum equo rufo et clipeo rotundo. Tunc Rolandus, illo dimisso, resumptis viribus et animatus ad bellum, irruit super eos, et vidit quendam inter eos statura majorem, quem uno ictu secuit per medium cum equo, ita quod una pars equi et militis cecidit ad dexteram, et altera ad sinistram. Quod Saraceni videntes ilico fugerunt, dimittentes Marsirium in campo cum paucis; quem fugientem Rolandus inter alios consecutus prostravit. Ibi centum socii Rolandi interfecti sunt. Rolandus autem quatuor lanceis grossis et lapidibus graviter percussus evasit. Beligandus autem, frater Marsirii, cum suis recessit ab illis regionibus. Theodericus autem et Balduinus inter nemora latitabant. Karolus autem cum suis exercitibus jam montem transierat, et, quod factum fuerat, ignorabat. Rolandus valde fessus et de nece sociorum valde dolens, venit usque ad pedem portuum Cisere, et ibi sub arbore quadam juxta lapidem marmoreum, qui ibi erectus erat super Ronciavallem in prato optimo, equo desilivit; habebat autem spatam suam Durendam, quod interpretatur: Durum ictum cum ea

da, quia prius deficiet brachium quam spata. Et erat pulcherrima opere, incomparabilis acumine et nimia claritate resplendens, capulo eburneo et candido, cruce aurea, superficie deaurata, pomo beryllino nomine Dei *alpha* et *omega* insculpta. Hanc cum evaginasset et lacrimosis vocibus eam deplorasset, volens eam frangere, percussit trino ictu lapidem; sed lapide a summo usque ad deorsum diviso sanam eam eduxit. Deinde tuba ejus tam fortiter insonuit, quod flatu oris sui tuba per medium scissa est, et vena colli ejus et nervi rupti feruntur. Cujus vox usque ad aures Karoli angelico ductu pervenit, per octo miliaria distantis a Rolando. Illico Ganalon volenti regi redire dissuasit, ei dicens eum bucinare causa venandi. Cum ergo Rolandus super herbam prati jaceret, supervenit Balduinus frater ejus, cui ille innuit, ut ei aquam preberet, quia valde sitiebat. Quam cum ille quereret et non inveniret, videns eum morti proximum, ascendit equum ejus, et ivit post Karolum. Mox advenit Theodericus, qui valde super eum lugens innuit ei, ut confessione se muniret. Acceperat autem Rolandus eo die eucharistiam, et delictorum suorum confessionem fecerat, antequam ad bellum iret, quia iste mos erat semper pugnaturis inter nos, ut prius confiterentur et communicarentur. Rolandus ergo, inter cetera verba sue dulcissime confessionis, tenens pellem et carnem suam circa mamillas et cor, dicebat ter : « Et in carne ista videbo Deum salvatorem meum. » Et mittens manus suas super oculos similiter tribus vicibus ait : « Et oculi isti conspecturi sunt; » sicque tradidit spiritum dicens : « Jam Christo donante intueor, quod oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit, quod preparavit Dominus diligentibus se; » et orationem fudit pro omnibus qui mortui erant in bello. Obiit Rolandus iste XVI° kalendas julii.

De exequiis Rolandi et ultione mortis ejus et Oliveri, et morte Ganalonis.
Cap. XLI.

Eodem die, dum ego Turpinus cantarem missam pro defunctis coram rege in valle Karoli, raptus in extasi audivi choros in celestibus cantantes, ignorans quid hoc esset. Cumque illi ad alta transirent, ecce turma tetrorum militum, quasi de raptu rediens predamque ferens, ad me transivit. Quibus dixi : « Quid fertis? » — « Nos, inquiunt, Marsirium portamus ad inferna; tubi-

cinem vestrum cum multis Mychaël fert ad superna. » Hanc visionem dum post missam referrem Karolo, ecce Balduinus advenit super equum Rolandi, qui narravit omnia, et qualiter Rolandum reliquerat. Mox omnibus exclamantibus et retro redeuntibus, prior Karolus Rolandum exanimatum invenit, jacentem eversum, brachiis super pectus in modum crucis positis, et super eum ruens irrugiit clamore magno, et ibi illa nocte tentoria sua fixit, et corpus ejus mirra et aloë et balsamo condivit, et exequias magnas, precibus et luminaribus et ignibus per nemora accensis tota illa nocte, cuncti peregerunt. In crastinum, summo diluculo, perrexerunt ad alios fratres nostros occisos, et inventus est ibi Oliverus, jacens eversus, in effigie crucis extensus, quatuor palis in terra fixis cum quatuor retortis fortiter nexibus, et a collo usque ad pedum ungues et manuum cutellis acutissimis excoriatus, jaculis et sagittis, lanceis et spatis perforatus, et magnis ictibus baculorum attritus. Tunc flentibus omnibus juravit rex per regem omnipotentem, quod non cessaret post paganos currere, quousque illos inveniret. Mox eo post illos currente cum tota milicia sol stetit immobilis, et prolongatus est dies ille spacio trium dierum, et invenit eos juxta fluvium Ebra juxta Cesaraugustam jacentes et comedentes. Irruens super eos interfecit quatuor millia, et rediit ad Ronciavallem. Tunc cepit rex inquirere si verum erat, quod dicebatur, Ganalonem traditionem fecisse, quem accusavit Theodericus: contra quem posuit rex Pina bellum pro Ganalone. Quem statim egrediens peremit Theodericus. Mox rex jussit Ganalonem quatuor equis ferocissimis alligari, et super eos sedere quatuor sessores agitantes illos contra quatuor plagas celi: et sic discerptus periit.

De sepulturis militum apud Ronciavallem interfectorum. Cap. XLII.

Erant autem tunc temporis duo cimiteria sacrosancta precipua, unum apud Arelaten in Aysis campis, alterum apud Burdegalam, que Dominus consecraverat per manus septem antistitum sanctorum, Maximini Aquensis, Trophini Arelatensis, Pauli Narbonensis, Saturnini Tholosani, Frontonis Petragoricensis, Marcialis Lemovicensis, Eutropii Sanctonensis. In quibus maxima pars mortuorum sepulta est. Beatum Rolandum vero super duas

mulas katheto[1] aureo vehi fecit Karolus, palliis tectum, usque Blavium, et in ecclesia beati Romani, quam ipse olim edificaverat, canonicosque regulares intromiserat, sepelivit, et mucronem ipsius ad caput, et tubam eburneam ad pedes, ad honorem Christi et probitatis ejus, suspendit. Hanc tamen tubam alius postea apud Burdegalam in ecclesia beati Severini indigne transtulit. Apud Belinum sepulti sunt Oliverus et Gondeboldus rex Frisie, et Ogerus rex Dacie, et Arastagnus rex Britannie, et Garinus dux Lotharingie, et alii multi. Apud Burdegalam sepulti sunt Gaiferus rex Burdegale, Engelerus dux Aquitanie, Lambertus rex Bituricе, Galerus, Raynaldus cum aliis quinque millibus. Pro istorum animabus dedit Karolus in eleëmosinam uncias argenti duodecim millia et totidem talenta auri, et vestes et cibaria egenis, et totam terram circa basilicam sancti Romani Blaviensis, spacio septem miliarium, et totum oppidum Blaviense cum omnibus sibi pertinentibus, et etiam mare quod sub eo est, usibus ejusdem ecclesie in allodio amore Rolandi dedit. Et in die passionis ejus annuatim triginta pauperes cibis refici et vestibus indui eisdem canonicis precepit, et totidem psalteria et totidem missas cantari pro hiis omnibus, qui in Hispania mortui sunt. Apud Arelaten sepulti sunt Estultus comes Lingonensis, Salomon, et Sampson dux Burgundie, Arnoldus de Bellanda, et Albericus Burgundio, et Naaman dux Boiarie, et alii sex proceres, cum decem millibus aliorum. Constantinus autem prefectus delatus est Romam per mare, cum aliis multis Romanis et Apulis; pro quorum animabus dedit Karolus in eleëmosinas uncias argenti duodecim millia, et totidem auri talenti egenis apud Arelaten.

Qualiter Karolus post victorias sancto Dyonisio gratias egit, eique totam Galliam subegit. Cap. XLIII.

Posthec congregatum est concilium apud sanctum Dyonisium, ut ibi ageret Karolus gratias Deo et sancto Dyonisio de subjugata gente pagana. Et omnem Franciam dedit eidem ecclesie in predio, sicut antea beatus apostolus Paulus et Clemens papa dederant. Et precepit, ut omnes

[1] Alias *tapeto. Kathetum* seu *kaskettum* spartam seu corbem esse, ait Du Cange.

reges Francie et episcopi, presentes et futuri. pastori illius ecclesie subjecti essent et obedientes in Christo, nec reges sine ejus consilio coronati essent. nec episcopi ordinati. nec apud Romam recepti essent aut dampnati. Et post plurima precepit. ut eidem ecclesie unusquisque possessor uniuscujusque domus totius Gallie quatuor nummos annuatim ad edificandam ecclesiam daret; et omnes servos, qui hos nummos libenter darent. manumisit. Tunc stetit Karolus juxta corpus beati Dyonisii. et oravit, ut pro illis intercederet ad Dominum. qui in Hispania mortui erant. et pro salute illorum, qui nummos libenter darent. Eadem nocte proxima Karolo dormienti apparuit sanctus Dyonisius, et excitavit eum dicens : « Illis. qui tua monitione et exemplo tuo animati in bello Saracenorum mortui et morituri sunt. omnium delictorum suorum impetravi veniam. et illis, qui ad edificandam ecclesiam meam nummos dant et daturi sunt. gravioris vulneris sui medicinam a Deo impetravi. » Hiis a rege in crastinum relatis. populi nummos devotissime offerebant; et qui libencius reddebat. francus sancti Dyonisii vocabatur ubique. et erat liber ab omni servitute. rege precipiente. Inde mos surrexit in Gallia. ut Francia vocaretur, quia *francus* liber dicitur, et merito, quia super omnes alias gentes decus et dominacio illi debetur [1]. Tunc rex perrexit Aquisgranum. et ibi edificavit que superius dicta sunt.

De revelatione corporis sancti Salvii martiris. Ex gestis ejus [2].
CAP. XLIV.

Eodem tempore sancti Salvii corpus inventum est, qui paulo ante a Winegardo martirizatus est. Hic, temporibus Chilperici regis, in Ambianensi cathedra residens, multis pollebat virtutibus. ita ut cecis visum. surdis auditum. claudis gressum. Deo favente, redderet. Per idem tempus prefatus rex. in Arriani dogma declinans, scripsit ridiculum, ut sancta trinitas non in personarum distinctione sed tantum Deus nominaretur unus; et sancto Salvio recenseri jubet, deprecans ut sibi consentaneus fieret. Quod ille audiens ita respuit. ut, si cartam, in qua hec scripta tenebantur, attingere potuisset. in frusta discerperet. Denique in Karoli temporibus adveniens in

[1] In margine additur : *Nota quare Gallia vocatur Francia.*

[2] Cfr. Jacques de Guyse. *Annales de Hainaut,* liv. XIII, chap. 25 et suiv.

partes Haynonensis fisci, qui vocatur Valencianas, cepit ibi predicare. Quadam vero die celebravit missam in ecclesia sancti Martini, in die resurrectionis dominice, ubi et populum instruxit, et post missam invitavit eum ad prandium Genardus quidam, qui fiscum providebat sub domino Abbone. Habebat autem sanctus Salvius ministerium ecclesiasticum aureum, vestimenta ex auro et gemmis ornata, cingulum aureum gemmis et margaritis intextum, que omnia ubique ferebat secum coram omnibus scienter, ut ita perveniret ad palmam martirii. Hec autem concupivit Winegardus, filius Genardi, homo levis et protervus, omniaque fecit ei auferri. Et de calice et patena jussit sibi fabricari sellam, et virum Dei misit in carcerem. Et misit servum, ut interficeret eum in carcere et discipulum ejus, et factum est ita. Servus tamen hec non est ausus facere, donec ei sanctus precepit. Fuerunt autem hii duo sancti nati de territorio Arvernorum. Corpus utriusque jussit Winegardus latenter asportari ad armentum gregis sui, et ibi fossa humo in medio abscondi. Erat autem in eodem armento taurus maximus, qui semper prohibebat cetera animalia, ne locum illum attingerent, in quo sanctorum corpora positaverant, sed abigebat illa cornibus suis. Erat autem corpus sancti Salvii primum positum in fossa, et corpus discipuli ejus super illud jactatum in modum crucis. Si autem forte contigisset ut alique sordes ibi cecidissent, non cessabat taurus per totam noctem, donec pedibus suis locum mundasset. Quedam autem femina nocte custodiens et girans domum suam in villa Brevitico, vidit immensum fulgorem in loco illo, ubi armentum erat, et cucurrit ad ostium, et vidit duas lampadas accensas, totum locum illuminantes velut in meridie, et convocavit vicinos, ut miraculum hoc viderent. Factum est hoc una nocte et altera, et relata est res ad sacerdotes.

De translatione ejusdem sancti corporis et miraculis circa illud ostensis. Cap. XLV.

Eodem tempore revelatum est regi Karolo per angelum, ut mitteret Valencianas, et diligenter requireret, ubi sanctus Salvius cum discipulo suo requiesceret. Quod ei dictum est per tres noctes continuas, inventique sunt, prodente eos Genardo; et adductus est Genardus et Winegardus filius

ejus, et Winegarius servus qui illos interfecerat, et jussit rex Genardo et Winegardo amputari virilia et oculos erui, Winegario autem servo tantum oculos erui. Et imposita sunt corpora sanctorum super plaustra, ut adducerentur ad ecclesiam sancti Vedasti, et non potuerunt moveri adducta multitudine boum, et relinquentes in plaustro duos boves, tamen permiserunt illos ire quo vellent. Et cum summa festinatione perduxerunt illa duo boves ad ecclesiam sancti Martini, in qua sanctus Salvius orare consueverat, juxta Valencianas, et ibi posita sunt; et dedit Karolus sancto Salvio terciam partem illius fisci. Eodem tempore venerunt due sorores cujusdam ducis Francorum ad regem Karolum, conquerentes de fratre suo quod hereditatem suam auferret. Conventus super hoc a rege, respondit se nichil eis auferre. Rex autem fecit jurare super corpus sancti Salvii, quod nichil sororibus suis deberet ex hiis, que petebant. Qui cum jurasset letus, statim medius crepuit, et per secretum alvi stercora proruperunt, et exivit sanguis ex oculis ejus et auribus, et ore et naribus, et post duas horas vitam finivit. Genardus quoque dedit, quidquid habebat, sancto Salvio. Winegardus autem, filius ejus, cum venisset ad ecclesiam, in qua sanctus quiescebat, et oraret sibi dari veniam, commota est tota ecclesia: qui tremefactus et conversus in fugam, venit ad monasterium sancti Amandi, et ibi permansit lugens et penitens omnibus diebus vite sue. Genardus quoque pater ejus, amissis corporalibus oculis, spirituales recepit, residens in domo sua et penitenciam agens. Winegarius autem servus venit ad sanctum Salvium et prostratus ante corpus ejus, cum multo ymbre lacrimarum, recepit lumen in uno oculo, et usque ad diem mortis sue pavit greges in servicio sancti Salvii.

De transitu Karoli Magni et ejus exequiis. Cap. XLVI.

Anno imperii sui XIII° Karolus imperator gloriosus, regno et imperio suo pacato et dilatato, statu quoque ecclesie sancte religiose ordinato, anno regni sui XLVI°, imperii vero XIII°, moritur et sepelitur Aquisgrani, anno etatis sue LXXII°: qui pro magnitudine operum agnominatus est Magnus: cujus vitam Eginardus descripsit.

Habuit autem tres filios: Karolum videlicet, Pipinum et Ludovicum. Habuit et tres filias: Rotrudem, Bertam et Gislam; habuit etiam duas alias filias de Fastrada uxore sua.

Cum autem Karolus finem vite sue cerneret imminere, Ludovico filio suo, quem Aquitanie regem dudum ordinaverat, coronam imperialem dereliquit.

Eram autem Vienne in ecclesia ante altare orans[1], et cum raptus in extasim psalmum : « Deus in adjutorium etc. », cantarem, vidi tetrorum spirituum agmina infinita preterire et tendere versus Lotharingiam. Quidam similis Ethiopo longe insequebatur lento gradu, cui dixi : « Quo tendis? » — « Aquisgranum, inquit, ad mortem Keroli, ut ejus spiritum ad tartara rapiamus. » Tunc ego : « Adjuro te per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut peracto itinere ad me redeas. » Tunc modicum morati, vix completo psalmo ad me redierunt eodem ordine, et dixi novissimo cui prius locutus fueram : « Quid egistis? » — « Galecianus, inquit, sine capite tot et tantos lapides et innumera ligna basilicarum suarum in statera suspendit, quod magis appenderunt bona ejus quam mala, et idcirco animam ejus anobis abstulit. » Et hiis dictis evanuit. Obiit quinto kalendas februarii, sepultus est Aquisgrani in ecclesia rotunda beate virginis. Ab ipso tempore, quo ab Hispania discessit, usque ad diem mortis sue assidue egrotavit. Et pro salute prefatorum in Hispania mortuorum die anniversarii ipsorum semper duodecim millia unciarum argenti et totidem talenta auri et vestes et cibaria pauperibus erogavit, id est XVI° kalendas julii, et totidem psalteria et missas et vigilias cantari fecit. In hoc exemplo datur intelligi, quod, qui ecclesiam edificat, regnum Dei sibi preparat.

De sepultura Karoli Magni imperatoris. Cap. XLVII.

In archivis beati Medardi Suessionis, de sepultura ejus, cum essem juvenis, quedam legi, sed sensum, non latinum, retinui[2].

Karoli Magni exequiis interfuit Leo papa cum proceribus Romanis, multi etiam episcopi et archiepiscopi, duces et comites, abbates et alii innumeri, corpus imperatoris defuncti vestibus imperialibus induentes et festivis, auream coronam capiti imposuerunt. Deinde super auream cathedram, quasi vivum et judicem, fecerunt sedere, et super genua ejus

[1] Ait Pseudo-Turpinus, cap. XXXII.

[2] Ex Andrea Sylvio, lib. II, cap. 9.

textum quatuor evangeliorum aureis litteris scriptum collocaverunt, quem dextra manu, sinistra vero sceptrum aureum tenebat. Cathenulam etiam auream dyademati conjungentes, cathedre auree, super quam sedebat, ne caput defuncti caderet, affigentes, scutumque, quod Romani ei fecerant, ante faciem ejus statuentes, arcam lapideam in qua sepultus erat aromatibus preciosis replentes, monumentum strennue sigillantes clauserunt. Obiit autem anno Domini DCCC° XIIII°, quinto kalendas februarii.

Pontifices hii sunt qui prefuerunt Romane ecclesie eo tempore quo imperavit : scilicet Stephanus, Adrianus de Via Lata, vir nobilissimus, Leo qui a Romanis fuit excecatus. Imperatores vero Romani et Constantinopolitani hii fuerunt : Constantinus, Leo, Constantinus et Hyrene, mater ejus. Constantinus matrem imperio privavit; postea Hyrene imperatrix, super erepto sibi imperio femineo dolore abusa, Constantinum filium suum oculis et imperio privat, et sola annis tribus imperat. Quod audientes Romani, indigne ferentes se hujusmodi femine esse subjectos, Karolum regem Francorum imperatorem in die natalis Domini sibi constituunt. Imperatores vero Constantinopolitani post divisum imperium hii fuerunt : Nychophorus, Stauracius, Mychael, quo imperante Karolus obiit.

Nota : quatuor imperatores in orbe dicti sunt Magni, non quia magni corpore, sed magnitudine rerum gestarum et magnorum principum quos dejecerunt, scilicet Alexander, Pompeyus, Constantinus et Karolus.

Pompeyus namque subjugata sibi Asya provincia etiam regna Judeorum et Syrie cepit; Mitridatem, qui viginti duabus linguis dominabatur, vicit; omnia in potestatem Romanam redigit; Tigranem regem majoris Armenie subegit et regno, cum sepius victus esset, restituit; Ecbaothanam, caput regni Persarum, vi cepit; Arabes in dominationem Romanam subegit : cum XX potentissimis in Oriente pugnavit omnesque superavit. Fuit etiam inter ceteros plurime virtutis et moderationis. Qui cum cepit Jherusalem, et muros fecit destrui, expugnavitque templum, in quo mortui sunt et occisi tredecim millia Judeorum, ubi sacrificavit Jovi in templo Dei : unde, quamvis pridie victor fuerit, postea non vicit, sed a Julio Cesare victus fuit et fugit. Alexander Magnus mundum acquisivit et imperium maxime orientale, et, inter cetera mira sui operis, in XII annis quibus regnavit, fundavit XII magnas civitates, quas Alexandrias vocavit. Constantinus Magnus multas nobilissimas victorias habuit, pacemque reddidit

ecclesie Dei, et post persecutionem Dyocletiani et Maximiani, et tempore sancti Silvestri, terram suam dedit ecclesie Romane, et edificavit Constantinopolim, que prius dicebatur Bisancia, et ibi transtulit nobilitatem Romani imperii. Karolus Magnus rex Francorum, fuit filius Pipini Parvi regis Francorum, filii Karoli Martelli, filii Pipini Grossi sive de Herstallo, filii Ansegisi ex sancta Begga, filia Pipini de Landen. Qui siquidem Pipinus Parvus habuit unum fratrem dictum Karlomannum, qui postea fuit factus monachus Cassinensis. Hic Karolus Magnus non debet nominari Magnus tantum, sed cum quadam additione suam excellentiam designante, utputa Karolus Magnus imperator vel sanctus, ad differentiam Karlomanni avunculi sui.

De canonizatione sancti Karoli. Cap. XLVIII.

Hic autem Karolus Magnus imperator canonizatus fuit anno Domini M° C° LXVI°, tempore pape Alexandri tertii, qui Turonis tenuit concilium generale, presentibus regibus Francie et Anglie, in Francia regnante Ludovico filio Ludovici Grossi. Inter istum Karolum Magnum imperatorem sanctum et canonizatum et Constantinum Magnum predictum fluxerunt quadringenti LXVIII anni. Et fuit electus a Romanis imperator anno regni sui XXXII°, quia Romani Leoni pape oculos et linguam eruerant, sed divina gratia linguam et oculos eidem reddidit; qui a facie Romanorum fugiens venit in Franciam ad Karolum Magnum regem, qui eum Romam reduxit et in sedem suam reposuit, et delinquentes in papam punivit, et omnes Romanos in pace et obediencia pape reposuit.

Collecta de beato Karolo : — « Deus, qui anime famuli tui Karoli eterne » beatudinis premia contulisti, concede propicius, ut, qui peccatorum no- » strorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. »

De regno Ludovici Pii et ejus coronatione a Stephano papa. Cap. XLIX.

815 Anno Domini DCCC° XV°, anno primo Leonis imperatoris Constantinopolitani, imperavit Ludovicus filius Karoli Magni super Romanos et Francos annos XXVI. Inter utrumque imperatorem pax firmatur. Ste-

phanus papa in Franciam veniens Ludovicum imperatorem coronavit. Anno II° imperii sui Ludovicus imperator exercitum contra Danos mittit, et ab eis obsides accipit. Anno III° Wascones ab imperatore deciscunt; sed ab ejus exercitu edomiti cito resipiscunt. Anno IV° Scloamyr rex Abodritarum ab imperatore Ludovico deficit, et ad Danos transit. Anno V° Britones sibi subdit, et Bernardum regem Ytalie, adversus se conspirantem, et inde accusatum et reum majestatis adjudicatum, primo regno, postea oculis et dehinc vita privat. Hic fuit vir clementissime nature, unde, cum juxta suorum levitatem morum rempublicam disponeret, tulit finem multis adversitatibus, plerumque tam a liberis quam a regni proceribus crudeliter impugnatus fuit; tamen preceptorum Domini ferventissimus exsecutor, et legis sancte strenuissimus propagator. Congregatis namque episcopis et nobilissimis viris fecit componi et ordinari librum, canonicam normam continentem. Ipsius denique tempore ceperunt deponi ab episcopis et clericis balthei gemmis ornati, et cingula auro compta, et exquisite vestes et alia secularia pariter ornamenta. Adjecit preterea quedam secularibus legibus capitula pernecessaria.

Genuit etiam serenissimus imperator filios tres ex Ermengarde, prima uxore sua : scilicet Lotharium, Pipinum atque Ludovicum. Et ex sua uxore secunda, filia ducis Bavarie, nomine Judith, genuit Karolum Calvum regem Francorum. Porro Lotharius, imperatoris primogenitus, dum esset a patre benignissimo super Ytaliam constitutus, Romam venit, et die Pasche, in ecclesia beati Petri, a Paschali papa coronam cum nomine Augusti accepit.

Anno Ludovici VI° Aquisgrani generali conventu habito, per dispositionem Ludovici imperatoris episcoporumque et abbatum, aliqua capitula ad usus regularium monachorumque addita sunt, et multa sanctarum scripturarum compilatione facta, clericorum et clericalium sanctimonalium regule constitute sunt [1].

Anno VII° Paschalis papa corpus sancte Cecilie virginis, ipsa revelante, invenit, aureis velatum indumentis, sanguine ipsius adhuc infusis. Et ipsam et corpora sanctorum Valeriani sponsi ejus, et Tiburcii et Maximi, Urbani quoque pape in ecclesiam a se eis edificatam transposuit [2].

[1] Sigebert. ad an. 820.

[2] Id. ad an. 821.

De quibusdam incidentiis illius temporis[1]. Cap. L.

Anno ejusdem VIII° in Turingia cespes longitudine pedum L et latitudine XIIII, altitudine sesquipedali, sine manibus, de terra prescisus et sublatus est, et ultra pedes XXV translatus est. In Saxonia tellus in modum aggeris limite unius leuce intumuit. Anno IX° elevatio sancti Usmari confessoris Lobiensis celebratur. Lothario a patre in Ytaliam directo et a Paschali papa consecrato, Rome quidam nobilium perimuntur, pro eo quod proniores esse justo viderentur ad fidelitatem Lotharii imperatoris. Quod crimen cum etiam in Paschalem papam intorqueretur, papa se apud imperatorem excusat, et de hoc crimine coram populo et legatis imperatoris Rome cum magno episcoporum numero se jurejurando expurgat. Terremotus factus est; multe ville et domus celesti igne cremantur; homines et animalia ictu fulminum exanimantur; fruges grandine vastantur: cum ipsa grandine veri lapides immensi ponderis cadunt. Et hec prodigia grandis hominum mortalitas subsequitur. In territorio Tullensi. villa Comerciaco. puella duodennis, post sacram communionem in pascha a sacerdote susceptam, primum per decem menses pane, deinde omni cibo et potu per triennium abstinuit, et postea ad communem hominum vitam rediit.

Anno X° Eugenius Romane ecclesie centesimus presidet. Corpora sanctorum Severi Ravennatis episcopi, et uxoris ejus Vincencie, et filie Innocencie ab Otgario archiepiscopo Maguneiam translata sunt. In Gallia ante solsticium estivale, aëre in tempestatem repente converso, ingens fragmentum glaciei cum grandine cecidit, cujus longitudo pedes quindecim. latitudo sex, grossitudo duos pedes habebat. Legati Mychaëlis imperatoris. inter cetera munera, detulerunt Ludovico imperatori libros Dyonisii Areopagite, ab ipso conscriptos de hierarchia, id est sacro principatu, petente Ludovico ipso de greco in latinum translatos. Qui libri Parisius in ipso sacri martiris festo missi sunt et cum gaudio suscepti : quod gaudium virtus sancti martiris auxit, XIX egrotis in ipsa nocte ibi sanatis. Walcandus Leodiensis episcopus corpus sancti Huberti transfert a Leodio ad Andagium monasterium.

[1] Cfr. Sigeb. ad an. 822 et seq.

De Rabano et scriptis ejus. Cap. LI.

Rabanus, sophista et sui temporis poëtarum nulli secundus, fit abbas Fuldensis, qui multa de scripturis sanctis disseruit; qui etiam librum de laude sancte crucis, figurarum varietate distinctum, difficili et mirando poëmate composuit, et, Sergio papa, sancto Petro offerendum misit. Idem tractatus in libro Sapiencie et in Ecclesiastico ad Ochgarium archiepiscopum edit. Hic tandem ex abbate Fuldensi Maguncie archiepiscopus ordinatus est, ubi celebrata synodo, jussu Lodovici regis, multa ecclesie utilia decrevit [1].

Scripsit ergo de laude crucis libros duos, de institutione clericorum librum, super Genesim libros quatuor, super Numerorum librum, super Regum libros IIII, super Paralipomenon libros IIII, super Judith libros VII, super Esther librum unum, super Sapiencie libros tres, super Ecclesiasticum X, super Jheremiam librum, super librum Machabeorum libros tres, super Matheum libros octo, super Actus apostolorum librum unum: scripsit preter hec et de naturis rerum et multa alia.

De ejusdem metrica lauda crucis XXIV :

O crux, que summi es nato dedicata tropheo,
O crux, que Christi es claro benedicta triumpho,
O crux, que excelsis et toto dominaris olimpo,
O crux, dux misero, lataque redemptio mundo :
Te patriarcharum laudabilis actio signat,
Plebsque prophetarum divino flamine missa
Agmine apostolicum pandit tua rite trophea,
Martirum et ipse chorus effuso jure cruore.
En arx alma crucis, en fabrica sancta salutis,
En thronus hic regis, hec consolatio mundi.
Signa crucis Christi Seraphim celestia monstrant,
Distentisque alis brachia tensa notant.
Forma sacrata crucis venerando fulget amictu,
Magnus vestit honor, letus loquor hec nationi.
Crux sacra, tu etiam es regis victoria Christi,
Et orbi toti Domini quoque passio vita.
In cruce lex Domini decoratur luce chorusca,

[1] Vid. Sigebert. ad. an. 824, 827 et 848.

Gentes et lingue sociantur laude sacrata.
Crux, eterna Dei laus vivis in arce polorum,
Crux superis placita es, crux huic es navita mundo :
Rabanum memet clemens rogo, Christe, tuere,
O pie judicio, etc. [1]

De quibusdam incidentiis illius temporis [2]. Cap. LII.

Anno XI° Ludovici Herioldus rex Danorum, cum uxore et filiis et magna parte Danorum, Maguncie baptizatur, et ab imperatore muneribus et parte Frisie in beneficium sibi data honoratur. Hilduinus, abbas sancti Dyonisii sacrique palacii archicapellanus, Romam mittens a papa Eugenio sancti Sebastiani corpus accepit, et Suessionis in basilica sancti Medardi collocavit. Ubi dum adhuc in loculo inhumatum, in quo allatum est, jaceret, tanta signorum et virtutum gratia in nomine ejusdem martiris enituit, ut a nullo mortalium vel enumerari vel enarrari possit. Quorum quedam tanti stuporis esse dicuntur, ut humanam fidem excedant, nisi certum esset Deum, pro quo idem martirium passus est, omnia posse facere. Anno XII° corpora Marcellini et Petri martirum de Roma sublata et in Franciam translata sunt, et multis signis clarificata. Corpus etiam sancti Gregorii pape ad urbem Suessionis translatum esse dicitur. Anno XIII° Rabanus abbas tractatus in libro Sapiencie et in Ecclesiastico ad Ochgarium edit. Amularius librum de officiis ecclesiasticis ad imperatorem Ludovicum scribit. Angelomus etiam ad eundem imperatorem Ludovicum tractatus in libro Regum edit. Ansegisus abbas Lobiensis edicta imperatoris Magni Karoli et Ludovici filii ejus, ad ecclesiasticam legem pertinencia, in duobus libellis digessit. Anno XIIII° ejusdem in Wasconia annona de celo pluit, frumento similis, sed grana breviora habens. Corpora sanctorum Valentini et Genesii in Augiam monasterium translata sunt.

[1] Alia insuper in MS. Cod. Corsendonkano leguntur excerpta ex Rabano Mauro. Illa autem, ad rem historicam minime spectantia, praetermittimus.

[2] Ex Sigeberto ad an. 825 et seqq.

De captione et morte Bernhardi regis Ytalie. Cap. LIII.

Anno dominice incarnationis DCCC° XVIII° Bernhardus filius Pipini, 818.
filii Karoli Magni, rex Ytalie, ad imperatorem Ludovicum filium Karoli Magni Aquis evocatus, dolo capitur, et primo oculis, deinde vita privatur. Habuit autem ipse Bernhardus filium nomine Pipinum, qui tres filios genuit, Bernhardum, Pipinum et Heribertum. Qui Heribertus Rodulphum comitem, filium Balduini Ferrei, interfecit, et non multo post occisus est a Balduino, satellite Balduini Calvi, fratris Rodulphi. Qui Balduinus Calvus filius est Balduini Ferrei, qui tunc in Flandria ducatum tenuit.

De Ludovico imperatore, qui depositus fuit, et ob quam causam.
Cap. LIV.

Anno XV° contra Ludovicum imperatorem commocio et simultas filiorum ejus et optimatum exoritur. Anno XVII° Ludovicus imperator adversantes sibi quosdam exauctoravit, alios exiliavit, alios bonis privavit, ac per hoc filios et optimates suos magis contra se exacerbavit. Anno ejusdem XVIII° imperator uxorem Judith, quasi causam malorum, abdicavit. Anno XIX° Ludovicus imperator a suis desertus ac proditus, atque in potestatem filiorum redactus, episcoporum judicio arma deposuit, et ad agendam penitenciam inclusus est. Sol et luna per eclipsim deficiunt. Preterea sciendum est, quod anno secundo ducatus Pipini Parvi Welpho dux Bavarie rapuit sororem ejusdem Pipini nomine Judith, ex qua genuit filiam Judith nomine, quam postea Ludovicus Pius, imperator Romanorum et rex Francorum, mortua domina Ermengarde prima uxore sua, ex qua genuerat tres filios, scilicet Lotharium, Pipinum et Ludovicum, duxit in uxorem Judith, filiam ducis Bavarie, neptem suam, ex qua genuit Karolum Calvum Francorum regem. Propter hoc illicitum matrimonium sanctus Fredericus episcopus Trajectensis, qui de hoc predictum imperatorem Ludovicum increpare ausus fuit, perpessus est martirium, prout habetur in cronica pontificum Trajectensium, per modum sequentem.

De sancto Frederico episcopo Trajectensi, et ejus martirio, ex eo quod Ludovicum imperatorem excommunicaverat propter incestum Judith[1]. Cap. LV.

Fredericus, hujus patrie puer ingenuus, in etate tenera per matrem suam nobilem Trajectum adductus, ac in domo Domini cum hostiis et muneribus divine milicie mancipatus est. Rixfridus autem episcopus eundem puerum, velut adoptivum, tam in moribus quam in artibus eleganter instruxerat, premeditans inspiratione divina, quod in episcopatu sibi succederet. A juvenilibus enim annis idem puer adeo laudabiliter conversatus fuit in domo Domini, ut ad omnes sacros ordines digne promoveretur per manus ejusdem episcopi. Demum abeunte Rixfrido pontifice, Ludovicus imperator cum Judith illicita conthorali sua descendit ad inferiores Alemannie partes cis Renum flumen, mandans ecclesie Trajectensi, quatenus dilectus sibi Fredericus eligeretur in episcopum, cui mox per pastoralem baculum seu annulum investituram episcopatus dedit, ac eundem licet invitum in presencia sua consecrari jussit. Peracta denique benedictione solempni, Cesar imperavit festivam celebrari curiam, cunctisque discumbentibus magnam ferculorum ostendit opulenciam. Crastina exhinc exorta luce, cum solare jubar matutinum illustraret emispherium, imperator placabilibus verbis in hunc modum Fredericum allocutus est episcopum : « Elegit te, karissime fili, clerus urbis Trajectensis in pastorem providum, ut tua sancta predicatione debeas ubique prophanum castigare populum. Est autem Walchara[2], tue dyocesis insula, multum infamis, ubi, proch dolor, concumbere dicitur non solum frater sorori, verum etiam filius sue proprie genitrici. Quapropter te adjuramus per omnipotentem Deum, quatenus tales abhominandos homines synodali correctione non formides punire, aut certe, si opus fuerit, excommunicare non omittas. » Fredericus autem episcopus hiis auditis ingemuit, ac eidem imperatori tale responsum edidit : « Magno quidem juramento me perstrinxit vestra majestas, Cesar Auguste : propterea dicat, oro, magnificencia

[1] Cfr. *Acta Sanct.*, t. IV, julii, p. 452, et Butler, *Vies des Saints*, t. IV, p. 476.

[2] Walachria, insula Zelandiae.

vestra, a qua parte corporis piscis manducandus inchoari debeat.» Imperator autem admirando super tali questione sic respondit: «Estimo, quod piscis a capite primo comedendus est, in quo pre ceteris membris medulle pluris est.» Cui sanctus ait episcopus: «Optime judicasti, imperator inclite. Quamobrem vos, qui princeps estis sive caput populi, primo redarguam, antequam ad caudam Walcherensis vulgi deveniam. Est enim vobis uxor, contra decreta canonum et statuta pontificum, Judith, ducis Bavarie filia, que vestre majestatis carnalis est consanguinea, de cujus vetito thoro vos ammoneo per condignam penitenciam abstinere; alioquin vobis annuncio inevitabile dampnum vel periculum evenire. Dicit enim apostolus: Fornicatores et adulatores judicabit Deus.» Hec et hiis similia dum sacer antistes constanter assereret, et sermonem suum multis sanctorum auctoritatibus explete concluderet, imperator ingemiscens postulavit veniam, promittens illicitam a se repudiare feminam, et beatus antistes, extunc valedicens Augusto, magnifice cathedratus est in Trajecto, ubi precipuam in orationibus, eleëmosinis et jejuniis curam egit, ac annosas templi sive castri ruinas providissime reparavit. Non multo dehinc elapso tempore sacer episcopus flante subsolano ratem suam Walchere partibus applicuit, ubi pro correctione plebis continuo sanctam synodum celebrare statuit. Quidam enim predicatione sancti viri compuncti suscepere penitenciam; quidam vero obstinati corde, arma comprehendentes, minabantur eidem inferre contumeliam. Quapropter discedente episcopo barbare gentes predictam invaserunt insulam, Eggardum comitem cum multitudine Francorum perimentes, multasque feminas abinde captivas cum spoliis et diversis suppellectilibus asportantes. Sanctus episcopus exinde suam dyocesim undecunque perlustrans pervenit ad Frisiam, ubi de sancta Trinitate percepit Arrianam molere perfidiam, quam et ipse cum magno laboris studio prorsus exstinxit. Beato Odulpho, sancti Salvatoris canonico Stavereusis, ecclesiam commisit, et extunc omnibus peractis bene Trajectum saluberrime transfretavit. Ludovicus autem imperator hec attendens verebatur ulterius illuc permanere cum bannita sua femina, que multis vicibus sanctum antistitem corrumpere nitebatur per oblata munera; sed vir Dei blandis suggestionibus nequaquam emolliri potuit, ac illicitum matrimonium contractum omnibus modis divortiari studuit. Qui et imperatori de paterne pietatis affectu placabilem direxit epistolam, antequam infulminaret

in eum excommunicationis sentenciam. Quamobrem imperatrix, instigante dyabolo, concepit invidie zelum adversus sanctum episcopum, premeditans qualiter ipsi inferre posset mortis interitum. Que tandem duos male voluntatis vernaculos conduxit, quos in mortem sancti pontificis conjurare fecit. At illi Trajectum euntes simulaverunt se familiares imperatoris esse, et episcopo civitatis necessariam legationem detulisse. Beatus autem Fredericus, attendens inspiratione divina sibi martirium imminere, jussit eosdem legatos ad finem misse paulisper exspectare. Qui post lectum evangelium in ecclesia sancti Salvatoris sermonem fecit ad populum, predixitque per allegoriam suum jam instare martirium. Expleto divino misterio, sacer antistes adhuc ornatus sacrarium sancti Jahannis subintravit, ubi pro constancia passionis devotas preces ad Deum fudit, jubens legatos ad presenciam suam accedere, et familiarem suum clericum retro altare sancti Salvatoris aliquantisper attendere. Et ecce presul almifluus ait ad carnifices: « Vestram nunc adimplete legationem, quam parte prescivi, priusquam ad hanc devenistis civitatem. » Ac illi continue trahentes cultros ex manicis irruerunt in sacrosanctum episcopum, dicentes hec verba derisoria dedignanter ad alterutrum: « Nunc imperatrix a te desideratam habet ulcionem, cui multis vicibus crudelem intulisti persecutionem. » Quibus exinde sanctus respondit episcopus: « Karissimi, domine vestre postquam commissum implevistis imperium, nunc exinde cursu celeri maturate diffugium. » Nec mora quin et idem carnifices concito gradu Renum transfretantur, ac imperatrici cruente de nece sancti martiris nova gaudia detulerunt. Interea presul almifluus convocato clerico suo dixit: « Fili, trucidatus sum propter veritatem et mansuetudinem et justiciam; convocate sine mora sanctam Trajectensem ecclesiam, ut corpusculum meum catholicis inhumetur exequiis, et spiritus redeat ad Dominum in eternis gaudiis. » Clericus autem hiis auditis concitavit ejulatu magno cunctum populum, qui comprehensis armis cucurrerunt ad moribundum episcopum. Quibus flebiliter circumstantibus electus martir quasi prophetando sic ait: « Fratres et filii karissimi, si qua pars michi sit in celo cum sanctis martiribus, pro vestre salutis incolumitate devotis orabo supplicationibus; verumptamen, propter imperatricis istic commanentis adulterium, Dani, proch dolor, istud totum evertent episcopium. » Et hiis dictis martir inclitus, data benedictione, subterraneam criptam ejusdem ecclesie constanter intrans in sarcophago se locavit,

atque psalmodias exequiarum personaliter in hunc modum incepit : *Placebo Domino in regione vivorum, etc.* Martirizatus est autem hic episcopus anno Domini DCCC° XXXVIII°. XV° kalendas augusti. qui miraculis ibi claret ad laudem et gloriam Jhesu Christi.

Pontifices tam Germanie quam Gallie. percipientes innocentem necem sancti martiris, omnes conspiraverunt contra tyrannidem imperatoris et sue nephande conjugis. Gregorius papa autem hiis auditis descendit in Franciam. transmittens Ludovicum Cesarem Suessionis in claustralem penitenciam. Yesse quidem Ambianensis episcopus imperatrici velamen imposuit, quam ad penitendum sub monastica disciplina Pictavum transtulit. Principes autem Francorum Lotharium, primogenitum Ludovici Cesaris. ad imperatorem elegerunt, et de communi consensu desuper thronum majestatis honorifice collocaverunt.

Notandum est enim. quod a passione sancti Bonifacii presulis dilapsi sunt anni LXXXVI. in quibus apud sanctam Trajectensem ecclesiam sex egregii floruerunt episcopi, quorum gesta chronographorum ignavia pretermisit. et minus distincte post venturis nationibus annotavit. *Hec in cronica pontificum Trajectensium.*

Anno XX° Ludovicus imperator relaxatus arma et imperium et uxorem recepit, ac filium Lotharium in Ytaliam redire coegit. Anno XXI°, monente Gregorio papa et omnibus episcopis assentientibus. Ludovicus imperator statuit. ut in Gallia et Germania festivitas omnium sanctorum in calendis novembris celebraretur, quam Romani ex instituto Bonifacii pape celebrabant. Hoc tempore reliquie Viti martiris a Parisiis Corbeyam Saxonie transferuntur, unde ipsi Franci testati sunt. quod ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones translata est. Ebbo Remorum archiepiscopus deponitur. aliique multi. qui cum eo in dejectione Ludovici conspiraverant, dampnantur et exiliantur. Anno XXV° Ludovicus imperator filio suo Lothario sub fide ad se venienti reconciliatur, eique dignitatem imperii et regni tribuit coronam. Cometes in signo Arietis apparet, et per aliquot dies plurimi instar stellarum igniculi per celum discurrere videntur. Anno imperii Ludovici XXVI° et incarnationis Domini DCCC° XL°, ipse Ludovicus imperator. dum filium suum Ludovicum trans Renum persequitur. morbo gravatur, et in navem missus per Moinum fluvium ad Renum deducitur, ibique in insula juxta Ingelenheym vita dicedit. Inde Mediomatricum. id est Metis. deporta-

tus, in beati Arnulphi basilica honorabiliter sepelitur. Statimque Lotharius, ex Ytalia regressus, solus imperium arripuit, et imperat annis XV.

De imperio Lotharii et eventibus illius temporis. Cap. LVI.

841. Cepit autem Lotharius imperare anno Domini DCCC° XLI°, cujus anno primo Ludovicus et Karolus, filii Ludovici quondam imperatoris et fratres Lotharii, indigne ferentes, dolentesque se ab eodem fratre suo Lothario debita parte regni privari, contra eum insurgere parant. Anno ejusdem secundo cometes in signo Aquarii apparuit. Tribus fatribus de partitione discordantibus, adjuncto Lothario Pipino cum Aquitanorum populo, conseritur inter eos pugna in pago Antisiodorensi, apud villam Fontaniacum, et tanta cedes utrimque facta est, ut nulla etas meminerit tantam stragem hominum fuisse factam in gente Francorum; et ita eorum vires ibi attenuate sunt, ut jam nec suos terminos ab exteris tueri possent : victoria tamen Ludovico et Karolo pervenit. Hiis temporibus floruit Theodulphus abbas Floriacensis, postmodum episcopus Aurelianensis. De quo refertur quod illos versus, quos in die Palmarum singulis annis ecclesie Galliarum decantare in usu habent, ipse composuit, id est : *Gloria, laus*, etc. Quos cum ipse, Ludovico imperatore secus domum, in qua exul detinebatur apud Andegavum, transeunte, decantaret, audiens imperator et misertus illius, illum absolvi jussit. Anno quarto Sergius Romane ecclesie centesimus quartus presidet, ad cujus electionem confirmandam Ludovicus filius imperatoris Lotharii a patre missus, ab eodem papa in regem Longobardorum unctus est. Mauri Beneventum occupant. Descripto in tres partes regno, fratres ad urbem Gallie Virdunum convenerunt, et inter se pacificantur, et datis et acceptis invicem sacramentis, quisque ad descriptas sibi partes regni tuendas revertitur. Karolus accepit occidentalia regna, a Britannico oceano usque ad Mosam fluvium, in qua parte extunc et modo nomen Francie remansit. Ludovico orientalia regna cesserunt, omnis scilicet Germania usque ad Reni fluenta, et aliquas trans Renum civitates, cum pagis adjacentibus, propter vini copiam. Lotharius, qui major natu erat et imperator appellabatur, omnia Ytalie regna tenuit cum ipsa Roma, necnon et Provinciam et mediam partem Francie, inter Scaldim et Renum, que Austrasia sive inferior

Austria vocabatur, et mutato nomine ab eo denominatur Lotharingia. Post factam ergo divisionem Karolus regnavit in Francia annis XXXIIII. Ludovicus frater ejus in Germania annis XXXIII.

Anno ejusdem Lotharii VII° Leo quartus Romane ecclesie centesimus quintus presidet. Hic decrevit, ut missarum sacra solempnia dum celebrantur, nullus ex laicis in presbiterio stare vel sedere aut ingredi presumat, nisi tantum sacra plebs, que ad ministrationem sacri officii constituta est. Decrevit etiam, ut octave assumptionis sancte Marie in ecclesia Romana celebrarentur, quod ante non fiebat. Anno ejusdem octavo Rabanus abbas Fuldensis, ordinatus Maguncie archiepiscopus, celebrata synodo Maguncie jussu Ludovici regis, multa ecclesie utilia decrevit. Quedam pseudoprophetissa, dicens instare diem judicii, Maguncîam sollicitabatur, ita etiam ut aliquas sacri ordinis ad se inclinaret: que, ab archiepiscopo correpta, confessa est se per suggestionem cujusdam presbiteri questus causa hoc fecisse. Anno ejusdem IX°, sancta Helena imperatrix a suo filio Constantino Magno, primo hujus nominis imperatore, Rome in ecclesia sanctorum Marcellini et Petri martirum in mausoleo porphireo sepulta, ad Franciam a Theogiso monacho transfertur, et in dyocesi Remensi magna Francorum veneratione excolitur. Anno ejusdem XI° reliquie sancti Hermetis martiris per Lotharium imperatorem in gaudio mittuntur, et apud Compendium monasterium magnifice conduntur. Fames valida Germaniam attrivit, ita ut etiam pater filium devorare voluerit. Quo tempore Rabanus archiepiscopus multam pauperibus benevolentiam exhibuit. Anno Domini incarnationis DCCC° LI° obiit Hermingardis regina, conjunx Lotharii imperatoris, venerabilis et Deo acceptabilis matrona, que tres filios Lothario genuerat, videlicet Ludovicum, Lotharium et Karolum. Anno ejusdem Lotharii XII° Karolus Calvus rex Francorum filios fratris sui Pipini regis Aquitanie, Pipinum et Karolum, regnum inquietantes, cepit, et cecatos, cum consilio episcoporum in monachos attonsos, Suessionis in monasterium sancti Medardi recondit. Inde duobus monachis consentientibus, simul et opem ferentibus, fuga dilapsi sunt: sed iterum capti in Silvanectis castro munitissimo custodie mancipantur. Fuit etiam iste Pipinus filius Ludovici imperatoris, de quo fertur, quod cum pater, dum adhuc puerilis erat etatis, voluerit ad clericatus officium promovere, ac Drogoni episcopo Metensi, avunculo suo, commendare erudiendum liberalibus simul et ecclesiasticis disciplinis. Sed

paternis votis Lotharius, frater ejusdem pueri, obvius nequaquam permisit eum attondi, sed vi abstraxit de manu patris. Erat enim idem puer ingentis pulchritudinis, cui postmodum pater Aquitaniam provinciam tamen concessit. sed non ei fuit id prosperum, quod a Dei cultura et servicio revocatus est: ebrietatibus enim et commessationibus die noctuque vacans, ad extremum mente captus in maniacam incidit passionem, et presentem vitam cum dedecore amisit, successorem relinquens Pipinum filium supradictum. Anno XIII° Northmanni per mare Britannicum ostia Ligeris ingressi, urbem Nannetum invadunt, episcopum sabbato sancte Pasche baptismum celebrantem trucidant, clerum et populum perimunt. Deinde Andegavos et postea Turones occupant, et ut tempestas omnia diruunt, templum etiam sancti Martini incendunt. Anno ejusdem XIIII° Hincmarus Remorum archiepiscopus in Francia claret, qui vitam sancti Remigii scripsit. Anno ejusdem XV° terremotus, aëris insolita commotio, turbines, tempestates. grandines, fulmina multa multis hominibus incommoda inferunt. Quidam etiam homo igne celesti consumptus est, veste illesa manente.

De divisione inter tres filios Lotharii imperatoris. Cap. LVII.

855. Anno DCCC° LV° Lotharius, primoribus regni adstantibus, imperium suum inter filios divisit; Ludovico regnum Romanorum et Ytaliam tradidit, eumque imperatorem appellari fecit; equivoco vero, id est Lothario, regnum. quod ex suo nomine vocatur, concessit; Karolo autem, qui junior natu erat, Provincie regnum largitus est. Dispositis itaque et ordinatis imperii negociis, valedicens suis seculum reliquit, atque in Prumia monasterio veniens. comam capitis deposuit. habituque sancte conversationis suscepto in religionis professione diem clausit extremum, 5° kalendas octobris, anno incarnationis dominice DCCC° LV°. imperii sive regni sui XXXIII°.

De imperio Ludovici secundi et eventibus illius temporis. Cap. LVIII.

Lotharius imperator, partito inter filios regno, abrenunciat seculo, et in Prumia monasterio habitu monachi suscepto, non multo post dormivit in

Domino. Ludovicus filius ejus, olim a Sergio papa in regem inunctus, anno Domini DCCC° LVI°, mundi vero MMMM° DCCC° XIX°, imperat annis XXI; Lotharius vero frater ejus Lotharingiam tenet. Anno Ludovici primo Maginradus heremita martirizatur; Rabanus, egregie vite et sancte Maguntinus archiepiscopus, obiit. Anno ejusdem secundo Nycholaus Romane ecclesie centesimus octavus presidet, cujus confirmationem Ludovicus imperator sua presencia corroboravit. Colonie, orta tempestate, populo in basilica sancti Petri confugiente, subito fulmen instar ignei draconis basilicam scidit et penetravit, et tres homines diversis quidem locis sed uno ictu in mortem dejecit, alios etiam sex eodem impetu semivivos reliquit. Anno ejusdem tertio Franci super crudelitate Karoli Calvi regis sui apud Ludovicum fratrem ejus expostulant, et eum ad regnandum super se contra Karolum invitant. Quod ille inconsulte aggressus, turpiter excessit fraterni regni finibus. In parochia Maguntina malignus spiritus evidens nequicie sue dedit indicium; nam primo lapides jaciendo et parietes domorum quasi malleis pulsando, inde manifeste loquendo, furta etiam prodendo, discordias inter vicinos seminando, homines inquietabat; denique animos omnium contra unum hominem commovit, quasi propter ejus peccata ceteri talia paterentur, cujus fruges in unum coacervatas incendit. Qui ubicunque intrasset, statim domus illa exurebatur, ut jam ei nisi in agris locus manendi nullus esset. Propter hoc presbiteris letanias agentibus et benedictam aquam spergentibus, inimicus, lapides jaciendo multis cruentatis, tamen aliquamdiu quievit; presbiteris recedentibus, inimicus flebiliter ululans, tandem presbiterum quemdam nominatim exprimens, se, quoniam aqua benedicta aspergebatur, sub cappa quasi familiaris sui latuisse professus est, accusans eum cum filia procuratoris concubuisse: sic per triennium institit, donec ibidem cuncta edificia incendio consumeret.

De matrimonio Lotharii regis Lotharingie. CAP. LIX.

Anno dominice incarnationis DCCC° LVI° Lotharius, rex Lotharingie, 856
Thietbergam reginam sibi in matrimonium junxit, ex qua conjunctione maxima ruina non solum illi sed etiam omni regno ejus accidit, sicut in sub-

sequentibus luce clarius apparebit. Anno Domini DCCC° LVIII° Karolus rex, filius Lotharii imperatoris, moritur, qui Provinciam regebat, et ex regno, quod tenuerat, facta est non modica controversia inter Lotharium regem et avunculum ejus Karolum Calvum. Anno Domini DCCC° LIX° Lotharius Hugberto abbati ducatum inter Jurum et Montem Jovis commisit, eo quod tunc fidelissimus putaretur, utpote affinitate conjunctus propter sororem Thietbergam. Anno Domini DCC° LX° Egil abbatiam Prumiensem sua sponte dimisit, et Ansbaldus in regimine successit, vir omni sanctitate et bonitate conspicuus. Hiis temporibus Ludovicus senior, frater Lotharii imperatoris, plura bella strenuissime gessit adversus Slavorum gentes. Siquidem Marahensium regna ingressus, armis cuncta perdomuit capto eorum principe Rastiz, cui etiam propter violata federa oculos effodere jussit. Ea tempestate inter principes Karoli Calvi magnum discordiarum et litigii efferbuit incendium; nam Lambertus, qui ducatum tenebat inter Ligerim et Sequanam, Vivianum, potentem virum, dolo interfecit; rursus eundem Lambertum Gausbertus comes cum aliis eque dolo trucidavit. Idem Gausbertus jussu Karoli decollatus est. Destitutam ergo terram principibus et consilio nudatam perspicientes Britones arma corripiunt, fines regni Francorum invadunt, Ligerim transeunt et usque Pictavum progrediuntur, cedibus, rapinis atque incendiis omnia depopulantes, oneratique ingenti preda ad propria redeunt. Ad compescendam hujus presumptionis insolenciam Karolus cum magno exercitu Britanniam intravit; pugna committitur; Saxones, qui conducti fuerant ad excipiendum velocium equorum anfractuosos incursus, in prima fronte ponuntur. Sed primo impetu, spiculis Britonum territi, in acie se recondunt. Britones, more solito huc illucque cum equis ad hujuscemodi conflictum exercitati discursantes, nimio confertam Francorum aciem impetunt ac totis viribus in medio spicula torquent, nunc fugam simulantes insequentium nichilominus pectoribus spicula infigunt. Franci, qui cominus strictis gladiis pugnare consueverant, attoniti stabant, novitate ante inexperti discriminis perculsi, nec ad insequendum ydonei, nec in unum conglobati tuti : nox superveniens prelium dirimit. Multi ex Francis interfecti, quamplurimi vulnerati, et innumerabiles equi perierunt. Sequenti die rursus pugna inchoatur, sed graviori infortunio finitur. Quod cernens Karolus, nimio terrore dissolutus, noctu inscio exercitu aufugit, derelicto papilione, tentoriis et omni regio apparatu. Mane facto

cum exercitus fuga lapsum regem comperisset, nimia formidine repletur, et nichil aliud nisi de fuga meditatur. Britones cum clamore irruunt, castra Francorum omnibus diviciis referta invadunt, omnemque belli copiam capessunt, fugiencia Francorum agmina insequuntur, obvios quosque aut ferro cedunt aut vivos capiunt; reliquos fuga servavit. Ditati itaque Britones opibus Francorum armisque instructi, in sua se recolligunt.

Anno Domini DCC° LXI° Karolus placitum habuit in Compendio, ubi quoque cum optimatum consilio Roberto comiti ducatum inter Ligerim et Sequanam adversus Britones commendavit, quem ingenti industria per aliquot tempus rexit. Anno DCCC° LXII° Numeneus rex Britonum moritur divino numine percussus; nam, cum ecclesias Dei devastaret et confinia Francorum crudeliter depopularetur, eo quod Karolo debitam fidelitatem non servaret, quadam die, cum equum ascendere vellet, ut ceptam maliciam consummaret, repente vidit ante se sanctum Maurilionem episcopum astare sibi, hec torvo vultu et terribilibus oculis ingeminantem: « Desine jam, crudelis predo, ecclesias Dei devastare. » Hiis dictis baculum, quem manu gestabat, elevans, eum in capite percussit; qui a suis in domo reportatus vitam cum regno finivit. Fuit autem iste Maurilio episcopus Andegavensis urbis, cujus civitatis termini coherebant finibus Britannie, et idcirco graviter ab eis depopulabantur. Filius Numenei Herispoius regnum optinuit paternum, anno Domini DCCC° LXIII°. Karolus iterum cum immenso exercitu fines Britonum intravit, sed minime, ut optaverat, prevaluit. Novissime cum eis pacem fecit; datis itaque ab utraque parte obsidibus et sacramentis, Herispoius rex ad eum venit, et ejus dominationi se subdidit. Karolus magnis muneribus honoratum Herispoium in regnum abire permisit: ipse in Franciam revertitur.

Qualiter Lotharius, rex Lotharingie, suam dimisit uxorem propter Waldradam concubinam suam, neptem archiepiscopi Coloniensis [1]. CAP. LX.

Anno Domini DCCC° LXIIII° Lotharius rex cepit occasiones querere 864

[1] De dissidiis matrimonialibus Lotharii confer Baronii Annales ad an. 862 et seqq., t. XIV, p. 564, edit. Mansii. Omnia fere, quae hoc capite et seqq. de illo negotio enarrat Dynterus, ex Reginonis chronico exscripsit. Cfr. Pertz, *Monum. Germ. hist.*, tom. I, p. 571 et seqq.

qualiter Thietbergam [1] reginam a suo consortio separare potuisset, quam exosam habebat propter Waldradam, que ejus fuerat concubina, cum adhuc adolescens esset in domo paterna; hanc siquidem, dyabolo inflammante, nimio diligebat amore. Guntharium itaque Coloniensis urbis episcopum, qui eo tempore erat archicapellanus, rex primo per subintroductos missos, deinde per semetipsum super hujuscemodi dissidio aggreditur omni arte, et, ut facilius assensum preberet, promisit se ejusdem episcopi neptem in matrimonium accepturum, tantum ut predictam Thietbergam ejus aliorumque episcoporum auctoritate et licencia repudiare quacunque ratione potuisset. Qui, ut erat levis animo ac inconsideratus actione, protinus omni intentione introducitur, vana spe, ut postea claruit, seductus. Rursus idem Guntharius Theutgaudum archiepiscopum Treverensem hac de causa alloquitur; et sciens eum virum simplicem, nec adeo in divinis scripturis eruditum, canonicisque sanxionibus exercitatum, ex utriusque testamenti paginis sentencias profert, quas aliter, quam ecclesiastica regula docet, edisserens, virum improvidum secum in foveam trahit, cecus ceco ducatum prestans. Quid plura? Facta sunt omnia, que huic commento videbantur esse necessaria. Concilium Metis convocant, reginam quasi canonice evocatam in medio statuunt, testes producunt una cum scriptis, qui, valde gravia crimina imponentes ei, inter alia protestati sunt, quod eadem Thietberga confessa fuisset se ipsam fratris germani incestuoso concubitu esse pollutam. Continuo statuta patrum de incestuosis recitantur, et illorum pretextu concilium Thietbergam a rege Lothario legitimo viro separat, et eidem Thietberge, penitenciam injungens, omnem maritalem copulam interdicit. Et tali nepharia machinatione diu exoptata voluntas [2] regis adimpletur. Non multo post interjecto tempore iterum conventum synodalem Aquis coadunant, ubi rex libellum sue proclamationis obtulit, in quo continebatur, qualiter in quadam femina, nomine Thietberga, factiosis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus; ymmo non mediocriter conquestus est, quod judicium episcoporum dissidii sentenciam protulisset; addens quod, si ydonea esset conjugali thoro et pestifera incestus pollutione fedata non fuisset, nec vive vocis confessione publice condemnata, sponte eam retineret. Porro se incontinentem professus est, et sine copula

[1] Alias *Tebergam* seu *Theutpergam*. [2] Alias *voluptas*.

juvenilis etatis ardorem ferre non posse, petens licenciam ut alteri femine nubere posset. Allatis itaque diversorum conciliorum voluminibus. multa de incestuosis replicata sunt. quibus recitatis hanc diffinitivam sentenciam protulerunt : « Credimus illam non ydoneam fuisse ac legitimam conjugem, neque a Deo preparatam esse uxorem, que publica confessione incestuoso fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioso principi nostro. pro sua in divino cultu devotissima affectione atque virtuosissima regni tuicione, cui non solum nos verum etiam canonica auctoritas interdixit incestuosum conjugium. legitimum matrimonium a Deo illi concessum non denegamus. juxta indulgenciam apostoli dicentis : Melius est nubere quam uri. » Hiis ita patratis. Waldrada jam in publicum procedit stipata obsequentium multitudine. omnisque regia aula resultat. Waldradam reginam esse. Guntharii episcopi neptis ad regem accersitur. ac semel ab eo constupratur, atque cum cachinno et omni derisione ad avunculum remittitur. Igitur, agentibus fratribus Thietberge regine, hec omnia ad noticiam Nycholai pape deferuntur. qui eo tempore Romane presidebat ecclesie.

Anno Domini DCCC° LXV° missi sunt Rodoaldus Portuensis et Hagano Ficoclensis episcopi apostolice sedis legati in Galliam, ad discutiendum utrum res ita se haberet. sicut summo pontifici nunciata fuerat. Qui in Franciam venientes. pecunia corrupti magis faverunt iniquitati quam equitati. Tamen ad regem pervenientes cum ei declarassent legationis sue causas. tale responsum ab eo acceperunt, se nichil aliud egisse, nisi quod episcopi ipsius regni in generali synodo sibi agendum premonstrassent. Dederunt autem inde legati regi consilium, ut illos episcopos, qui illi synodo prefuerant, ad sedem apostolicam destinaret, qui verbis ac scriptis universali pape satisfacerent. Legati. immensis ditati opibus. Romam regressi sunt. nunciaveruntque pontifici. que in Galliis viderant et audierant, adjicientes nullum se sapientem episcopum in regno Lotharii invenisse. qui ad liquidum canonicis esset instructus disciplinis. Interea Theutgaudus et Guntharius archiepiscopi Romam profecti sunt. eo animo et intentione. ut et regem innoxium in supradicto facto demonstrarent, et se cum ceteris coepiscopis ecclesiastica et apostolica exercuisse decreta. Stulticie elogio denotandi. qui illam Petri sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, que nec fefellit. nec ab aliqua heresi unquam falli potuit! Ita-

que cum in presencia Nycholai pape devenissent, libellum optulerunt, in quo continebantur gesta synodalia, que Metis et Aquis ab eis statuta fuerant. Que cum a notario coram omnibus recitata essent, interrogavit pontifex, si hec scripta verbis confirmarent? Responderunt inconveniens videri ut id, quod propriis manibus roboraverant, verbis infirmari mallent. Rursum sciscitatus est papa, an sententiam excommunicationis custodissent, quam apostolica sedes protulit in Engeltrudem, de qua infra dicemus: et confessi sunt se illam violasse. Et sic, nec repulsa, nec admissa eorum assertione, jussi sunt ire ad hospicia sua, quousque revocarentur. Paucis interpositis diebus ad synodum, quam papa congregaverat, sunt accersiti, ubi eorum dampnata et anathematizata sunt scripta, et omnibus adjudicantibus episcopis, presbiteris ac dyaconibus, sunt depositi et omni ecclesiastica dignitate privati [1].

Tam turpiter dehonestati, Ludovicum imperatorem, fratrem Lotharii regis, adeunt, qui ea tempestate Beneventanis morabatur in partibus, scriptis ac dictis vociferantes injuste se esse depositos, ipsi imperatori et omni ecclesie injuriam esse factam, cum nunquam sit auditum vel lectum, quod aliquis metropolitanus sine consensu principis vel presencia aliorum metropolitanorum fuerit degradatus. Addiderunt insuper alia multa, blasphemantes eundem papam, que hic superfluum duximus enarrare, existimantes se ejusdem imperatoris amminiculo simul et intercessionis ope et criminis objecti aboleri notam, et pristine dignitatis recuperare statum; sed spes eorum frustrata est, quamvis imperator omnibus votis illis opitulari voluisset. Theutgaudus, depositionis sue a sede apostolica prolatam sentenciam patienter ferens, juxta precedentem consuetudinem nichil omnino de sacro ministerio contingere presumpsit. Guntharius vero, superbie spiritu inflatus, vetitum sibi officium usurpare temerarie non expavit, parvipendens apostolicam excommunicationem. Revertuntur itaque in Franciam debita confusione respersi, et dum iterum atque tertio sedem apostolicam ob reparationis et restitutionis gratiam adiissent, novissime in Ytalia infirmitate preventi, peregrini et exules moriuntur, communione laicali sibi tantum concessa.

[1] In aliis MSS. additur: « Ut habetur in decretis XI. Q. III. cap. *Teugaldum;* et II Q. I cap. *scelus.* »

De hoc quod destinatur alius legatus a papa ob causam predictam, qui Lotharium alloquitur. Cap. LXI.

Anno Domini DCCC° LXVI° Arsenius episcopus, apocrisiarius et consiliarius Nicholai pape, vice illius directus est in Franciam. Quo perveniens tanta auctoritate ac potestate, ac si idem summus presul advenisset, convocato episcoporum conventu, Lotharium regem alloquitur, ut unum de duobus eligat, aut proprie reconcilietur uxori, abdicato Waldrade pellicis consortio, aut prorsus anathematis gladio feriretur ipse, omnesque ei in hoc scelere favorem prestantes. Hac necessitate constrictus, vellet nollet, Thietbergam reginam in matrimonium recepit, interposito jurisjurandi sacramento se illam ita in reliquum habere, sicut equitatis jura dictant legitimam uxorem esse tenendam, nec eam a se separaret, nec ipsa vivente aliam super eam induceret. Posthec Waldradam ex auctoritate Dei et sancti Petri et verbo domini apostolici Romam ire jubet, ut pro se rationem reddere studeat. Engeltrudem, uxorem quondam Bosonis comitis, a sede apostolica excommunicatam esse omnibus declaravit, quia proprium deseruerat maritum, et Wangerum, suum amasium [1], in Gallias secuta fuerat. Quam excommunicationem, cum omnibus qui aderant episcopis, renovavit. Posthec eadem Engeltrudis predicto Arsenio in Wormacia civitate se presentavit. In quo loco predictus episcopus Ludovico regi occurrebat; juravit ergo in presencia ipsius missi sacramentum, hunc modum continens: « Ego Engeltrudis, filia quondam Matfridi comitis, queque fui uxor Bosonis comitis, vobis, domino Arsenio episcopo, misso et apocrisiario summe sancte catholice atque apostolice sedis, et per vos domino meo Nycholao, summo pontifici et universali pape, juro per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per hec quatuor Christi Dei evangelia, que ore osculor et manibus tango, quod a modo, relicta illa malicia, quam in preunnciato Bosone viro meo exercui, ut ovis, que fuit perdita, ad sanctam catholicam atque apostolicam, sub eadem obligatione, qua dominus Nycholaus, summus pontifex et universalis papa, me obligavit, revertar ecclesiam, et in Ytalicum regnum aut vobiscum aut ante vos, quo modo pro- 866.

[1] Alias minus recte : *suum vassallum.*

videritis, ibo, et quidquid dominus apostolicus jusserit vel terminaverit, adimplebo vel perficere non recusabo. » Sed tam horribile jusjurandum non adimplevit. Siquidem usque Danubii fluenta cum eodem Arsenio perrexit, ibique ad quandam consanguineam pro caballorum amminiculo ire condixit, et ad Augustam civitatem ad eundem missum reversuram pollicita est. Tali occasione gressum retorquens, ex Alemannia in Franciam repedavit. Quod cum supradictus Arsenius cognovisset, epistolam misit omnibus archiepiscopis et episcopis, atque omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus Gallie, Germanie et Neustrie, obtestans omnes per auctoritatem Dei omnipotentis et beatorum principum Petri et Pauli, et domini pontificis et universalis pape, ut nullus eam in sua parochia reciperet, sed eam funditus in omnibus ecclesiis suis predicarent excommunicatam, et ab omni christianorum communione sequestratam, insuper et anathematis vinculo innodatam, et inter scelerosos dampnatam, donec de pestiferis factionibus suis atque perpetrato perjurio ante domini apostolici adiret presenciam, et dignam acciperet penitentiam.

Hiis summatim commemoratis revertamur ad Lotharii regis ingemiscendam causam. Legatus itaque apostolice sedis, compositis in Gallia rebus, Romam, unde venerat, reversus est; rursusque Waldrada ejusque complicibus decertantibus regis animus adversus Thietbergam commovetur. Excitantur ire, et insopitis discordiarum et odiorum cineribus denuo copiosus ignis accenditur : despicitur, abhominatur, rejicitur, adulterii crimen impingitur, omnique ingenii arte exquiritur, qualiter tamquam rea puniri possit. Illa previdens imminere sibi mortis periculum, latenter aufugit, et ad Karolum Calvum regem perveniens, ejus tuicioni se commisit. Quod cum fama divulgante Nycholaus papa cognovisset, misit Karolo regi epistolam collaudatoriam hec continentem.

Nicolai papae epistola. « Inter alios sancte ecclesie religiosos propugnatores et veritatis strenuos defensores neminem magis super Thietberge gloriose regine contritione sollicitum, neminem magis ipsius incommoditatibus condoluisse, quam vestre pietatis affectum recolimus. » Et post congruentem exhortationem addidit : « Excelleneiam vestram nolumus ignorare, adeo Lotharium regem Thietbergam conjugem suam diversis afflictionibus subdidisse, et innumeris penis ac pressuris contra prestita juramenta subegisse, ut nobis coacta nunc scriberet, regia se velle exui dignitate seu copula, et sola privata vita fore contentam. Cui nos scripsimus, non aliter fieri

posse, nisi eandem vitam conjux ejus Lotharius elegisset. Verum, sicut multorum relatu didicimus, ipse Lotharius conventum celebrare disposuit, et eandem Thietbergam examini proprio et judicio subjicere meditatur. Et, siquidem eam prestigiis sue falsitatis vel argumentosis ambagibus potuerit exhibere, quasi non fuerit legitima sua uxor, vult eam penitus a se sequestrare. Sin autem vult eam tamquam propriam quidem uxorem admittere, sed deinde, quasi mechata fuerit, insimulare, atque propter hoc hominem suum et hominem Thietberge ad monomachiam impellere, et, si homo ipsius regine ceciderit, disponit hanc sine dilatione perimere. Que quantum sint divine legi contraria, magnitudo prudencie vestre credimus jam advertit. Sed et nos hinc aliquid strictim volumus demonstrare, prius asseverantes, quod de retroacta controversia Thietberga non debet ulterius ad iteratam responsionem provocari, quoniam, quod semel bene diffinitum est et interpositis sacramentis deliberatum, nulla debet iteratione, nisi fortassis ubi fuerit major auctoritas, retractari. Deinde, quod ecclesie refugium querens, ecclesiasticum judicium expetens, submitti non debet secularium judicio. Posthec vero, cum nos ex utraque parte, id est tam a Lothario quam a Thietberga, fuimus provocati judices, nosque amborum controversiam executi fuerimus, ad nullos alios convenit super hoc judices convolare, cum secundum sacros canones a judicibus, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare. Itaque cum non sit apostolice sedis auctoritate, que amborum negocium executa est, usquam major auctoritas, nescimus, si alicui de ejus judicio liceat judicare, vel ejus retractare sentenciam. » Et post pauca : « Illud vero, quod Lotharius Thietbergam de adulterio criminatur, quis non videat dolo esse plenum? Denique si, sicut ipse jactat, uxor sua non est, quid pertinet ad eum illi de adulterio calumpniam texere, cum nec mechari potuit, si alicujus uxor non extitit? Porro, si a Lothario de adulterio accusatur, et, si victa fuerit, ulcio preparatur, necesse est, ut fateatur uxorem. » Et quibusdam interpositis : « Preterea, sive de conjugii federe, sive de adulterii crimine judicium sit agitandum, nulla ratione patet Thietbergam cum Lothario posse legalem inire conflictum, vel legitimum controversie subire certamen, nisi prius ad tempus sue reddita potestati, sed et suis consanguineis libere sociata, inter quos etiam locus providendus est, ubi nulla sit vis multitudinis formidanda, et non sit difficile testes producere vel ceteras personas, que tam a sanctis canonibus quam a venerandis Romanorum legibus in hujuscemodi controversiis requiruntur. Verum hec

non ut fiant dicimus, que sine decreto et ordinatione nostra fieri non posse supra docuimus. »

Waldrada pellex excommunicatur et insinuatur tamquam excommunicata vitanda.

Accensus itaque idem sanctissimus pontifex zelo Dei, quo fuerat Phinees sacerdos quondam inflammatus, Waldradam ipso die purificationis sancte Dei genitricis Marie publice in basilica excommunicavit, et ab omni christianorum consortio separavit. Destinavit epistolam omnibus episcopis per Germaniam et Gallias constitutis, causas et modum excommunicationis continentem, cujus sensum quam verborum seriem causa brevitatis pocius placuit ponere : « Decrevimus quidem circa Waldradam mecham, et pertinaciter in impenitencia permanentem, vindicte modum minus districte temperare, et juxta quod merebatur, non ita pro tanto scelere sentenciam in eam juste punitionis proferre, nisi obstinato animo in mechie volutabro permanere perhenniter proposuisset : igitur, quia monita nostra et crebras exhortationes contempsit, quia culpam suam needum cognovit, nec confessa est, nec missa nobis legatione, qui causam ipsius exsequendam suscepimus, veniam postulavit, postremo cum recto itinere nos illi fuerat adeundum, et beati Petri apostoli suffragia requirenda, retro est conversa post Sathan, necnon et Thietberge regine dolos struere, cepta interius meditatione, non cessat : cum egregio apostolo dicimus, quod contra eam contraque ejus similes sepius replicandum est, quod secundum duriciam suam et cor impenitens thezaurizat sibi iram in die ire. Idcirco nos eam de factis suis excomminicamus, donec ecclesie Christi nobisque precipue, qui ejus principaliter curam gerimus, quique causam ipsius exsequi atque investigare cepimus, satisfecerit : donec etiam omnem sinistram suspicionem, consilium nostrum suscipiens, adimat, a preciosi corporis et sanguinis Domini perceptione, atque ab omnimodo consortio sancte ecclesie, Sancti Spiritus beatorumque apostolorum Petri et Pauli judicio et nostre mediocritatis auctoritate, fecimus prorsus cum universis complicibus et communicatoribus fautoribusque suis prorsus extorrem. Hanc sentenciam, quam quarto nonas februarii a nobis promulgatum meminimus, eam scriptam vobis destinamus. Et ne labor noster inanis constituatur, spiritualia nobiscum vestra fraternitas adversus jam dictam mecham et communicatores ejus arma sustollat, et in parochia sua excommunicatam hanc fautoresque ejus viva voce unusquisque denunciet, donec nostro spirituali judicio digne se penitencie submittat. »

Direxit etiam Lothario regi idem reverendissimus pontifex epistolam hec

continentem : « Audito, revertente misso nostro, correctionis tue, ut ita dicamus, nuncio, gratias Deo condignas egimus, et, ut tibi quoque grates competibiles referremus, animum preparavimus. Sed, heu! heu! adversa nuncia veniencia hujus intentionis nostre proposito celeriter obviaverunt. Quapropter compulsi sumus mutare vocem; et, qui ad gratiarum actiones os aperire disposueramus, in luctus et increpationis adhuc coacti officium lingue dirigimus. Didicimus enim te, qui prolixo tempore in scelere permanens ecclesie Dei non modicum nocuisti, nocere adhuc, et qui in sordibus eras, sordescere adhuc..... Siquidem, ut opinamur, tibi non sufficit solum adulterium perpetrasse, nisi apponas, ut etiam animas hominum perjurii laqueis irretitas in eternum demergas interitum. Sed quid mirum, si paucorum animos per perjurium ad exicium acquisisti, quoniam in tanta sublimitate positus per exemplum tue mechie tot hominum millia in perdicionis chaos precipitaveris? Illud autem, quod Thietberga, quasi Waldrade testimonium dicens, eam fuisse legitimam uxorem, volens aut invita, frustra conatur astruere, quandoquidem illius nullo prorsus hinc testimonio quis indigeat, cum magis nos ita sentiamus, quod justum est, et intelligamus quod equum est, ut etiam Thietberga mortua tu nullis legibus, nullis regulis unquam Waldradam in uxorem possis aut permittaris assumere? Utrum ergo Waldrada legitima tua fuerat aliquando conjunx, ecclesia Dei satisfactione Thietberge non eget. Unum tantum scimus, quoniam nec nos nec eadem ecclesia Dei, auctore Deo, qui adulteros judicabit, te, nec, si Waldradam quandocunque resumpseris, etiam Thietberga decedente, dimittet modis omnibus impunitum. » Et post pauca : « Itaque summo studio prefatam Thietbergam conjugem tuam tamquam propriam fovere carnem ac diligere procurato, et, ne illam a te separare ullo pacto consentias, vigilanter attende. Unde, si vult a te discedere, corripe, ymmo corrige eam, et a tali intentione per omnia revocare satage. Jam vero, si amore pudicicie separationem querat, et conjugalis connubii solutionem efflagitat, certum est, apostolo dicente, *quoniam mulier sui corporis potestatem non habet sed vir*; verum si et ipse pudiciciam sectatus religionis obtentu copulam dissolvere vis, tunc, ne simulate fiat, concedimus. Nam, licet sit scriptum : *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; Deus tamen et non homo separat, quando divini amoris intuitu ex consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur. Si ergo hoc modo vis, gratuito permittimus animo, celeremque prebemus assensum : aliter autem

fieri mutuam vestram separationem prohibemus. Porro, si sterilitas accusatur, cogita Saram nonagenariam, Annam quoque, simul et Elyzabeth: quam tamen sterilitatem fortasse non facit infecunditas sed iniquitas. Ergo, gloriosissime rex, esto propria contentus uxore, et preter illius alterius ne queras consortium. Igitur consilium nostrum accipe, et monita nostra tamquam affectuosi patris amplectere, atque ab omni pravitate mentem, linguam, corpusque refrena, precipue Waldrade pellicis tue et dudum a te repudiate communionem declinans et ejus consortium perpetue oblivioni tradens. Excommunicata est enim et, usque ad presenciam nostram, ab omni christianorum contubernio sequestrata, sicut totus jam novit Occidens, et jam jamque per missos nostros minime cum plagis ceteris Oriens ignorabit. Quamobrem cavendum est, ne cum ea pari mucrone percellaris sentencie, ac pro unius muliercule passione et brevissimi temporis desiderio vinctus et obligatus ad sulphureos fetores et ad perhenne traheris exicium. » Hinc paucis interpositis epistolam sic concludit : « Hec autem nos tibi nunc scripsisse, et quasi inter nos et te nostra verba, excessus tuos corripiencia, discurrisse sufficiat. Ceterum precave, ne, quando nobis secundum Domini preceptum duos aut tres testes adhibeamus, ymmo vero ne hoc ecclesie sancte dicamus, et, quod non optamus, de ceteris fias sicut ethnicus et publicanus. »

Ecce ex multis curavimus pauca notare, ut sic nescientibus ex parte fierent cognita, ut tamen scientibus non per omnia essent onerosa. Qualem vero exitum hujus pestiferi morbi pernicies attulerit, apostolico renuens mederi antidoto, quantaque regni dispendia ex hac mortifera cogitatione, sicut supradictus sanctissimus papa, Spiritu Sancto afflatus, predixerat, illata sunt, in subsequentibus suo loco demonstrabitur.

Qualiter Ludovicus rex Germanie contra fratrem suum Karolum Calvum regnum Francie subjugare conatur, et ob quam causam hoc attemptat. Cap. LXII.

Circa hec tempora Ludovicus rex fratris sui Karoli regnum cum exercitu ingressus est, gestiens occidentalia regna suo dominatui subjugare, fratrisque preripere debitam portionem, que ei sorte ac funiculo hereditatis competenter acciderat, oblitus germanitatis ac consanguinitatis federa, oblitus

pacti. quod jam dudum mutua conventione pepigerant. immemor etiam sacramentorum. quibus se cum magnis execrationibus coram Deo obligaverat. Prebuerunt ad hoc facinus peragendum talia occasionum incitamenta fomitem. Karolus, ut premisimus. quosdam ex nobilioribus regni aut publice adjudicatos gladio percussit. aut dolo captos perdidit. Ceteri. formidantes ne similia paterentur, Ludovicum regem trans Renum commorantem sollicitant. ejusque animum ad optinendum fratris regnum alliciunt. promittentes semetipsos una cum regno ejus ditioni tradituros. Hac persuasione. ut animi regum avidi et semper inexplebiles sunt, facile in spem introductus. cum valida manu. ut diximus, terminos regni intravit. Karolus. sentiens vires regni a se defecisse, in ultimis finibus Aquitanie fuge latibulum quesivit. Ludovicus, ut ceperat, regnum obtinuit, et usque Senonis civitatem pervenit: dimisso vero exercitu in Germaniam ad propria redire. cum optimatibus regni cepit negocia disponere. Sed subito fortuna mutatur: nam principes. qui eum in regnum introduxerunt, videntes quod longe aliter incederet erga eos. quam estimaverant, penitudine tacti ad Karolum revertuntur. Karolus. ex desperatis rebus vires se recepisse congaudens. contractis undique copiis fratrem aggredi bello tentat. Ille intuens. et a suis. quos secum adduxerat, et ab hiis quos ibi acquisisse visus fuerat. se esse destitutum. maturius fugam arripuit, et cum debita confusione fines regni excessit.

Rebellat Hugbertus frater Thietberge contra Lotharium, regem Lotharingie. Cap. LXIII.

Hac tempestate Hugbertus abbas [1]. frater Thietberge. contra Lotharium regem rebellare exorsus est. Collecta quippe predonum valida manu rapinas cepit exercere: interfectis atque fugatis Lotharii fidelibus, qui finitima possidebant loca, agros villasque eorum sue factionis sectatoribus distribuit. Ad hujuscemodi temeritatem reprimendam Lotharius rex semel. iterum atque tertio exercitum produxit, frequenter etiam cum ducibus armatorum multitudinem direxit: sed minime hanc presumptionem extin-

[1] Vid. supra p. 224.

guere potuit, quia loca inaccessibilia inter Jurum et Alpes Penninas, sediciosis munitissima, prebebant iterantibus difficilem ingressum. Attamen idem acephala Hugbertus novissime a Conrado comite interemptus est castrum, quod Urba dicitur.

Anno Domini DCCC° LXVI° Herispoius, rex Britonum, a suis interficitur, et Salomon dux in loco ejus subrogatur. Erat autem idem vir strenuus et bellicosus, ac tam forma quam animo ad regni gubernacula coaptatus. Karolus tertio super Britones cum exercitu irruere disponit, sed cum ad terminos gentis appropinquasset, audito quod ad resistendum totis viribus parati essent, subito, mutata voluntate, magis elegit pacem suscipere quam bellum inferre. Facta itaque pactione cum Salomone, quam dudum cum Herispoio fecerat, discessit.

De bello quod Robertus comes Andegavensis, pater Odonis et regis Roberti tyranni, avi Hugonis, dicti Capet, habuit cum Northmannis, in quo interfectus est[1]. Cap. LXIV.

867. Anno Domini DCCC° LXVII° Northmanni oram Ligeris fluminis occupantes, Nannetensem, Andegavensem, Pictavensem atque Turonicam provinciam iterato crudeliter depopulari ceperunt. Contra quos Robertus[2], qui marchiam tenebat, et Ramnulphus dux Aquitanie, collecta multitudine, aciem dirigunt. Illi sentientes se ab exercitu insequi, cum summa acceleratione ad classem repedare contendunt; sed cum appropinquare sequentium multitudinem cernerent, cognoscentes se fugere non posse, quandam villam ingrediuntur, ubi se, quantum hora permisit, communiunt. Erat autem in eadem villa basilica pergrandis ex lapide constructa, in qua maxima pars Northmannorum introivit cum duce eorum, nomine Hastingo. Robertus et Ramnulphus cum sociis super eos irruunt, quoscunque extra basilicam reperiunt, absque mora trucidant. Ad ecclesiam pervenientes, cum vidissent locum munitum, et animadvertissent non modicam turbam paganorum intrinsecus latitantem, parumper deliberantes, castra in circuitu statuunt, tentoria figunt, ut in crastinum, extructis aggeribus applicatisque

[1] Ex Reginone, apud Pertz, *op. cit.* t. I, p. 578. [2] Seu *Ruotbertus*.

machinis, hostes totis viribus expugnarent: declinabat jam quippe sol ad occasum. Robertus, nimio calore exestuans, galeam et loricam deposuit, ut aura collecta paulisper refrigeraretur. Cumque unusquique in positione castrorum intenderet, repente Northmanni a munitione exiliunt, et cum ingenti clamore super Robertum et socios impetum faciunt. Sed quamvis repentini et subitanei casus etiam fortissimos viros in bello conturbare soleant, tamen arma quam cicius corripiunt, hostes viriliter excipiunt, et cedentes in basilicam redire compellunt. Robertus absque galea et lorica accurrens, cum incautus dimicaret et inimicos ultro insequeretur, interfectus est in introitu ipsius ecclesie: ejus corpus jam exanime Northmanni intrinsecus trahunt. Porro Ramnulphus, cum eminus stans eventum rei specularetur, a quodam Northmanno per fenestram basilice sagitte ictu graviter vulneratus est: et a suis ex certamine eductus vix triduo supervixit. Tali infelici infortunio pugna commissa est et finita. Exercitus, amisso capite, errore pariter et merore plenus, solvit eadem hora obsidionem et ad propria revertitur. Northmanni ovantes ad classem dirigunt gressum. Non multo post interjecto tempore, Hugbertus abbas in locum Roberti constitutus est, vir strenuus, humilis, justus, pacificus et omnium morum honestate fundatus, siquidem Odo et Robertus adhuc parvuli erant, quum pater extinctus est, et idcirco non est illis ducatus commissus.

Ludovicus imperator vadit contra Saracenos patriam invadentes; qualiter, post mortem Nycholai, Lotharius rex Adriano pape scripsit, et gens Bulgarorum ad fidem convertitur [1]. Cap. LXV.

Per idem tempus gens Saracenorum in Benevento ex Affrica veniens, universam pene regionem illam invaserunt, cedibus, rapinis et incendiis omnia depopulantes. Contra quos Ludovicus imperator exercitum contrahit, et veritus ne forte adversus innumerabilem hostium multitudinem vires regni non sufficerent, ad Lotharium fratrem in Galliis legatos mittit, omnino exposcens ut ad prefate nequissime gentis vires extenuendas audaciamque refrenandam sibi cum Dei auxilio et virtute Francorum opitula-

[1] Rursus ex Reginone, ad an. 867 et 868.

retur. Qui nichil cunctatus exercitum cum ingenti industria undique contrahit, fratri quanta potuit celeritate in adjutorium venit, ubi plurima bella gesta sunt, non solum fortiter sed etiam feliciter, Deo opem ferente. Inter hec exercitus Lotharii gravi peste fatigatur; ex insueto quippe calore et intemperie aëris dissolutus, dissenterie ac lienterie morbo corripitur, ex qua plaga innumerabilis multitudo extincta est. Plurimi etiam aranearum morsibus perierunt, ut jam tunc daretur intelligi, quod propter duriciam et cor impenitens Deus non solum Lothario verum omni regno ejus adversaretur. Revertitur itaque in Franciam, non sine gravi dispendio suorum.

Anno Domini DCCC° LXVIII° Nycholaus, sanctissimus et beatissimus papa, post multos labores et post multa certamina, que pro amore Christi et pro inmobili statu ecclesie sustinuit, migravit ad celestia regna, recepturus, pro amministrata fideliter sibi tradita dispensatione, a largissimo Deo glorie coronam, de cujus Deo placitis actibus plura poterant dici relatu digna, nisi brevitati studentes causas rerum magis summatim notare quam explanare proposuissemus. Denique post beatum Gregorium usque in presens nullus presul, in Romana urbe pontificali honore sublimatus, illi videtur equiparandus. Regibus et tyrannis imperavit, eisque, ac si dominus orbis terrarum, auctoritate prefuit. Episcopis et sacerdotibus religiosis ac Domini mandata observantibus humilis, blandus, pius et mansuetus apparuit: irreligiosis et a recto tramite exorbitantibus terribilis atque austeritate plenus extitit, ut merito credatur alter Helyas, Deo suscitante, nostris in temporibus exsurrexisse, et si non corpore, tamen spiritu et virtute. Huic sanctissime memorie viro Adrianus in pontificatu successit. Quod cum Lotharius rex certa relatione comperisset, ei talia scripta direxit:

Rex Lotharius scribit pape Adriano epistolam.

« Infausta relacio et in ambiguo hactenus manens, ut ita dicamus, acriter nostre serenitatis transverberavit aures, intimando quod beate recordationis dominus Nycholaus ab hac lacrimarum valle, vocante Christo, discesserit, cum sanctis, ut credimus, inestimabiliter coronandus. Nec differt, ut omnis christiana religio de tanto pontifice doleat, et omnis ecclesiasticus ordo de prudentissimo papa ingemiscat. Revera nos pocius deflemus, qui causas nostre calumpnie, et fraudulentas emulorum nostrorum querimonias tam benigno patri equitatis et justicie lance ponderandas ac determinandas ad tempus et in parte commisimus: sed, quod lugubriter replicamus, plus apud sanctitatem illius valuere nostrorum inimicorum insidie et simulate decep-

tiones, quam nostra simplex et pura defensio. Nos enim litteris et verbis indesinenter proclamantes, et diversis legationibus eadem repetentes, humiliter postulavimus, ut nos et accusatores juxta divinas et humanas leges sui pontificii audienciam mereremur, ut ratio docet, nostram presenciam exhibendo, sed semper repulsi sumus. » Et post pauca : « Sed quia Deus omnipotens, princeps pastorum, in illa sancta sede vestri pontificatus apicem sublimavit, si tempus admiserit, vestrum multipliciter desideramus conspectum, et vestris Deo dignis animari colloquiis, ac melliflua benedictione potiri. » Et in fine ipsius epistole : « Interea modis omnibus obsecramus, ut de vestra optabili prosperitate litteris celsitudinem nostram certam reddentes, care filiationis munus nobis impertiri dignemini. »

Rescribit papa Adrianus Lothario regi.

Ad hec supradicta papa rescripsit, sedem sancti Petri semper paratam esse dignam satisfactionem suscipere, nec, quod divine humaneque leges decernunt, unquam repulisse; itaque, si se immunem ab objectis sciret, cum omni fiducia sedem apostolicam oporteret adire, ut expetitam benedictionem perciperet: si autem culpam recognosceret, nichilominus absque dilacione venire festinaret, condigna penitencie remedia suscepturus.

Gens Bulgarum convertitur ad fidem christianam.

Hiis temporibus gens Bulgarum[1] ferocissima ac bellicosa, relictis ydolis renuncians que gentilium superstitionibus, in Christum ex permaxima parte credidit, et abluta salutari baptismatis unda in religionem christianam transiit. Directi sunt autem a sede apostolica in eandem gentem sacerdotes et viri religiosi, qui populum adhuc rudem divinis informarent preceptis, et incultam barbariem sacris dogmatibus excolentes Christo gratum habitaculum prepararent. Ut vero hujus sancte devotionis opus prosperum obtineret effectum, Ludovicus, christianissimus rex, qui Germanis imperabat, non mediocre prebuit supplementum. Ferunt autem de hujus gentis rege, quod in tanta perfectione post perceptam baptismi gratiam staret, ut diebus ornamentis regiis indutus coram populo procederet, noctibus vero, sacro vestitus latenter ecclesiam intrans, super pavimentum ipsius basilice, substrato tantum sibi cilicio, prostratus in oratione jaceret. Non post multum tempus divina inspiratione commonitus regnum terrenum dimisit, ut in celis eternaliter regnaret cum Christo, et, ordinato in suo loco filio suo, qui erat major natu, comam capitis deposuit, habituque sancte conversationis sus-

[1] Alias *Vulgarum* seu *Bulgarorum*.

cepto monachus effectus est, eleëmosinis, vigiliis et orationibus die noctuque intentus. Interea filius ejus, quem regem constituerat, longe a paterna intentione et operatione recedens, predas cepit exercere, ebrietatibus, commessationibus et libidini vacare, et omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod cum pater audiisset, nimio zelo accensus sacrum habitum deposuit, et milicie cingulum resumpsit, et cultu regio indutus, associatis sibi Deum timentibus, filium persecutus est. Quem mox absque difficultate cepit, oculosque ejus effodit, et in carcerem misit. Deinde, convocato omni regno suo, filium juniorem regem constituit, interminatus coram omnibus similia fore passurum, si in aliquo a recta christianitate deviaret. Hiis itaque patratis, deposito cingulo et resumpto sancte religionis habitu, in monasterium regressus, in sancta conversatione reliquum vite presentis tempus duxit.

Lotharius rex vadit Romam [1]. Cap. LXVI.

Anno Domini DCCC° LXX° Lotharius admonitione Adriani pape Romam profectus est. Quo cum pervenisset, ab Adriano pontifice honorifice susceptus est. *Papa interrogat Lotharium* Qui ab eodem presule interrogatus, si monita pii patris, domini Nycholai, cum omni vigilancia hactenus observata haberet, et prestitum jusjurandum inviolato federe custoditum, ab illo deceptus, qui in veritate non stetit, qui non solum mendax est, sed pater omnis mendacii, *Respondit Lotharius.* respondit se ita omnia observasse, ac si divinitus essent imperata. Cumque *Festificantur proceres.* proceres et optimates, qui cum eo venerant, eadem testificarentur, nec ulla opposita persona inveniretur, qui adversus regiam potestatem legitimum auderet *Verba pape.* controversie inire certamen, universalis papa talia prosequitur : « Si vestre testificationis verbis veritas suffragatur, cum omni alacritate mentis omnipotenti Deo multiplices gratiarum actiones referimus ; restat ergo, fili karissime, ut ad confessionem sancti Petri accedas, ubi Deo propicio salutarem hostiam pro tua non tam corporis quam anime incolumitate immolabimus, ex quo te nobiscum participari oportet, ut per hanc participationem membris Christi, unde abscisus videbaris, merearis incorporari. »

[1] Vide Reginonem ad. an. 869, apud Pertz, *op. cit.,* t. I, p. 580.

Finito ergo missarum officio invitat summus pontifex eundem regem ad mensam Christi, acceptoque in manibus corpore et sanguine Domini ita eum alloquitur : « Si innoxium te recognoscis a prohibito atque interdicto tibi a domino Nycholao adulterii scelere, et hoc fixa mente statutum habes, ut nunquam diebus vite tue Waldrade pellici tue, dudum a te repudiate, miscearis nephando concubitu, fiducialiter accede, et sacramentum salutis eterne tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe. Si autem tua consciencia te accusat, et letali vulnere sauciatum proclamat, aut iterum redire disponis in mechie volutabro, nequaquam sumere presumas, ne forte ad judicium et condempnationem tibi eveniat, quod fidelibus ad remedium preparavit divina providencia. » Qui mente captus, obduratus pariter et excecatus, absque retractatione communionem corporis et sanguinis Domini de manu pontificis sumpsit, non expavescens illam senteneiam que dicit : « Horribile est incidere in manus Dei viventis : qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit. » Deinde conversus idem presul ad sequaces ac fautores regis, unicuique communionem obtulit in hec verba : « Si domino ac regi Lothario in objecto adulterii crimine favorem non prestitisti, neque consensum prebuisti, et Waldrade et aliis ab hac sede apostolica excommunicatis non communicasti, corpus et sanguis domini nostri Jhesu Christi prosit tibi in vitam eternam. » Igitur quisquis in hiis se lesum sciens auso temerario communionem, sub tali contestatione porrectam, sumere presumpsit, divino judicio percussus ab hac luce sublatus est, antequam subsequentis anni rediret principium: pauci, qui se a communione subtraxerunt, vix periculum evaserunt. Porro Lotharius rex Roma egressus morbo corripitur, et Placencia civitate perveniens, diem clausit extremum, VI° ydus augusti. Tanta autem strages in prefati regis populo facta est, ut non peste periisse, sed hostili gladio corruisse virtus ac nobilitas regni videretur, que eo tempore tante fecunditatis erat, ut in morem densarum segetum pullulans veluti quodam examine imperii fines repleverit.

Verba pape ad Lotharium.

Lotharius communicat.

Verba pape ad principes.

Mors Lotharii.

Karolus Calvus rex Francorum sublimatur in regnum Lotharingie[1]. Cap. LXVII.

Karolus certa relatione comperiens regem Lotharium obiisse, mox regnum illius occupare nititur, Metisque perveniens ab Advencio, prefate urbis episcopo, et nonnullis aliis primoribus favorabiliter exceptus, in regnum sublimatur. Indeque regrediens Aquisgrani palacium ingressus est, eo quod sedes regni esse videretur, ubi multo plures ad eum confluxerunt.

Karolus ordinat archiepiscopos Treverensem et Coloniensem.

Carebant autem ea tempestate urbs Treverorum et Colonia Agrippinensis pontificibus, siquidem, ut premisimus, ambarum presides in Ytalia ab hac luce subtracti sunt[2]. Inito autem rex cum optimatibus consilio, Bertulphum[3] loco supradicti Theutgaudi, episcopi depositi, ecclesie Treverorum prefecit. Actum est autem, ut iste vir episcopalem dignitatem optineret interventu et ope predicti Advencii, qui eo tempore apud regem plurimum poterat, eo quod illi assentando in adipiscendis regni negociis ambiciosus faveret. Porro Colonie Agrippine rex Hilduinum abbatem preponere temptavit in pontificali cathedra, fecitque a Francone, episcopo Tungrensis dyoceseos, in Aquis palatio presbiterum ordinari, ad titulum sancti Petri predicte metropolis.

Ludovicus rex iterum legatos ad Karolum Calvum fratrem suum mittit.

Dum hec in regno Lotharii aguntur, Ludovicus rex Germanorum, infirmitate detentus, in Baioariorum finibus lecto decumbebat. Audiens itaque a fratre supradictum regnum taliter invasum, egre tulit, et cum omni festinatione legatos direxit, qui eum obnixe rogarent, ut ab hac temeraria invasione cessaret, nec solus indebita presumptione usurparet quod utrisque hereditario jure equaliter competebat; regno decederet, quousque, Deo pristinam sospitatem reddente, venire possit, ut pariter colloquerentur, et de ejusdem regni statu, quod justicie et equitatis jura dictabant, pari voluntate decernerent. Hiis cum tali mandato premissis, interim Luitbertum archiepiscopum Maguncie urbis ad Coloniam occulte dirigit, hortaturque, ut omni arte satageret ordinationem Hilduini prevenire, et ex ipsius civitatis clero episcopum consecrare studeret per electionem civium.

Ludovicus rex procurat alium archiepiscopum Colonie eligi contra Hilduinum.

[1] Vide ibidem Reginonem ad an. 869.
[2] Vide supra p. 228.
[3] Additur apud Reginonem, Bertulphum illum fuisse Advencii nepotem.

Qui, assumptis secum aliis episcopis, recto itinere Duiza castrum (alias Dutsche) pervenit, et formidans ne forte insidie sibi a Karoli fautoribus molirentur, nequaquam Renum transiit, sed destinatis missis mandavit, ut honestiores ex clero et nobiliores ex populo sibi ad idem castrum occurrerent. Illis jussa complentibus, episcopus ex parte regis eos alloquitur, ut sibi consulerent, et quam cicius ex proprio grege presulem eligerent: se ad hoc destinatum esse ut, quemcunque communi consilio preferendum decernerent, statim consecraret. Ad hec illi respondent, Hilduino episcopatum esse datum, jam presbiterum ad ipsam sedem ordinatum, omnesque pene manibus datis ejus dominationem susceptam haberent; nulla ratio permitteret, ut alium eligerent. Quibus ille contra: « Si electionem, inquit, vobis a rege concessam despicitis, in arbitrio et potestate regis est, quem vobis velit dare episcopum; tamen pro certo scitote, quod ante triduum alium quam Hilduinum habebitis episcopum. » Hiis auditis unanimiter elegerunt Willibertum, venerabilem virum, quem nimium renitentem ac refugientem ordinavit predictus antistes cum aliis consacerdotibus, et cum omni clero et populo Reni fluenta transfretavit, et eum honorifice in sedem pontificalem constituit, omnibusque rite peractis sub omni celeritate recessit. Karolus comperta ordinatione nimio furore accenditur, et mox Coloniam proficiscitur. Quippe dum hec agerentur a missis Ludovici, Hilduinus apud Aquis palacium in regio obsequio morabatur. Willibertus episcopus et omnes qui in ejus ordinatione consenserunt, Renum transeuntes, seviciam regis declinaverunt. Rex cum neminem reperisset, in quem suas injurias ultum ire posset, via, qua venerat, reversus est. Interea iterum legati a Ludovico mittuntur, orantes ut a regno discederet, sed cum minime acquiesceret, novissime Luitbertum archiepiscopum et Altfridum episcopum de Saxonia, prudentissimum virum, Ludovicus legatos dirigit, mandans ut unum de duobus eligeret: aut cito a regno discederet, aut sibi cum fratre pugnandum foret. Qui eum tanta ingenii arte tantaque constancia aggrediuntur, ut absque dilatione discederet, et in proprio regno se reciperet. Posthec supradicti regni conventum celebrare disponunt in loco, qui dicitur Marsana, juxta Mosam.

Willibertus eligitur contra Hilduinum.

Qualiter regnum Lotharingie dividitur inter fratres[1]. Cap. LXVIII.

Anno Domini DCCC° LXXI° Ludovicus et Karolus una cum optimatibus et proceribus suis ad Marsanam venientes, regnum quondam Lotharii equis partibus inter se diviserunt. Qualiter autem hec divisio facta est, quia omnibus pene notum est, supervacuum duximus annotare[2]. Karolus conventu absoluto ad Heristellium perrexit, quia ei idem palacium in partem acciderat; Ludovicus vero ad Aquis palacium rediit, ubi duobus fere mensibus lecto decubuit, adversa valitudine preventus. Denique cum a partibus Orientis veniens Ribuariorum terminos intrasset, in quandam villam, nomine Flameresheym, ad hospicium divertit, cumque solarium domus conscendisset, stipatus obsequentium multitudine, repente ipsum solarium, quod nimia vetustatis putredine erat resolutum, trabibus fractis corruit, et inter ruinas ejus rex graviter attritus est, ita ut due coste ejus a sua compage disjungerentur, et, cum omnes accurrissent, eumque periisse arbitrarentur, ipse a loco in quo ceciderat surgens suis se presentavit, dicens se nichil mali passum, et, ultra quam credi potest, dissimulato languore, sequenti die contra fratrem ad Marsanam proficiscitur. Tanta hujus principis duricia tantaque animositas fuit, ut, cum etiam fragor fractarum costarum ad invicem collidentium a nonnullis audiretur, nemo tamen propterea audierit eum suspirium trahentem vel gemitum emittentem.

Per idem tempus Karolus Karlomannum filium suum oculis privavit. Siquidem predictus rex Karolus ex Hirmindrude regina tres filios suscepit, Karolum scilicet, Karlomannum et Ludovicum; sed duo ex hiis infeliciter perierunt, nempe Karolus, levitate juvenili ductus, temptare volens Albuini, fratris Bivini et Bettonis, audaciam ac sepe laudatam constanciam, alium se esse simulans, cum ex venatione vespertinis horis idem Albuinus quadam die reverteretur, super eum solus impetum fecit, veluti equum, in quo sedebat, violenter ablaturus. Ille nichilominus existimans alium quam filium regis, evaginato gladio ex adverso eum in capite percussit, moxque terre prostravit; deinde vulneribus multis confossum semivivum reliquit,

[1] Vide Reginonem ad an. 870.

[2] Divisionem illam, sexto idus augusti 870 factam in procaspide (seu *procuspide*, id est *promontoriolo*) ad Mosam fluvium, inter Heristallum et Marsanam (vulgo *Mersen*), exhibet Miræus, *Diplom. Belg.*, t. I, p. 28.

arma pariter et caballum secum auferens : debilitatis autem membris ac vultu deformatus, pauco tempore supervixit. Albuinus cognito quod filius regis esset, in quem talia exercuerat, celeriter aufugit, mortisque periculum declinavit. Porro Karlomannus, cum adhuc esset puerulus, jussu patris attonsus, clericus effectus est. Dehinc procedente tempore ad dyaconatus officium, quamvis invitus atque coactus, in presencia genitoris ordinatus est, legitque publice evangelium, et pontifici missam celebranti juxta morem ministravit. Posthec per apostasiam recedens ab ecclesiastica religione, abjiciens negligenter gratiam, que ei data erat per impositionem manus, alter Julianus efficitur. Collecta quippe predonum non modica turba, ecclesias Dei cepit devastare, ea que pacis sunt impugnare, cuncta diripere, et inaudita mala perpetrare; pro quibus cum crebro a patre correctus fuisset, nec tamen ullatenus a cepta pravitate cessaret, novissime ex precepto patris ei oculi eruuntur, ut supra meminimus : justo Dei judicio lucem exteriorem amittens, qui interiorem, qui Christus est, a suo pectore effugaverat: in tenebras exteriores missus, qui interioribus sua sponte se tradiderat. Orbatus itaque Ludovicum avunculum suum adiit, miseriarum et calamitatum suarum erumpnas apud eum lugubriter deplorans. Ille miseratione motus Epthernacum monasterium sancti Willibrordi ei ad subsidium vite penitus concessit, ubi non multo post tempore mortuus est et sepultus. Anno Domini DCCC° LXXII° Adrianus papa migravit ad Dominum, et Johannes summi pontificii culmen adeptus est.

De Adalgiso et rebellione contra Ludovicum imperatorem propter Grecos[1].
Cap. LXIX.

Hiis diebus Adalgisus dux Beneventanus, Grecorum persuasionibus corruptus, adversus Ludovicum imperatorem manum levavit. Etenim ejus hortatu plurime civitates provinciarum Samnii, Campanie et Lucanie, a Ludovico recedentes, Grecorum se dominationi subdiderunt. Quibus cognitis imperator in provinciam Samniticam exercitum transfert : petiturus harum provinciarum caput Beneventum, ditissimam et opulentissimam civi-

[1] Vide Reginonem ad an. 871.

tatem. Adalgisus, adventare exercitum sentiens, timore perterritus, ad callida argumenta convertitur, et Benevento egressus imperatori ultro se offert, paratum se esse et semper fuisse ad ejus obsequium profitetur, nunquam defectoribus se assensum prebuisse juramento confirmat. Deinde muneribus regem sibi conciliat, et mox in pristinam recipitur gratiam. Imperator in Campaniam et Lucaniam ad civitates, que defecerant, copias transponit, quas absque difficultate in deditionem recepit, excepta Capua, que, quia quadro lapide erat constructa, audaciam repugnandi civibus prebuit. Cingitur itaque obsidione, omnisque aditus intrandi vel exeundi penitus intercluditur, regio in circuitu vastatur, cuncta hostili rapacitate diripiuntur, novissime vites, oliveta et cetere fructifere arbores radicitus exciduntur. Capuani, desperatis rebus, episcopum civitatis adeunt, corpus sancti Germani episcopi, cujus animam venerabilis pater Benedictus in sphera ignea ab angelis in celum deferri vidit, in feretro levant, et sic portis apertis supplices castra imperatoris petunt, orantes ejusdem sancti interventu sibi veniam largiri. Augustus, ut totus pietatis visceribus affluebat, misericordia motus, erratus atque excessus benigne indulsit, precepitque exercitui ab excidio retrahere manum. Expulsis itaque Grecis, custodes ex numero satellitum in civitatibus, quas receperat, locat, et Beneventum proficiscitur, ubi aliquantisper decreverat immorari. Exercitus, longa civitatum obsidione fatigatus, genitale solum cepit suspirare, post immensos labores quietem desiderare, conjugum ac liberorum dulces amplexus ante oculos mentis reducere, et ex hac causa paulatim cotidie diffluere. Interea

Adalgisus imperatorem alloquitur, ut exercitum solveret.

Adalgisus, ut erat callidus ingenio, imperatorem alloquitur, cur vires suorum, nullis existentibus causis, profligaret, cur agros villasque sue ditioni subditas hostiliter depopulari permitteret, et, ut oporteret, fessis optata quies concederetur, et regio, que pene devastata erat, clemencia principis salvaretur.

Solvitur exercitus imperatoris.

Flexus hiis suggestionibus imperator exercitum ex permaxima parte absolvit et ad propria repedare permisit: ipse cum paucis in eodem loco remanet, nil adversi suspicatus.

Adalgisus expugnat imperatorem.

Adalgisus, regem destitutum suorum viribus cernens, jam dudum conceptam iniquitatem parturit, et cum sue conspirationis sectatoribus palacium, in quo imperator meridie quiescebat, occupare nititur. Rex a strepitu et clamore irruentium excitatus, lecto desilivit, arma corripuit, et cum perpaucis corporis sui custodibus ad ostium domus, turbatus repentina irruptione, processit, aditumque ferro

intercludens, hostem a limininibus arcet. Adalgisus, sentiens non sine discrimine ostia domus esse penetranda, ab introitu pedem retrahit, palaciumque flammis jubet exuri. Interea rex dexteras sibi dari petit, pacemque obnixe deposcit. Cui responsum est, non aliter petita se impetraturum, nisi prius jurejurando devovisset, nunquam se diebus vite sue Beneventi fines intraturum, neque ex calumpnia, quam tunc patiebatur, vindictam aliquam exacturum. Allatis itaque sanctorum pignoribus, necessitate constrictus, sacramentum, quod ab eo exigebatur, juravit, statimque postera die a Benevento exivit.

Imperator Ludovicus vadit Romam, ibidem conventum celebrans conquestus est de Adalgiso[1]. Cap. LXX.

Anno Domini DCCC° LXXIII° Ludovicus imperator Romam venit, ibique conventum celebrans coram summo pontifice multa super Adalgisi tyrannide conquestus est. A senatu Romanorum idem Adalgisus tyrannus atque hostis reipublice declaratur, bellum adversus eum decernitur. Johannes papa imperatorem a juramento, quo se obligaverat, auctoritate Dei et sancti Petri absolvit, affirmans nichil obesse, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec sacramentum esse dicendum, quod est contra salutem reipublice, quamvis cum execrationibus fuerit prolatum. Hiis exhortationibus principis animum ad rediviva certamina provocat. Tamen, ne a suis perjurus diceretur, nequaquam ipse contra tyrannum procedit, sed cum exercitu reginam dirigit. Adalgisus, certis indiciis colligens bellum adversus se summis viribus parari, hostemque se ac tyrannum esse denunciatum, sue nequicie conscius metu percellitur, et spem vite in fugam ponens, in Corsicam insulam secessit, ibique ad tempus dilituit.

Anno Domini DCCC° LXXIII° locustarum inestimabilis multitudo, mense augusto ab Oriente veniens, totam pene pervastavit Galliam. Que majores erant quam cetere locuste, habebant sena alarum remigia, et, mirum dictu, ut castrorum acies, distinctis ordinibus per aëra ferebantur, vel terre in-

[1] Vide Reginonem ad an. 872, apud Pertz, *op. cit.*, t. I, p. 584.

cumbentes castra metabantur: duces cum paucis exercitum itinere unius diei preibant, quasi loca apta multitudini provisuri. Circa oram, ubi duces pridie venerant, insidebant, nec a loco occupato movebantur, quousque sol suum representaret ortum; tunc per turmas suas proficiscebantur, ut in parvis animalibus disciplinam militarem cerneres. Segetibus vescebantur, que ab eis ita depaste sunt, ut veluti immani tempestate consumpte viderentur. Spacium diurni itineris quatuor aut quinque milibus extendebatur. Pervenerunt autem usque ad mare Britannicum, superficiem terre cooperientes, in quo, Deo volente, violenti ventorum flatu impulse atque in profundum absportate dimerse sunt. Estu vero atque refusione oceani rejecte littora maritima repleverunt, tantaque congeries facta est, ut ad instar montium cumulate coarcevarentur. Ex earum fetore et putredine aër corruptus diram pestem finitimis generavit, ex qua multi perierunt.

Karolus Andegavensem obsidet urbem per Northmannos occupatam[1]. Cap. LXXI.

Northmanni, postquam Robertum et Ramnulphum et alios nonnullos generose stirpis viros, qui patrie terminos armis tuebantur, Deo habitatoribus terre adversante, occiderunt, cum nemo inveniretur, qui eorum violencie resisteret, sollicitati paucarum civitatum vel regionum direptione, ex preda singularum, quante opes universarum essent animo prospicientes, Andegavis civitatem, civibus fuga dilapsis, vacuam reperientes ingrediuntur. Quam cum munitissimam et ex situ loci inexpugnabilem esse vidissent, in leticiam effusi hanc suis suorum copiis tutissimum receptaculum adversus lacessitas bello gentes fore decernunt. Protinus navibus per Medanam fluvium deductis, muroque applicatis cum mulieribus et parvulis, veluti in ea habitaturi, intrant, diruta reparant, fossas vallosque renovant, et ex ea exilientes repentinis incursibus circumjacentes regiones devastant. Quod cum Karolo tam perniciosa pestis in visceribus regni interclusa nunciata esset, illico ex omnibus regnis, que sue ditioni parebant, veluti ad commune incendium extinguendum, exercitum colligit, atque

[1] Vide Reginonem ad an. 873.

castris in circuitu positis civitatem obsidione cinxit. Et quia Medana fluvius a partibus Britannie urbis murum alluebat, Salomoni regi Britonum mandat, ut contractis auxiliis cicius adventaret, et communem hostem omnibus viribus expugnarent. Qui, assumptis secum multis Britonum millibus, super ripam fluminis Medane tentoria figit. Igitur ex omnibus partibus urbs obsidione circumdatur, multis diebus undique summa virtute dimicatur. nova et exquisita machinamentorum genera applicantur, sed conatus regis prosperitatis effectum non obtinuit, quia et loci facies non facilem prebebat accessum, et paganorum valida manus, quia pro vita res erat, summo conamine resistebat. Exercitus immense multitudinis cum longe obsidionis tedio, fame et gravi pestilencie morbo attereretur, cernentes Britones urbem inexpugnabilem esse, conati sunt fluvium a suo alveo derivare, ut exsiccato naturali meatu naves Northmannorum invadere possent. Ceperunt itaque fossam mire profunditatis ac latitudinis aperire, que res tante formidinis metum Northmannis ingessit, ut absque dilatione ingentem pecuniam Karolo pollicerentur, si soluta obsidione eis ex suo regno liberum preberet egressum. Rex turpi cupiditate superatus pecuniam recepit, et ab obsidione recedens hostibus viam fecit. Illi conscensis navibus in Ligerim revertuntur, et nequaquam, sicut spoponderant, ex regno ejus recesserunt, sed in eodem loco manentes multo pejora et immaniora quam antea perpetraverunt.

De morte Ludovici imperatoris [1]. Cap. LXXII.

Anno Domini DCCC° LXXIV° Ludovicus imperator, qui Ytalie gerebat regnum, moritur. Fuit vero iste princeps pius et misericors, justicie deditus, simplicitate purus, ecclesiarum Dei defensor, orphanorum et pupillorum pater, eleëmosinarum largus largitor, servorum Dei humilis servitor: et justicia ejus manet in seculum, et cornu ejus exaltabitur in gloria. Eodem anno Britonum rex Salomon a Pasquitano et Vurfando, ducibus suis, dolo interficitur, post cujus mortem cum hii duo regnum inter se dividere vellent, sed in divisione dissentirent, eo quod maxima pars

[1] Ex Reginone ad an. 874.

Pasquitani partibus faveret, bellum ab utroque summis viribus instauratur. Pasquitanus, quamquam majorem multitudinem haberet, Northmannorum tamen auxilia pecunia conducit, eaque ad supplementum virium suo exercitui miscet. Vurfandi satellites, videntes vires regni ad Pasquitanum concessisse, ceperunt ab eo diffugere, ut vix mille cum eo in acie remanerent. Qui et ipsi ceperunt suadere, ut secederet, mortisque periculum declinaret, se cum paucis innumeram multitudinem sustinere non posse. Ad hec ille respondit : « Absit, inquit, optimi commilitones, ut hodie faciam, quod nunquam feci, ut inimicis meis terga vertam, et gloria nominis nostri infametur; melius est nobiliter mori, quam ignominia vitam servare. Nec diffidendum de victoria, fortune vices cum hostibus experiamur : neque enim salus est in multitudine, sed pocius in Deo. » Hujuscemodi exhortationibus animatis sociis, super triginta et eo amplius, ut ferunt, adversariorum millia irruit; clamor in celum tollitur, pugna summa virtute conseritur. Vurfandus cum suis consertissimam hostium aciem irrumpit, et veluti herba pratorum recisa ante acumen falcis cadit, et uberrime segetes procella tempestatis deseviente prosternuntur, ita ferro cedit sternitque supradictam aciem, ut raro in illo regno in ullo prelio tantum sanguinis effusum sit. Pasquitanus, ut mactari suos more pecudum vidit, cum paucis, quos gladius necdum consumpserat, aufugit. Porro Northmanni, qui in auxilium fuerant convocati, monasterium sancti Melanii episcopi ingressi sunt, ibique se more solito communiunt, et succedente nocte fuga dilapsi ad naves revertuntur. Fuit vero gestum hoc prelium in campis juxta civitatem Redonis. Erat hic Vurfandus genere inter suos clarus, sed virtutum nobilitate clarior, que tanta fuit in illo, ut animi magnitudine viriumque gloria inter suos, ut diximus, nulli videatur esse secundus. Ad cujus audaciam mentisque constanciam demonstrandam unum ex multis ponere placuit. Nam Salomon rex hyemis tempore contra Northmannos cum castra posuisset, ut ab eorum incursione fines regni sui tueretur, ibique multis diebus resideret, quadam die, cum sermo inter socios teneretur de audacia et duricia Northmannorum, predictus Vurfandus ultra vires presumens arroganter jactavit, si rex cum exercitu recederet, se tantummodo audere cum suis in eodem loco remanere, et tribus diebus post decessum regis immorari. Distabant vero castra Britonum a Northmannorum tantum octo milibus. Nunciata sunt verba, que Vurfandus quasi

leviter protulerat, nescio a quo, Hastingo duci paganorum. Nec multo post interjecto tempore, datis quingentis vaccis, Salomon pacem cum Northmannis fecit, et acceptis obsidibus, cum redire in regnum disponeret, legatus Hastingi eum taliter alloquitur: « Nunciatum est domino meo, te tantum virum habere, qui se jactat, quod, te recedente, solus cum suis hoc in loco audeat remanere. Si ergo tantus est, quantus videtur sibi, incunctanter remaneat, quia dominus meus vult eum videre, audacisque viri desiderat noticiam habere. » Interrogatus autem Vurfandus a rege, utrum tale quid professus esset, respondit se talia dixisse, et hec eadem factis velle probare, protinusque licenciam ibi remanendi petit. Cum a principe objurgaretur, cur tam fatua obstinatione detentus, pro verbis in ventum inaniter prolatis vellet mori, suosque morti tradere, nullatenus acquievit, asserens, nisi licenciam remanendi daret, nequaquam illi in reliquum fidelis foret. Sed cum Salomon irrevocabilem ejus animum perspexisset, dare ei solacium ex suis satellitibus voluit. Quod renuit suscipere, affirmans, si aliquos quam suos secum haberet, jam non essent vera, que spoponderat. Rex cum omnibus copiis in regnum recessit, et Vurfandus in eodem loco cum ducentis fere viris remansit, ibique quinque diebus exspectavit. Sexta nocte Hastingus quemdam captivum absolvit a vinculis, et eum ad Vurfandum direxit, mandans ut sibi ad vadum cujusdam torrentis, inter terciam secundamque supervenientis diei horam, occurreret, ut mutuis colloquiis fruerentur. Qui nichil cunctatus arma corripere suis imperavit, et ad condictum locum absque mora pergit, prospiciensque vadum inter suos et adversarios quasi limitem fore, nullo modo ibi consistere voluit, sed transvadato gurgite ultro obviam hostibus procedit. Northmanni ammirantes animositatem viri atque audaciam, ab eo declinaverunt, nec eum bello lacessere ausi sunt. Ille autem usque ad horam sextam intrepidus exspectans, cum neminem adverse partis venire cerneret, cum suis ad propria reversus est. Nec illi animus minus in mortem invictus quam in hostem fuit. Denique post peractam victoriam morbo gravatus ad extremum deductus est. Cujus invalitudinem cum persensisset Pasquitanus, resumptis viribus fautores ejus aggreditur bello. Qui perterriti timore ad ducem confugiunt, et cum lacrimis ei minas Pasquitani aperiunt, petentes contra imminens periculum consilium. At ille hortatur, ut adversus hostes procedant suum vexillum ferentes, polliceturque victoriam. Qui cum respon-

dissent, sine ejus presencia non audere cum adversariis congredi, spiritum, qui cum viribus corporis jam pene effugerat, resumens, quia nec pedibus nec equo poterat ire, jubet se in lecto portari et ante aciem inimicorum deponi, et sic subire certamen. Quod cum satellites fecissent, mox hostes in fugam versi sunt. Patrata victoria, cum eum reportare vellent, demum spiritum, qui tantummodo in pectore palpitabat, exalavit. Paucis autem interpositis diebus Pasquitanus et ipse defunctus est. Post horum duorum mortem Judicheil, ex filia Herispoii regis natus, et Alanus, frater memorati Pasquitani, Britanniam inter se partiti sunt : inter quos etiam multa jurgia et bella fuerunt. Sed Judicheile in prelio, quod contra Northmannos magis audacter quam provide gesserat, interempto, in dicione Alani omnis Britannia concessit, qui et hanc hactenus strenue gubernat [1].

875. Anno Domini DCCC° LXXV°, Ludovico imperatore Romanorum mortuo, Karolus Calvus rex Francorum, patruus ejus, in Ytaliam perrexit, ubi pars maxima populi ejusdem provincie eum cum pace recepit; sed Karlomannus nepos ejus, cum exercitu veniens, iter illius inquietare conatus est. Sed, nunciis intervenientibus, ad colloquium mutuum pervenerunt, et pace inter eos facta Karlomannus reversus est in patriam suam. Karolus iter, quod arripuerat, pertendere studuit, donec ad limina Petri apostoli pervenit; nam X° kalendas januarii Romam ingressus, a Johanne papa honorifice receptus est. Et in die nativitatis Domini a predicto papa benedictionem imperialem accepit, multisque honoribus sanctum Petrum et papam muneravit, sicque remeavit ad Franciam [2].

De excessibus Karoli Calvi imperatoris. Cap. LXXIII.

Karolus imperator, post adeptum imperium ultra se elatus, consuetudines Francorum vilipendens, grecas glorias et insolitos habitus affectabat, et talari dalmatica indutus, et desuper baltheo accinctus pendente usque ad

[1] Obiit Alanus anno 907; Regino vero chronicon suum absolvit eodem anno 907, antequam nuntius de Alani obitu in Germaniam perferretur.

[2] Vide Sigebertum ad an. 876, et Andream Silvium lib. II, cap. XV; illis enim e fontibus Dynterus, Reginonem plerumque secutus, quaedam identidem intermiscet.

pedes, capite involuto velamine serico, et dyademate desuper imposito, procedebat. Et, cum esset lepore timidior, et hostes fugere quam fugare paratior, fratrem suum Ludovicum lacessebat, minatus tantas equorum secum ducturum copias, ut ab equis suis Reno flumine exhausto ipse per aridum alveum Germanie regnum intraret[1].

De morte Ludovici regis Germanie[2]. Cap. LXXIV.

Anno Domini DCCC° LXXVII° Ludovicus rex, frater Karoli Calvi, apud Franckenvord palacium diem extremum clausit, V° kalendas septembris, sepultusque in monasterio sancti Nazarii, quod Loresheim nuncupatur. Fuit autem iste princeps christianissimus, fide catholicus, non solum secularibus, verum etiam ecclesiasticis disciplinis diligentur instructus; que religionis sunt, que pacis, que justicie, ardentissimus executor: ingenio perprudens, consilio providentissimus, in dandis sive extrahendis publicis dignitatibus discretionis moderamine temperatus; in prelio victoriosissimus, armorum quam conviviorum apparatibus studiosior; cui maxime opes erant instrumenta bellica, plus diligens ferri rigorem quam auri fulgorem. Apud quem nemo inutilis valuit, in cujus oculis perraro utilis displicuit: quem nemo muneribus corrumpere potuit; apud quem nullus per pecuniam ecclesiasticam sive mundanam dignitatem optinuit, sed magis ecclesiasticam probis moribus et sancta conversatione, mundanam devoto servicio et sincera fidelitate. Habuit autem hic gloriosissimus rex, cujus memoria in benedictione est, reginam, nomine Hemmam, sibi in matrimonium junctam, que nobilis genere fuit, sed, quod magis laudandum, nobilitate mentis multo prestantior. Ex qua tres filios suscepit excellentissime indolis, videlicet Karlomannum, Ludovicum et Karolum, qui felici sorte post decessum patris imperii moderati sunt gubernacula. 877.

[1] Ex Andrea Silvio, lib. II, cap. XV.

[2] Ex Reginone ad an. 876.

Karolus Calvus nititur portionem regni Lotharingie fratris sui usurpare[1].
Cap. LXXV.

Karolus, audito quod frater a seculo recessisset, nimia, ut ajunt, exultatione perfusus est, arbitrans portionem regni Lotharii, quod idem frater tenuerat, in suos libitus concessuram. Exercitum ergo quanta potuit celeritate adunavit, et cum omnibus viribus regnum ingressus ad Aquis palacium venit, ubi paucis diebus moratus Coloniam profectus est. Cum hec aguntur in memorato regno, Karlomannus, primogenitus Ludovici, Ytalie fines intravit, cupiens eam paterno suoque dominatui subjugare, siquidem Ludovicus jam, ut diximus, imperator ab hac luce subtractus fuerat, et Karolus Calvus imperatoris nomen reportans ex Ytalia recesserat, Karolus vero, frater ejus, in Alemanniam morabatur. Porro Ludovicus, qui ad patris obitum fuerat, funerisque ejus obsequia condigno honore celebraverat, apud Franckenvord, principalem sedem orientalis regni, residebat. Cui cum nunciatum esset, quod Karolus, patruus ejus, jam regni paterni terminis occupatis, circa Reni fluenta castra posuisset, nimio furore accenditur, statimque legatos ad eum dirigit, orans ut memor esset germanitatis et consanguinitatis; memor esset nominis Domini nostri Jhesu Christi, cujus mentionem coram nonnullis testibus facientes ipse et frater, quando regnum inter se diviserunt, terribili essent alternam pacem ad invicem pacto polliciti, et pertimescens tantum nomen in vanum accipere, redderet Domino juramenta sua; fedus, quod ad alterutrum pepigerant, inviolabile maneret; parceret gladio, et humanum fundere sanguinem tam dira cupiditate infectus formidolosius exhorresceret; foret sua sorte contentus, et funiculo hereditatis divinitus sibi collato pacifice frueretur, aliena jura non invadens, non subtrahens, non perturbans; non esset in tanto viro vane glorie typus, non supercilii fastus, non alterius usurpandi terminos ambicio, sed justicia, caritas et concordia regnaret, ac summum pax inter illum et nepotes teneret animo fastigium. Sed hujuscemodi monita Karolus sprevit, asserens se cum fratre, non cum nepotibus fedus pepigisse. Interim Ludovicus exercitum ex Saxonia, Thuringia et ex orientali Francia congregat, et, ut in filio

[1] Ex Reginone, *loc. cit.*

non tantum paternos vultus, quantum animi subtilitatem arciumque ingenia recognosceres, castra Colonie contra castra Karoli super ripam fluminis magno apparatu collocat; ipse autem cum omni hostium virtute inter Confluentes et Andernacum Renum transit. Nec defuit, qui ad aures Karoli deferret, nepotem cum omnibus copiis Renum transiisse. Tunc primum animadvertit Karolus se a castris Ludovici esse illusum; movit ergo absque mora exercitum, et cum quinquaginta et eo amplius, ut ferunt, millibus in pago Meginensi, non longe ab Andernaco castello, adversus eum ad pugnam procedit. Sed non salvatur rex per multam virtutem: fallax enim equus ad salutem. Siquidem inito certamine Reginharius comes, qui regium vexillum ferebat, primo impetu extinguitur; confertissime acies Ludovici a sociis irrumpuntur, et, sicut ignis in stipula immissus furit et in momento cuncta devorat, ita vires adversariorum ferro conterunt, terre prosternunt. Exercitus Karoli graviter cesus terga vertit, et Ludovici victoria fuit. Karolus videns suos fugere, et ipse fuga vitam servavit, sero secum revolvens, quantum discriminis sit, equitatis jura, divinarum humanarumque legum institutionibus roborata, immoderate cupiditatis ambicione violare velle. Acta est autem hec strages octavo ydus octobris. Post hec convenerunt tres supradicti fratres in loco qui dicitur Sualfelt[1], et ibi diviserunt paternum regnum. Karlomannus sortitus est Bajoariam, Pannoniam et Carnutum, quod corrupte Carantanum dicitur, necnon et regna Slavorum, Behemensium et Marahensium; Ludovicus orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Frisiam et partem regni Lotharii; Karolus Alemanniam et alique civitates ex regno Lotharii.

Karolus Calvus secundo vadit Romam et moritur[2]. CAP. LXXVI.

Anno Domini DCCC° LXXVIII° Karolus Calvus[3] Romam secundo pro- 878.
fectus est, ubi jam pridem imperatoris nomen a presule sedis apostolice Johanne ingenti precio emerat; regnumque Ytalie magis in transeundo vidit.

[1] Alias *Sualifelt*, pagus ad fluvium Alemonam, in quo Carolus Magnus fossam duxerat, majoris pagi Retiensis pars, ut aiunt Reginonis editores.

[2] Ex Reginone ad an. 877.

[3] Alias *Karolus senior*.

quam fruendo potitus est. Ab urbe Roma in Longobardiam reversus, Bosoni, germano Richildis regine, Hirmingardem, filiam Ludovici imperatoris, in matrimonium jungit. Dies nupciarum tanto apparatu tantaque magnificencia ludorum celebratus est, ut hujus celebritatis gaudia modum excessisse ferantur. Dedit insuper eidem Bosoni Provinciam, et, corona in vertice capitis imposita, eum appellari regem jussit, ut more priscorum Romanorum[1] regibus videretur dominari. Evolutis deinde paucis diebus Papiam ingreditur, in qua cum in disponendis publicarum rerum negociis animum intenderet, repente nunciatum est ei, Karlomannum cum ingenti armatorum multitudine Longobardorum regna introivisse. Mox pavore solutus Ticiadum[2] Padumque transiit, et summo annisu in Gallias repedare contendit. Sed priusquam Alpium preeminencia juga angustaque itinera attingeret, egritudine pulsatur, quam protinus mors subsecuta finem vite imposuit. Est autem fama, quod a quodam judeo, qui vocabatur Sedechias, poculum mortis ei propinatum sit, quia ei familiarius adherebat, eo quod in medendis corporum passionibus singularem experienciam habere diceretur; porro hic sycophanta erat, et magicis prestigiis incantationibusque mentes hominum illudebat. Obiit pridie nonas octobris. Corpus ejus levatum in feretro a suis extra Ytaliam deportatur; sed quia fetor intolerabilis ex putredine cadaveris bajulantes gravabat, compulsi sunt illud terre commendare. Post aliquantos annos ejus ossa translata sunt, et Parisius in monasterio sancti Dyonisii honorifice sepulta. Cui successit in regnum filius Ludovicus.

Mors Caroli Calvi.

Karolo Calvo succedit in regno Francie filius ejus, Ludovicus Balbus[3]. Cap. LXXVII.

879. Anno Domini DCCC° LXXIX° eclipsis lune magna facta est, mense octobri, die XVI°. Item eodem mense eclipsis solis accidit, die XIX°, circa horam nonam. Paucis interjectis diebus Ludovicus rex, filius Karoli, qui Balbus appellabatur, eo quod impeditioris esset eloquii, ab hac luce sub-

[1] Alias *imperatorum.*

[2] Alias *Ticinum.*

[3] Vide Reginonem ad an. 878.

tractus est, anno regni sui secundo nondum expleto. Fuit vero iste princeps vir simplex et mitis, pacis, justicie et religionis amator; habuit autem, cum adhuc juvenilis etatis flore polleret, quandam nobilem puellam, nomine Ansgard, sibi conjugii federe copulatam, ex qua duos liberos suscepit elegantis forme ac ingentis animi virtute prestantes. Horum unus Ludovicus, alter Karlomannus vocabatur. Sed quia hanc sine genitoris consciencia ac voluntatis consensu suis amplexibus sociaverat, ab ipso patre ei postmodum est interdicta, et, interposito jurisjurandi sacramento, ab ejus consortio in perpetuum separata. Tradita est autem eidem ab eodem patre Adalheidis in matrimonium, quam gravidam ex se reliquit idem rex, cum obiret. Que, tempore pariendi expleto, enixa est puerum, cui nomen avi imposuit, eumque Karolum vocari fecit.

Boso rex Provincie inungitur in regem Burgundie; et de regno Ludovici et Karlomanni[1]. Cap. LXXVIII.

Anno dominice incarnationis DCCC° LXXX° Boso, de quo paulo superius mencionem fecimus, audita morte Ludovici regis, filii Karoli Calvi, a Provincia egreditur, totamque Burgundiam occupare nititur. Denique nonnullos episcopos, partim minis, partim suasionibus, in societatis federa colligit, et Lugdunum ingressus, ab Aureliano, ejusdem urbis metropolitano, et aliis pontificibus in regem super prefatum Burgundie regnum inungitur, pro nichilo ducens adolescentes filios Ludovici, et velut degeneres despiciens, eo quod jussu Karoli eorum genitrix spreta atque repudiata fuerit. Que res obtulit illi magis cladium ac periculorum dispendium, quam glorie et dignitatis emolumentum. 880.

Siquidem jam dicti adolescentes Ludovicus et Karlomannus industria ac studio Hugonis abbatis et aliorum procerum in regnum sublimati sunt, et eundem Bosonem, diebus vite sue, omni instancia sunt persecuti, nec solum illi verum etiam reges Francorum per succedencia tempora adeo graviter nomen ejus tulerunt atque exosum habuerunt, ut irrecuperabili ejus dejectione et mortis exicio non modo duces ac principes, sed etiam eorum satellites sacramentis et execrationibus obligarentur. Fuit autem tam perspi-

[1] Ibid., ad an. 879.

cacis ingenii, ut cum a multis, sicut dictum est, regibus assidue insectatus sit, a nullo tamen capi aut circumveniri aliquando potuerit; tante moderationis, ut, cum sibi faventes proscriptionibus dampnarentur, bonisque omnibus privarentur, nunquam insidiis suorum militum fuerit petitus, neque fraude proditus, cum utrumque hostes sepe tentassent.

Per idem tempus Ludovicus, qui Austrasiis imperabat, cognita morte equivoci sui, vi regnum illius invadere disponit, et transvadata Mosa imperii fines occupavit. Cui occurrerunt duo memorati fratres cum valida manu; sed, intercurrentibus vicissim legationibus, nequaquam pugna committitur, sed pax roboratur. Adolescentes quippe, ut federatus ab eis recederet Ludovicus, portionem regni Lotharii, quam avus paterque tenuerat, ex integro illi concesserunt, addita insuper Atrebatis abbacia sancti Vedasti. Facta itaque pactione, datisque sacramentis, cum in regnum idem rex reverteretur, repente obviam habuit Northmannorum innumeram multitudinem, juxta Carbonariam silvam, in loco qui vocatur Thimiun, cum ingenti preda ad classem repedantem; cum quibus absque mora conflixit, et, Deo propiciante, maximam ex eis partem gladio prostravit [1]. Reliqui in fugam dilapsi in supradicto fisco regio se communiunt, ubi Hugo, filius regis ex pellice natus, cum incautus dimicaret, graviter vulneratus ab hostibus capitur, et inter manus adversariorum animam reddidit. Rex, estimans quod adhuc filius vivus ab inimicis servaretur, exercitum ab impugnationis infestatione cessare jubet, ut quocunque pacto illum incolumem recipere posset. Interea nox superveniens, regem cum suis redire ad castra compulit. Northmanni cadavera suorum flammis exurentes, noctu defugiunt, et ad classem dirigunt gressum. Rex diluculo consurgens, cum filium extinctum repperisset, nimio dolore afficitur; corpus ejus in locum compositum ad Loresheim in monasterium imperat deferri, ibique tumulari.

De morte Karlomanni regis Bavarie [2]. Cap. LXXIX.

881. Anno dominice incarnationis DCCC° LXXXI° Karlomannus rex, paralisi dissolutus, diem clausit extremum, VII° nonas aprilis, sepultusque cum

[1] Cfr. *Jacques de Guyse, Annales de Hainaut*, liv. XIV, chap. I et suiv., édit. de Fortia, tom. IX, p. 220 et suiv.

[2] Ex Reginone ad an. 881.

debito honore in Baioaria, in loco qui dicitur Hodingas[1]. Fuit iste precellentissimus rex litteris eruditus, christiane religioni deditus, justus, pacificus, et omni morum honestate compositus et decoratus; pulchritudo ejus corporis insignis; vires quoque in eo mirabiles fuere, nec inferior animi magnitudine; plurima quippe bella cum patre, pluriora sine patre in regno Slavorum gessit, semperque victorie triumphum reportavit; terminos imperii sui ampliando ferro dilatavit; suis mitis, hostibus terribilis apparuit: colloquio blandus, humilitate ornatus; in ordinandis regni negociis singulari solercia preditus, prorsus, ut nichil ei deesse regie majestatis competens videretur. Huic ex legitimo matrimonio non est nata soboles, propter infecunditatem conjugis, sed ex quadam nobili femina filium elegantissime speciei suscepit, quem Arnulphum nominari jussit, ob recordationem reverendissimi Arnulphi, Metensis ecclesie episcopi, de cujus sancto germine sua aliorumque Germanorum et Francorum prosapia pullulaverat. Quod non casu accidisse, sed quodam presagio portentoque futurorum jactatum[2] videtur. Siquidem ab illo genealogia regum celitus provisa per intervalla temporum fecundis[3] incrementorum successibus cepit exuberare, quousque in magno Karolo summum fastigium imperii, non solum Francorum, verum etiam diversarum gentium regnorumque optineret. Post cujus decessum, variante fortuna, rerum gloria, que supra vota fluxerat, eodem, quo accesserat, modo cepit paulatim diffluere, donec deficientibus non modo regnis sed etiam ipsa regia stirpe, partim immatura etate pereunte, partim sterilitate conjugum marcescente, hic solus de tam numerosa regum posteritate ydoneus inveniretur, qui imperii Francorum sceptra susciperet; quod in subsequentibus suo in loco lucidius apparebit.

Ludovicus, comperiens quod frater ejus obiisset, Baioariam ingressus ad Radesponam venit, ubi omnes optimates regni, ad eum confluentes, ejus ditioni se subdiderunt. Concessit autem idem rex Arnulpho Carantanum, quod ei pater jam pridem concesserat; in quo situm est castrum munitissimum, quod Mosborch[4] nuncupatur, eo quod palude impenetrabili locus vallatus difficillimum adeuntibus prebeat accessum.

[1] Alten-Oettingen.

[2] Seu *actum*.

[3] Alias *secundis*.

[4] Seu *Mosaburch*, castrum antiquum in Carinthia inferiori, ad lacum Klagenfurtensem.

Karolus, filius Ludovici regis Germanorum, fit imperator post mortem Karoli Calvi, patrui sui[1]. Cap. LXXX.

882. Anno dominice incarnationis DCCC° LXXXII° Karolus de Alemannia egressus, Longobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Ytaliam in dedicionem accepit; et Romam perveniens, a presule sedis apostolice Johanne et senatu Romanorum favorabiliter acceptus, cum gloria magna imperator creatus est.

Northmanni. Per idem tempus Northmannorum classis Wal[2] fluvium ingressa, in Niumagio ad regium palacium applicuit, ibique castrum posuit. Quod factum cum ad noticiam Ludovici perlatum esset, absque dilatione cum exercitu venit, et munitionem obsidione clausit. Conserto nonnullis diebus certamine, non adeo prevaluit, quia palacium ingentis magnitudinis mirique operis hostibus tutissimum prebebat receptaculum. In qua congressione captus est ab adversariis Eberhardus Saxo, filius Meginhardi comitis, et captivus ductus est. Quem postea mater Evesa magno precio dato incolumem recepit. Postremo rex, accepta pollicitatione quod, si ab obsidione cessaret, Northmanni continuo de regno ejus decederent, cum omnibus copiis recessit. Illo recedente pagani palacium una cum munitione exurentes flammis, navibus ascensis ostia Reni repetunt. Item eodem anno, mense novembri, duo reges Northmannorum, Godefridus et Sigefridus, cum inestimabili multitudine peditum et equitum consederunt in loco qui dicitur Haslon, juxta Mosam[3]; et primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium civitatem, Trajectum castrum, Tongrensem urbem bis incendio cremant. Secunda incursione Ribuariorum finibus effusi, cedibus, rapinis ac incendiis cuncta devastant. Coloniam Agrippinam, Bonnam civitates cum adjacentibus castellis, scilicet Tulpiacum et Juliacum et Nusciam, igne comburunt. Posthec Aquis palacium, inde Malmundarias et Stabulaus monasteria in favillam redigunt.

883. Anno dominice incarnationis DCCC° LXXXIII° Arduennam percurrentes Prumiam monasterium ingrediuntur, ipso die Epyphanie Domini, ubi tri-

[1] Vide Reginonem ad an. 881 et 882.

[2] Alias *Walam*, scilicet Vahalem.

[3] Vid. Annales Fuld. ad an. 882.

duo commorantes omnem in circuitu regionem depopulati sunt. In quo loco innumerabilis multitudo peditum, ex agris et villis in unum agmen conglobata, eos quasi pugnatura aggreditur; sed Northmanni, cernentes ignobile vulgus disciplina pugnandi penitus ignarum, cum clamore irruunt, tantaque cede prosternunt, ut bruta animalia non homines mactare viderentur. Hiis itaque patratis, onerati preda ad castra redeunt. Illis discedentibus, ignis, qui in diversis habitaculis accensus remanserat, cum nullus esset qui eum extingueret, monasterium consumpsit.

Dum hec aguntur, Ludovicus rex morbo gravatus apud Franckenford moritur, XIIIº kalendas septembris, sepultusque est in Loresheim, juxta patrem, in cenobio. Habuit autem Luitgardam reginam in matrimonium copulatam, ex qua unicum filium suscepit, quem nomine suo Ludovicum appellavit. Sed, ut premisimus, post obitum fratris, dum ad obtinendum regnum ejus Baioariam ingressus esset, et in Radespona moraretur, idem puerulus de fenestra cecidit, et confractis cervicibus statim exspiravit. Que tam immatura mors non solum regi et regine, sed etiam omni regno maximum luctum ingessit. Northmanni, audita morte regis, nimio exultabant tripudio, et jam non de conflictu, sed de preda cogitabant. Igitur cum omni festinatione exeunt [1], et Treverorum nobilissimam civitatem Galliarum, nonas aprilis, die sacratissime Cene Domini, occupant. In qua usque ad sanctum diem Pasche corpora recreantes, omne territorium urbis circumquaque usque ad solum demoliti sunt, deinde civitatem flammis exurentes Medomatrico dirigunt aciem. Quod cum comperisset ejusdem urbis antistes, Walo, adjuncto sibi Bertulfo episcopo [2] et Adalhardo comite, ultro eis obviam ad pugnam procedit. Inito certamine, Northmanni victores extiterunt. Idem episcopus Walo in bello cecidit, ceteri fugerunt. Pagani iter quod ceperant deserentes, cum ingenti preda summa celeritate ad classem revertuntur.

Ea tempestate Karolus imperator in Ytalia morabatur, ubi diversis legationibus Germanie et Gallie pulsatur, ut ad suscipienda regna sibi hereditario jure competencia festinaret, et periclitanti imperio succurreret, quod capite amisso ad ludibrium hostibus erat. Qui nichil tardatus cum omnibus copiis in Franciam venit, et cum Longobardis, Baioariis, Alemannis, Thuringis, Saxonibus, Frisonibus et omnibus regnis sue dominationi subditis

[1] In aliis cod. legitur : *Igitur cum omnibus viribus a munitione exiliunt.*

[2] Trevirensi, de quo cap. seq.

Northmannos in supradicto loco obsidere conatus est. Sed voluntas ejus parum effectum habuit, quamquam, ut diximus, ex diversis regnis et gentibus inestimabilis multitudo in unum confluxisset, indignatione celesti super populum christianam religionem prophanantem deseviente. Novissime Godefridus rex Northmannorum ea conditione christianum se fieri pollicetur, si ei munere regis Frisia provincia concederetur, et Gisla filia Lotharii in uxorem daretur. Que, ut optaverat, adeptus, baptizatus, et ex sacro fonte ab imperatore susceptus est. Sigifrido et reliquis Northmannis immensum pondus auri et argenti expositum est, et tali tenore fines regni excedunt.

De morte Ludovici et regno Karlomanni[1]. Cap. LXXXI.

883. Anno dominice incarnationis DCCC° LXXXIII° Ludovicus rex, Karlomanni frater, moritur apud sanctum Dyonisium, ibique honorabiliter tumulatur, quem omnes Galliarum populi nimio planctu lamentati sunt. Fuit enim vir virtutis, regnumque sibi subditum a paganorum infestatione potenter viriliterque defendit. Inter cetera que strenue gessit, illud precipue prelium commendatur, quod adversus Northmannos in loco qui vocatur Sodalcurth[2] summis viribus exercuit; in quo certamine, ut ferunt, plus quam octo millia hominum gladio prostravit. Karlomannus frater regnum illius optinuit, qui regnavit annis tribus et diebus sex. Eodem tempore Bertulfus Treverorum episcopus migravit ad Dominum, quarto ydus februarii, cui successit in pontificiali cathedra, per electionem cleri et totius plebis, Ratbodus, reverendissimus antistes, VI° idus aprilis. Hiis etiam diebus Ruotbertus presul ab eodem episcopo Ratbodo in Meldensi ecclesia consecratur, X° kalendas maii.

Hug filius regis Lotharii nititur recuperare regnum patris, scilicet Lotharingiam[3]. Cap. LXXXII.

Circa hec tempora Hug filius Lotharii in spem recuperandi regni paterni ab aliquibus discordiarum et litium sectatoribus introducitur

[1] Vide Reginonem ad an. 883.

[2] Saulcourt, oppidum Picardiae.

[3] Ex Reginone ad an. cit. et seq.

Omnes, qui justiciam et pacem execrabantur, ad eum confluxerunt, ita ut in paucis diebus innumera multitudo predonum ejus dominationi se submiserint. Inter quos etiam nonnulli ex primoribus regni vana spe seducti, manibus datis, accedunt, videlicet Stephanus, Ruotbertus, Wiebertus, Thietbaldus comites, Albricus et frater ejus Stephanus. Tantaque rapina et violencia ab hiis in regno fit, ut inter horum et Northmannorum maliciam nil differret, preter quod a cedibus et incendiis abstinerent. Sic Omnipotens iratus regno Lotharii adversabatur, et talibus incrementorum cladibus vires ejusdem radicitus exterminabat, ut prophetia sanctissimi Nycholai pape, simul etiam maledictum, quod super idem regnum protulerat, adimpleretur. Hoc etiam tempore idem Hug Wiebertum comitem, qui ab ineunte etate sibi faverat, interemit: paucis dehinc interpositis diebus Bernarium, nobilem virum sibique fidelissimum, dolo trucidari jussit, pulchritudine illius captus uxoris, quam absque momento sibi in matrimonium jungit. Vocabatur autem mulier Friderada, que, antequam Bernario sociaretur, copulata fuerat Engilrammo, potenti viro, ex quo filiam peperit, quam postmodum Richwinus comes in conjugium accepit, et eandem etiam propter stuprum commissum idem comes decollari jussit.

Anno dominice incarnationis DCCCº LXXXVº Northmanni, qui ab Has- 885.
lon recesserant, Sommam fluvium intrant, ibique consederunt. Quorum creberrimas incursiones cum Karlomannus sustinere non posset, pecuniam pollicetur, si a regno ejus recederent. Mox avide gentis animi ad optinendam pecuniam exardescunt, et duodecim millia pondera argenti puri atque probati exigunt, totidemque annos pacem promittunt. Accepta tam ingenti pecunia, funes a litore solvunt, naves conscendunt et marina litora repetunt. Interea Karlomannus venatum perrexit, ubi ab apro graviter vulneratus post modicum vitam cum regno amisit, sepultusque est apud sanctum Dyonisium. Ajunt autem quidam, quod a quodam suo satellite improvide arma ferenti vulneratus fuerit, et, quia non sponte, sed invitus hoc facinus commiserat, idcirco a rege celatum sit, ne innoxius morti traderetur. Northmanni cognita morte regis protinus in regnum revertuntur: itaque Hug abbas et ceteri proceres legatos ad eos dirigunt, et promissionem et fidem datam violatam esse proclamant. Ad hec illi responderunt, se cum Karlomanno rege, non cum alio fedus pepigisse: sed, quisquis ille esset, qui in regnum ei succederet, ejusdem numeri et quantitatis pecuniam

daret, si quiete et pacifice imperium tenere vellet. Territi hujuscemodi mandatis, optimates regni ad Karolum imperatorem missos dirigunt, eumque ultro in regnum invitant, eique advenienti ad Gondolphi villam obviam procedunt, et, manibus sacramentisque datis juxta morem, ejus ditioni se subjiciunt. Eodem anno Northmanni, qui in Chinheim [1] ex Denemerka venerant, assentiente Godefrido Renum navigio ascendunt, et Duysborch oppido occupato munitionem in eodem loco construunt, et in eo totam hyemen resident. Contra quos Heinricus castra posuit, et nullatenus predas agere permisit. Redeunte vernali tempore, castris exustis, maritimis locis se recipiunt. Hiis eciam diebus Northmanni a Somma exeunt, et rursum in regnum Lotharii revertentes in loco, qui dicitur Lovon, id est Lovanium, castrametati sunt in confinio ejusdem regni, et continuis incursionum infestationibus utraque regna fatigant : ad quorum maliciam compescendam imperator semel et iterum misit exercitum, sed nichil dignum memorie adversus tantam violentorum multitudinem [2] actum est.

Visio Karoli tercii imperatoris [3]. Cap. LXXXIII.

Et quia visio prelibati Karoli imperatoris memorabilis erat et mirabilis, ideo dignum duco ipsam huic historie intexere :

« In nomine Dei, summi regis regum. Ego Karolus imperator, gratuito Dei dono rex Germanorum et patricius Romanorum atque imperator Francorum, sacra nocte dominici diei, post celebratum nocturnarum horarum divinum officium, dum irem causa repausationis cubitum, et vellem dormitionis capere sompnum, venit vox ad me terribiliter, dicens : « Karole, exiet modo a te spiritus tuus in hora non modica. » Statimque fui raptus in spiritu, et qui me sustulit in spiritu fuit candidissimus, tenuit manu sua

[1] Seu *Kinnin* in Annal. Fuld ad an. 882; *Kennemerland*, pagus qui Hollandiae borealis majorem partem complectitur.

[2] Alias *rapacitatem*.

[3] Similis visio summatim exstat in chronico Alberici ad. an. 889, qui illam ex Guilielmo Malmesburiensi hausit. Hæc vero inferorum descriptio procul dubio pertinet ad illarum *Visionum cyclum*, quas Dante Alighieri immortali carmine celebravit. Cfr. Ozanam, *Dante et la philosophie catholique au treizième siècle;* nouvelle édition suivie de *Recherches nouvelles sur les sources poétiques de la Divine Comédie;* IV part., §. 4 et 5; et J. J. Ampère, *Hist. litt. de la France avant le douzième siècle*, tom. III, p. 116-122.

glomerem lineum, clarissimum jubar luminis emittentem, sicut solent facere comete, quando apparent, cepitque illum dissolvere, et dixit ad me: « Accipe filum glomeris micantis, et liga ac noda firmiter in pollice manus tue dextere, quia per illum duceris in labyrinteas infernorum penas. » Et hoc dicto precessit me velociter, distorquens filum luciflui glomeris, duxitque me in profundissimas valles igneas, que erant plene puteis ardentibus pice et sulphure, plumboque, cera et adipe. Ibi inveni pontifices patris mei et avunculorum meorum. Quos cum pavens interrogarem, quod tam gravia paterentur tormenta, responderunt michi: « Fuimus episcopi patris tui et avunculorum tuorum, et, dum debuimus illos et populum illorum de pace et concordia ammonere et predicare, seminavimus discordias, incentores malorum fuimus: unde nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, et nos et alii homicidiorum et rapinarum amatores. Huc etiam tui episcopi et satellites venient, qui simile amant nunc facere. » Quod dum tremebundus auscultarem, ecce nigerrimi demones, advolantes cum uncis igneis, volebant apprehendere filum glomeris, quem in manu tenebam, et ad se attrahere, sed reverberantibus radiis illius glomeris non valebant filum attingere. Deinde post tergum meum currentes voluerunt me aduneiare, et in ipsos puteos sulphureos precipitare. Sed ductor meus, qui portabat glomerem, jactabat super scapulas filum glomeris, et duplicavit illum, traxitque me post se fortiter; sicque ascendimus super montes altissimos igneos, de quibus oriebantur paludes, et flumina fervencia, et omnia metallorum genera bulliencia. Ibi repperi innumeras hominum et principum patris mei et fratrum meorum animas precipitatas, alias usque ad capillos, alias usque ad mentum, alias usque ad umbilicum, clamaveruntque ad me ejulando: « Dum viximus, amavimus tecum, et cum patre tuo, et cum fratribus et avunculis tuis, facere prelia et homicidia et rapinas, cupiditate terrena: ideo, in ista bulliencia flumina et paludes metallorum immersi, diversa genera sustinemus tormentorum. » Qui cum ad hec timidus accederem, audivi retro me animas clamare: « Potentes potenter tormenta pacientur! » Qui respexi et vidi super ripas fluminis bullientis fornaces piceas et sulphureas, plenas magnis draconibus et scorpionibus et serpentibus diversi generis; ubi etiam vidi aliquos patris mei principes, et meos et fratrum meorum, necnon et avunculorum meorum, dicentium michi: « Heu nobis, Karole, vides quam gravia habemus tormenta propter nostram maliciam, superbiam et mala consilia, que

regibus nostris et tibi dedimus. propter cupiditatem.» Cumque hec dolenter congemiscerem, cucurrerunt ad me dracones, apertis faucibus, igne et sulphure et pice plenis, volentes me inglutire; ac ductor meus triplicavit super me filum, a cujus radiorum claritate superata sunt ora illorum ignea. Qui pertraxit me validius. et descendimus in unam vallem, que erat ex parte tenebrosa, ardens velut clibanus ignis, ex alia vero parte tam amenissima et splendidissima, ut nulla ratione dicere valeam; vertique me contra tenebrosam et flammivomam partem, vidique ibi aliquos reges mei generis in magnis suppliciis: et tunc, nimis constrictus angustia, putavi me statim in ipsis demergi suppliciis a gigantibus ingentibus. qui ipsam vallem inflammabant cunctis generibus ignium. Et valde tremens, glomeris filo illuminante oculos meos, vidi e latere vallis paulisper albescere lumen, ibique duos fontes fluere : unus erat nimium calidus, alter vero clarus et tepidus; et erant ibi duo dolia. Cumque illuc irem, filo glomeris regente gressus meos, intuitus sum unum, ubi erat fervens aqua; vidi ibi genitorem meum Ludovicum stare usque ad femora; et nimio dolore aggravatus et angore percussus dixit ad me : « Domine mî Karole, noli timere; scio quod revertetur rursus spiritus tuus ad corpus tuum, et permisit te Deus huc venire, ut videres, propter que peccata ego et omnes. quos vidisti. talia toleramus supplicia. Uno enim die sum in isto ferventis dolii balneo, et altero die transmittor in isto suavissimo altero aque dolio; et hoc fit precibus sancti Petri et sancti Remigii. cujus patrociniis hactenus genus nostrum regnavit. Sed si michi cito subvenires, tu et mei fideles episcopi et abbates et omnis ordo ecclesiasticus, missis, oblationibus, psalmodiis et vigiliis ac elemosinis, velociter liberatus ero de isto aque bullientis dolio. Nam frater meus Lotharius et filius ejus Ludovicus sancti Petri sanctique Remigii precibus exempti sunt de istis penis. et jam ducti sunt in gaudium paradisi.» Dixitque ad me : « Respice sinistrorsum » ; cumque respexissem. vidi ibi duo dolia altissima bulliencia. « Ista. inquit. tibi sunt preparata. nisi te emendaveris. et penitenciam egeris de tuis nephandis delictis. » Cepique tunc graviter horrere, cumque cerneret comes meus in tanto pavore esse spiritum meum. dixit ad me : « Sequere me ad dexteram luculentissime vallis paradisi : » et cum graderem, contemplatus sum ingenti claritate cum gloriosis regibus sedere Lotharium. avunculum meum, super lapidem topasium mire magnitudinis. coronatum dyademate precioso, et juxta eum filium ejus Ludo-

vicum, simili corona coronatum; vidensque me cominus, accersivit blanda voce dicens : « Karole, successor meus nunc tercius in imperio Romanorum, veni ad me; scio quod per penalem locum venisti, ubi est pater tuus, frater meus, positus in terminis sibi destinatis; sed per misericordiam Domini citissime ab illis liberabitur penis, sicut et nos liberati sumus, meritis sancti Petri sanctique Remigii precibus, cui Deus magnum apostolatum dedit super reges et super gentem Francorum, qui nisi quisquiliis nostre propaginis suffragatus fuerit et adjuverit, jam deficiet genealogia nostra regnando et imperando; unum scito, quod tolletur ocius potestas imperii de manu tua, et postea brevissimo vives tempore. » Tunc conversus contra me Ludovicus dixit michi : « Imperium, quod hactenus tenuisti jure hereditario, debet recipere Ludovicus, filius filie mee, que fuit uxor Bosonis. » Et hoc dicto, visum est michi affare Ludovicum infantulum. Tunc intuens Lotharius, avus ejus, dixit michi : « Talis videtur esse infans, qualis ille puer fuit, quem statuit Jhesus in medio discipulorum et dixit : Talium est regnorum celorum; dico vobis quod angeli eorum semper vident faciem patris mei qui est in celis. Tu vero redde illi potestatem imperii per illud filum glomeris, quod in manu tenes. » Disnodans ergo filum de pollice dextere mee, donabam illi monarchiam omnem imperii per ipsum filum; statim ipsum glomus, fulgidum sicut jubar solis, coadunatum est in manu ejus. Sicque post hoc factum mirabile reversus spiritus meus est in corpore meo, valde fessus et conterritus. Denique sciant omnes, velint aut nolint, quod secundum destinationem Dei in manu illius revertetur imperium Romanorum, et quod super ipsum non prevales agere, precipiente me articulo vocationis mee, Deus, qui vivorum dominator et mortuorum, illud perficiet et confirmabit : cujus eternum regnum et sempiternum imperium permanet in secula seculorum. Amen. »

Hug filius Lotharii contra imperatorem rebellans, petit auxilium a rege Godefrido, affine suo[1]. Cap. LXXXIV.

Anno dominice incarnationis DCCC° LXXXVI° Hug. rebellare disponens 886.
contra imperatorem, legatos ad Godefridum occulte dirigit, eo quod illi

[1] Ex Reginone ad an. 885.

esset affinitate conjunctus propter sororem, quam in conjugium acceperat, hortaturque, ut in patriam mitteret, et auxiliatorum validam manum undique contraheret, et cum omnibus viribus sibi opem ferret, quatenus regnum paternum evindicare cum armis posset, et, si id ejus industria virtutisque suffragio prosperitatis effectum obtineret, medietatem ipsius regni pollicetur. Hiis suasionum promissionibus Godefridus, veluti veneno infectus, occasionis fomitem inquirit, qualiter ac si justa ratione a fidelitate imperatoris se subducere valeret. Statimque Gerolphum et Gardolphum, comites Frisonum, legatos ad Cesarem dirigit[1], quorum callida argumenta et factionum conspirationes cum sentirentur, imperator cum Heinrico duce Saxonie, viro prudentissimo, altiore consilio pertractat, quo ingenio hostem, quem in regni extremitatibus introduxerat, extinguere posset. Et sciens esse loca inaccessibilia exercitui, propter diversarum aquarum innumeros discursus et impenetrabiles paludes, magis id arte quam virtute experiri statuit. Legatos ergo responso suspensos absolvit, et ad Godefridum redire permisit, asserens per suos missos de omnibus causis legatorum suorum ea responsa redditurum, que sibi et eidem Godefrido essent decencia, tantum ut in cepta fidelitate perseveraret. Post hec Heinricum ducem Saxonie ad eundem virum mittit, et, ut fraus, que struebatur, occultaretur, cum eo Willibertum, venerabilem episcopum Colonie Agrippine. Qui (*Heinricus*) suis satellitibus imperat, ut per Saxoniam properantes, non agmine facto, sed sparsim sibi occurrerent loco et die, quo eis condixit. Ipse cum perpaucis Coloniam venit, et assumpto prefato episcopo mox in Batuam proficiscitur (Batua provincia est sita inter Renum et Walam). Godefridus, audito eorum adventu, illis obviam procedit ad locum, qui dicitur Herispich, in quo Reni fluenta et Wale uno se alveo resolvunt, et ab invicem longius cedentes Batuam provinciam suo gurgite cingunt. Hanc insulam ingredientes episcopus et comes, multa a Godefrido audiunt, multa ex parte imperatoris respondent; dies ad occasum vergitur. Soluto colloquio ab insula excedunt, hospicia repetunt, in crastino reversuri. Heinricus episcopum hortatur, ut die subsequenti Gislam, uxorem Godefridi, extra insulam ad Novimagium evocaret, eamque ad pacis studium provocare satageret : interim ipse cum Godefrido causam Everhardi comitis Gelrie agi-

[1] Nonnulla hoc loco apud Reginonem adduntur, a Dyntero brevitatis causa, ut videtur, omissa.

taret, cujus rerum possessio ab eo violenter diripiebatur. Deinde persuadet eidem Everhardo, ut de injusticia, quam paciebatur, in medio assurgens se proclamaret, et, cum a ferocis et barbare gentis homine durius et contumeliosius verbum sibi esset prolatum, absque mora evaginato gladio eum summo annisu in capite percuteret, antequam a terra elevari posset. Quid plura? Ab Everhardo primo percussus, et a satellitibus Heinrici confossus, Godefridus *Godefridus occiditur*
moritur, omnesque Northmanni, qui in Batua sunt reperti, trucidantur. Non multis post interpositis diebus Hug, ejusdem Heinrici consilio ad Gondolphi villam promissionibus attractus, dolo capitur, et jussu imperatoris ab eodem Heinrico ei oculi eruuntur, omnesque faventes dehonestantur. Post hec in Alemanniam in monasterium sancti Galli mittitur, inde postea in patriam revocatur. Novissime, temporibus Swendeboldi regis, in Prumia monasterio manu mea attonsus est (eram enim tunc temporis in eodem loco dominici ovilis, quamvis non ydoneus, tamen custos[1]), ubi post non multos annos moritur et sepelitur.

Anno dominice incarnationis DCCC° LXXXVII° Northmanni a Lovon, 887.
id est Lovanio, recedentes, Secanam ingrediuntur, et Parisius applicantes castra ponunt, et civitatem obsidione claudunt. Contra quos imperator Heinricum ducem cum exercitu vernali tempore dirigit, sed minime prevaluit; erant enim, ut ferunt, triginta et eo amplius adversariorum millia, omnes pene robusti bellatores. Demum estivo tempore, antequam segetes in manipulos redigerentur, idem Heinricus cum exercitibus utriusque regni Parisius venit, et circumstantibus legionibus ipse cum perpaucis propius accedit, munitionem circuit, situm loci contemplatur, aditumque perquirit, quo exercitui cum hostibus minus periculosus pateret congressus. Porro Northmanni, audientes appropinquare exercitum, foderant foveas latitudinis unius pedis et profunditatis trium, in circuitu castrorum, easque quisquiliis et stipula operuerant, semitas discursui tantum necessarias intactas reservantes. Pauci ergo latrunculi, qui latitabant in concavis viarum itineribus, videntes Heinricum appropinquare, cito consurgunt a locis, in quibus dilituerant, provocant virum telis et voce lacessunt. Ille animi magnitudine indignitatem rei non ferens, super eos irruit, et mox in cecis foveis equum, cui insidebat, impegit, et cum ipso in terram corruit; hostes

[1] Additur in margine : *Hiis temporibus Regino fit abbas Prumiensis, qui hanc cronicam conscripsit*

Heinricus dux perimitur. summa celeritate, cum a loco elevaretur, eum terre confodiunt, et conspiciente universo exercitu absque mora eum trucidant, arma auferunt et spolia ex parte diripiunt. Agminibus autem impetum facientibus, vix cadaver exanime eruitur, et a suis usque Suessionis deportatum in basilica sancti Medardi sepelitur. Exercitus, amisso duce, ad propria revertitur.

De Normannia. Cap. LXXXV.

Quis poterit narrare, que mala a Northmannis per totam Franciam et Burgundiam et Neustriam sunt facta? Non enim fuit nec locus nec civitas nec municio nec ecclesia, a mari Hispanico usque ad mare Britannicum, quo se possent abscondere a turbine tempestatis hujus. Karolus rex Suessionis apud sanctum Medardum terram inter suos dividit, et needum de eo se moverat loco, ecce Sigifridus rex Danorum, Ysaram fluvium ingressus, terra et aqua faciens iter cum suis, omnia ferro vastabat et igne. Quod cum imperator agnovisset, nam ignis certum nuncium deferebat, inde recessit. Posthec Sigefridus rex famosissimam ecclesiam sancti Medardi igne cremavit, monasteria, vicos, palacia regia, interfectis et captivatis terre accolis. Karolus imperator cum Northmannos requireret expellere de Francia, tandem facto federe concessit eis regiones, que erant ultra Secanam, quarum incole contra se erant rebellantes; que pars Francie a Northmannis Normannia denominata est.

De regno Arnulphi. Cap. LXXXVI.

889. Anno dominice incarnationis DCCC° LXXXIX° Franci australes, videntes Karoli imperatoris vires ad regendum imperium invalidas, ejecto eo de regno Germanorum, Arnulphum filium Karlomanni, fratris ejus, in regni solio ponunt. Hic Arnulphus patruo suo Karolo fiscos in Alemannia delegavit, qui sibi de necessariis providerent. Anno sequenti obiit Karolus imperator, tercius hujus nominis et dignitatis, secundo ydus januarii, sepultusque in Augia insula. Post cujus mortem regna, que ejus ditioni paruerant, velut legitimo destituta herede, in partes a sua compage resolvuntur, et jam non naturalem dominum prestolantur, sed unusquisque de suis visceribus regem sibi creari disponit. Que causa magnos bellorum

motus excitavit, non quia principes Francorum deessent, qui nobilitate, fortitudine, sapiencia regnis imperare possent, sed quia inter ipsos equalitas generositatis et dignitatis et potencie discordiam augebat, nemine tantum ceteros precellente, ut ejus dominio reliqui se submittere dignarentur; multos enim ydoneos principes ad regni gubernacula moderanda Francia genuisset, nisi fortuna eos emulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.

Berengarius et Wido confligunt pro imperio. CAP. LXXXVII.

Igitur quedam pars Ytalici populi Berengarium filium Eberhardi, qui ducatum Forojulianorum tenebat, regem sibi statuunt; quidam Guidonem filium Lantberti, ducem Spoletanorum, eque regia dignitate sublimandum decernunt. Ex qua dissentionum controversia tanta strages ex utraque parte postmodum facta est, tantusque humanus sanguis effusus, ut juxta dominicam vocem regnum in seipsum divisum desolationis miseriam pene incurrerit. Ad extremum Guido, victor extans, Berengarium regno expulit: pulsus itaque Arnulphum adiit, ejusque patrocinia contra hostem exposcit. Quid vero Arnulphus fecerit, qualiter Ytalie regnum bis cum exercitu penetraverit, suo in loco commemorabitur.

Odo filius Roberti assumitur in regem Francorum. CAP. LXXXVIII.

Interea Galliarum populi in unum congregati cum consensu imperatoris Arnulphi Odonem ducem, filium Roberti, de quo superius mentionem fecimus, virum strenuum, cui pre ceteris forme pulchritudo et proceritas corporis et virium sapiencieque magnitudo inerat, regem super se pari consilio et voluntate creant. Qui rempublicam viriliter rexit, et contra assiduas depredationes Northmannorum indefessus propugnator extitit. Per idem tempus Rodulphus, frater Conrardi, nepos Hugonis abbatis, de quo supra memoravimus, Provinciam inter Juram et Alpes Penninas occupat, et apud sanctum Mauricium, accersitis secum quibusdam primoribus et nonnullis sacerdotibus, coronam sibi imposuit, regemque se appellari jussit. Posthec mittit legatos per universum regnum Lotharii, et suasionibus pollicitationibusque episcoporum et nobilium virorum mentes in sui favo-

rem demulcet. Quod cum nunciatum esset Arnulpho, illico cum exercitu super eum irruit; ille per arctissima itinera fuga dilapsus in tutissimis rupium locis salutis presidium quesivit. Omnibus itaque diebus vite sue Arnulphus et Zvendeboldus, filius ejusdem, eundem Rodulphum persecuti sunt, nec tamen eum ledere potuerunt.

Qualiter Arnulphus debellat Northmannos. Cap. LXXXIX.

Eodem anno Northmanni, qui Parisiorum urbem obsidebant, miram et inauditam rem, non solum nostra sed etiam superiorum etate, fecerunt. Nam cum civitatem inexpugnabilem persensissent esse, omni virtute omnique ingenio laborare ceperunt, quatenus, post tergum urbe relicta, classem cum omnibus copiis per Sequanam fluvium sursum possent evehere, et sic Hionnam fluvium ingredientes, Burgundiae fines absque obstaculo penetrarent. Civibus autem omni instancia prohibentibus ascensum fluminis, naves per siccum plus quam duorum passuum millibus trahunt, et taliter declinato omni periculo, iterum eas Sequane fluentis immergunt, et post paululum Sequanam relinquentes, in Hionnam, ut disposuerant, sub omni celeritate navigantes, Senonis applicuerunt, ibique castris positis per continuos sex menses eandem urbem obsidione claudunt, totamque pene Burgundiam rapinis, cedibus ac incendiis demoliuntur; sed civibus fortiter repugnantibus, Deo protegente, nequaquam prefatam urbem capere potuerunt, quamquam omni laborum sudore omnique arcium et machinamentorum ingenio id multipliciter pertemptassent. Inter ipsas vero obsidionum angustias Eberhardus, ejusdem loci metropolitanus, vir tocius sanctitatis et sapiencie nitore fulgidus, corporeis vinculis absolutus ad celestem patriam transiit : in cujus cathedra sublimatus est Waltarius, nepos Waltarii Aurelianensis urbis episcopi, longe inferior predecessore suo moribus, religioneque et philosophie studio.

890. Anno dominice incarnationis DCCC° XC° gens Bulgarum ferocissima et omni bellua crudelior, retro ante seculis ideo inaudita quod nec nominata, a Scyticis regnis et a paludibus, quas Thanais sua refusione in immensum porrigit, egressa est. Sed priusquam ipsius gentis acta crudelia stilo persequamur, non superfluum videatur, si de Scycie situ Scytarumque

moribus, historiographorum dicta sequentes, aliquid commemoremus [1].

Scycia, ut ajunt, in Orientem extensa, includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Ripheis, a tergo Asia et Ythasi flumine; patet autem multum in longitudinem et latitudinem. Hominibus hanc inhabitantibus inter se nulli fines; perraro enim agrum exercent, nec domus illis ulla aut tectum vel sedes est; armenta et pecora semper pascentes, per incultas solitudines errare soliti sunt, et uxores et liberos secum in plaustris vehunt: frigoris, ymbrium, hyemisque causa his plaustris pro tectis domibusque utuntur. Nullum scelus apud eos furto gravius: quippe sine tecti munimento pecora et armenta alimentaque habentibus, quid inter sylvas superesset, si furari liceret? Aurum et argentum non perinde, ut reliqui mortales, appetunt; venationum et piscationum exerciciis inserviunt; lacte et melle vescuntur; lane usus et vestium ignari sunt, et, quamquam continuis frigoribus afficiantur, pellibus tantum ferinis et murinis induuntur. Imperium Asie ter quesiere; ipsi imperpetuum ab alieno imperio aut intacti aut invicti mansere. Nec virorum magis quam feminarum virtutibus claruere: quippe cum ipsi Parthos Bractrianosque, femine autem eorum Amasonum regna condiderint, prorsus ut res gestas virorum mulierumque considerantibus incertum sit, uter apud eos sexus illustrior fuerit. Darium regem Persarum turpi a Scycie submoverunt fuga; Cyrum cum omni exercitu trucidaverunt; Alexandri Magni ducem Sopiriona pari ratione cum universis copiis deleverunt: Romanorum audiere, non sensere arma. Laboribus et bellis asperi, corporum vires immense. Habundant vero tanta multitudine populorum, ut eos genitale solum non sufficiat alere. Septentrionalis vero plaga quanto magis ab estu solis remota est et nivali frigore gelida, tanto salubrior corporibus hominum et propagandis gentibus coaptata; sicut et contra omnis meridiana regio, quo solis est fervori vicinior, eo semper morbis habundat et educandis minus est apta mortalibus. Unde fit, ut tante populorum multitudines arctoo sub axe exoriantur, ut non immerito universa illa regio, Thanai tenus usque ad Occiduum, licet et propriis loca in ea singula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germania nominetur. Ab hac ergo populosa Germania sepe innumerabiles captivorum turme abducte, meridianis populis precio distrahuntur: multe quoque ex

[1] Ex Justino, lib. II, cap. 2. Cfr. Reginonem ad an. 889.

ea, pro eo quod tantos mortalium germinat, quantos alere vix sufficit, frequenter gentes egresse sunt, que et nichilominus partes Asie, sed maxime sibi contiguam Europam afflixerunt. Testantur hoc ubique urbes erute per totam Galliam et Illiricum, sed maxime misere Ytalie, que pene illarum omnium est gentium experta seviciam.

Ex supradictis ergo locis gens memorata a finitimis sibi populis, qui Pecinaci vocantur, a propriis sedibus expulsa est, eo quod numero et virtute prestarent, et genitale, ut premisimus, rus non sufficeret ad habitandum. Horum itaque violencia effugati, ad exquirendas quas possent incolere terras, sedesque statuere, valedicentes patrie, iter arripiunt. Et primo quidem Pannoniorum et Avarum solitudines pererrantes, venatu ac piscatione victum cotidianum queritant, deinde Carantanorum, Marahensium et Bulgarum fines crebris incursionum infestationibus irrumpunt, perpaucos gladio, multa millia sagittis interimunt, quas tanta arte ex corneis arcubus dirigunt, ut eorum ictus vix precaveri possit. Cominus enim in acie prelari aut obsessas urbes expugnare nesciunt. Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus, sepe etiam fugam simulant, nec pugnare diu possunt. Ceterum intolerandi forent, si vis tanta ac perseverancia esset, quantus est impetus. Plerumque in ipso ardore certaminis prelia deserunt, et paulo post pugnam ex fuga repetunt, ut, dum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. Quorum pugna, quo ceteris gentibus inusitata, eo periculosior est. Inter horum et Britonum conflictum hoc unum interest, quod illi missilibus, isti sagittis utuntur. Vivunt non hominum sed beluarum more; carnibus siquidem, ut fama est, crudis vescuntur, sanguinem bibunt, corda hominum, quos capiunt, particulatim dividentes, velut pro remedio devorant. Nulla miseratione flectuntur, nullis pietatis visceribus commoventur. Capillum usque ad cutem ferro cedunt. Equis omni tempore vectantur; super illos ire, meditari, consistere ac colloqui solent. Liberos ac servos suos equitare ac sagittare magna industria docent. Ingenia illis tumida et sediciosa, fraudulencia, precocia. Quippe eandem ferocitatem feminis quam viris assignant, semper in externos aut in domesticos motus inquieti, natura taciti, ad faciendum quam ad docendum promptiores. Hujus ergo nephandissime gentis crudelitate non solum memorate regiones, verum etiam Ytalie regnum ex maxima parte devastatum est.

Anno dominice incarnationis DCCC° XCI° Arnulphus rex concessit 891.
Zvendiboldo, Marahencium Slavorum regi, ducatum Behemanensium[1], qui hactenus principem sue cognationis et gentis super se habuerant, Francorumque regibus fidelitatem promissam inviolato federe conservaverant, eo quod illi, antequam in regni fastigio sublimaretur, familiaritatis gratia connexus fuerit. Denique filium ejus, quem ex pellice susceperat, a sacro fonte levavit, eumque ex nomine suo Zvendiboldum appellari fecit. Que res non modicum discordiarum et defectionis prebuit incitamentum; nam et Behemani a fidelitate diucius custodita recesserunt, et Zvendiboldus, ex adjectione alterius regni vires non parvas accessisse sibi sentiens, fastu superbie inflatus contra Arnulphum rebellavit. Quod cum cognovisset Arnulphus, cum exercitu regnum Marahencium ingressus, cuncta, que extra urbes repperit, soletenus demolitus est. Ad ultimum, cum et exciderentur cetere fructifere arbores radicitus, Zvendiboldus pacem poposcit, et dato filio obside hanc sero promeruit.

Per idem tempus Northmanni a Matrona fluvio exeuntes, Parisius revertuntur, et quia omnimodus descensus fluminis per pontem prohibebatur, tertio castra locant, et iterato certamine predictam urbem impugnant. Sed civibus, qui continuis operum ac vigiliarum laboribus induruerant et assiduis bellorum conflictibus exercitati erant, audacter reluctanitbus, Northmanni desperatis rebus naves per terram cum magno sudore trahunt, et sic alveum repetentes Britannie finibus classem trajiciunt. Quoddam castellum in Constanciensi territorio[2], quod ad sanctum Loth[3] dicebatur, obsident, accessum ad fontem aque ex toto prohibentes, oppidanis siti arescentibus, fit dedicio eo pacto, ut, vita tantum concessa, cetera tollerentur. Illis a munitione progressis, gens perfida fidem et promissa data prophanat, omnesque absque respectu jugulat, inter quos episcopum Constanciensis ecclesie interimunt.

Erat tunc temporis inter Alanum et Judicheil, duces Britonum, non parva de divisione regni dissentionum controversia. In hoc ergo scismate et divisione, non tantum terrarum quam montium[4], pagani Britones reperientes,

[1] Seu *Behemensium*.

[2] *Constancia* (Coutances), ville de France dans la basse Normandie, capitale du Coutantin, qui en a tiré son nom.

[3] Saint-Lo, ville qui a été pendant quelque temps le siége des évêques de Coutances.

[4] Alias *mentium*.

super eos fiducialiter irruunt. Illi dum privatum singulorum, non universorum bellum ducunt, et auxilium ferre alter alteri recusat, quasi victoria unius non omnium foret, graviter ab hoste leduntur; ceduntur passim, et usque Blavittam fluvium [1] omnis eorum possessio diripitur [2]. Tunc primum intelligentes, quantam sibi perniciem, quantas adversariis vires discordia amministraret, per internuncios se invicem confirmant, tempus et locum adeundi condicunt, bellumque communibus viribus construunt. Itaque Judicheil, qui erat adolescencior, cupiens gloriam nominis sui exaltare, non exspectato Alano, cum sociis prelium conserit, multa millia hostium cedit, reliquos in quoddam vicum fugere compulit. Quos cum ultra quam oporteret improvide persequeretur, ab ipsis extinguitur, ignarus quia vincere bonum est, supervincere non est; periculosa est enim desperatio. Posthec Alanus, coadunata Britannia omni, tale votum vovit, ut, si adversarios per divinam virtutem posset superare, decimam partem omnium bonorum Deo et sancto Petro Romam destinaret. Omnibus autem Britonibus idem votum voventibus, ad pugnam procedunt, et commisso prelio tanta strage hostes fugit, ut vix quadringenti viri ex quindecim millibus ad classem repedarent.

Hac tempestate sanctissimo et in divinis humanisque rebus prudentissimo Williberto episcopo ab hac luce subtracto, Herimannus, venerabilis vir, per electionem cleri et plebis Coloniensi ecclesie preficitur. Circa hec etiam tempora Salomon, Constanciensis ecclesie antistes, recessit a seculo, in cujus loco successit Salomon, qui hac etate abbaciam sancti Galli tenebat, vir non solum nobilitate, verum etiam prudencie et sapiencie virtutibus insignitus, qui prefate urbis tercius ejus nominis erat pontifex.

892. Anno dominice incarnationis DCCC° XCII° Northmanni duobus continuis preliis in Britannia graviter attriti, in regnum Lotharii classem transferunt, et castris metatis predas exercent. Contra quos Arnulphus rex exercitum dirigit, jubetque super Mosam tentoria figere, transitumque fluminis hostibus prohibere. Sed antequam exercitus in unum colligeretur ad condictum locum, juxta castrum Trajectense, Northmanni, superiora tenentes, circa Leodium Mosam transierunt, et hostilem expugnationem a tergo relinquentes in silvis et in paludibus, Aquis palacio contiguis,

[1] *Blavitta,* Armoricae fluvius, in cujus ostio sitae sunt civitates *Port-Louis* et l'*Orient.*

[2] Margini adscriptum legitur : *Nota quid discordia facit.*

disperguntur, obvios quosque perimunt, plurima plaustra et vehicula, in quibus alimenta exercitui deferebantur, capiunt. Que fama cum ad exercitum pervenisset, qui jam ipso die nativitatis sancti Johannis Baptiste pene in unum convenerat, non tam tremor quam stupor mentes omnium occupavit. Principes, concione convocata, non tam de periculo quam de re dubia consulunt, incerti utrum Ribuariorum fines intrantes Coloniam tenderent, aut per Prumiam transeuntes Treveris dirigerent gressum, vel certe congregatam adversum se multitudinem pertimescentes, transvadata Mosa, ad classem festinarent. Inter hec nox superveniens conventum solvit. Postera die, cum aurorá radios sue lucis representaret, omnes armantur, et levatis vexillis per descensum fluminis expediti ad pugnam gradiuntur, cumque torrentem, qui Gulia dicitur, transiissent, acies pariter substiterunt; dehinc deliberant, ne omnis exercitus incassum fatigaretur, quod unusquisque procerum duodecim ex suis mitteret, qui in unum agmen redacti hostes investigarent. Hec sermocinantibus subito apparuerunt speculatores Northmannorum, quos cum omnis multitudo, inconsultis ducibus, confuso ordine insequeretur, peditum turmas in quadam villa offendit. Qui in unum conglobati facile sparsim supervenientes repellunt, atque retrorsum cogunt redire. Deinde perstrepentibus secundum mores pharetris, clamor in celum tollitur, pugna committitur. Equites Northmannorum, audito clamore, summa cum festinatione advolant, et ingravato prelio christianorum exercitus, peccatis facientibus, heu proch dolor! terga vertit. In quo prelio episcopus Maguncia ce urbis Sunzo, et Arnulphus comes occubuerunt, necnon multitudo innumera nobilium virorum. Northmanni patrata victoria castra omnibus diviciis referta invadunt, et trucidatis quos ceperant, onerati preda ad classem revertuntur. Hec vero cedes facta est VI° kalendas julii.

Dum hec agerentur, Arnulphus rex in Baioariorum extremitatibus morabatur, insolenciam Slavorum reprimens. Cui cum nunciata esset suorum strages hostiumque victoria, primo pro amissis fidelibus nimium tristatur, et querelam cum gemitu deponit, quod Franci eatenus invicti adversariis terga darent; deinde indignitatem rei animose in pectore versans in hostem accenditur, et congregato ex orientalibus regnis exercitu, mox Reno transmisso circa latera Mose castra posuit. Interjectis *paucis* diebus Northmanni, ex superiori pugna elati, cum omni virtute ad predandum proficiscuntur, contra quos rex cum expeditis ad pugnam procedit. Illi cernentes

acies appropinquare fluvium, qui Thilia dicitur, ligno et terre congerie more solito se communiunt, et cachinnis et exprobrationibus agmina lacescunt, ingeminantes cum insultatione et derisu, ut memorarentur ignominie [1], turpisque fuge, cedisque patrate, post modicum talia passuri. Rex felle commotus exercitum jubet descendere, et pedestri congressione cum adversariis decertare. Qui dicto cicius ab equis desilientes, clamore exhortationis dato, presidium inimicorum irrumpunt, et Deo vires celitus amministrante, eos usque ad internecionem ferro cedunt, terreque prosternunt, ita ut ex innumerabili multitudine vix residuus esset, qui ad classem adversum nuncium reportaret [2]. Rebus feliciter gestis Arnulphus in Baioariam revertitur. Eodem onno Hattho, venerabilis abbas, in Magontinensi ecclesia metropolitanus tonsuratur, qui hactenus in Augia monasterio multorum pater exstiterat monachorum.

893. Anno dominice incarnationis DCCC° XCIII°, mense februario, Northmanni, qui ad naves remanserant, Mosam transeuntes Ribuariorum pagum ingressi sunt, et secundum crudelitatem sibi ingenitam cuncta devorantes pervenerunt usque Bonnam. Inde digressi occupaverunt quandam villam, que Landulfesdorf [3] nominatur, ubi occurrit eis exercitus christianorum, sed nichil dignum, quod virtuti ascribatur, egit. Nocte superveniente recesserunt Northmanni ex jam dicta villa, et formidantes hostilem impetum nequaquam ausi sunt se committere planioribus atque campestribus locis; sed silvas semper tenentes, exercitum vero a leva post tergum relinquentes, quanta poterant velocitate, ad Prumie monasterium aciem dirigunt, ipsisque jam jamque irruentibus, abbas et congregacio fratrum vix fuga dilapsi sunt. At Northmanni monasterium ingressi, omnia depopulati sunt, et quosdam ex monachis interficientes, plurimamque familiam trucidantes, reliquos captivos duxerunt. Inde exeuntes Arduennam intraverunt, ubi quoddam castrum, in quodam monte preeminente noviter constructum, in quo innumera multitudo vulgi confugerat, aggrediuntur, et absque mora expugnant, interfectisque omnibus cum ingenti preda ad classem redeunt, et

[1] Alias *Guliae*, nam ad torrentem ejus nominis (*Geule*) a Nortmannis relata fuerat victoria, ut supra habetur.

[2] Notissima est Arnulphi victoria, qua Nortmannos, in Dyliae paludes compulsos et profligatos, e Lovaniensi munitione ejecit. Cfr. *Recherches sur l'histoire des comtes de Louvain et sur leurs sépultures à Nivelles*, p. 14.

[3] Hodie *Leudesdorff*, prope Andernaeum.

oneratis navibus cum omnibus copiis transmarinas repetunt regiones.

Per idem tempus Farabertus, abbas Prumiensis cenobii, curam pastoralem sua sponte per concessum regis deposuit, et ego *Regino*, quamvis indignus, secundum regularem auctoritatem per electionem in regimine successi [1]. Obsecro autem ne lectori onerosum videatur, si rem ab origine repetam, et qualiter hujuscemodi negocium ad effectum perductum fuerit simplici sermone pandam. Absurdum enim videtur, ut qui aliorum actiones et rerum gestarum causas exposui, propalare negocium, quod ad me pertinet, silencio pretermittam [2]..... Presertim poplite flexo veniam postulo lectori, eo quod verbosus in hac relatione, ultra quam decuit, extiti: necessitas enim compulit, ut non solum facta sed etiam dicta in ordine ponerem, propter invidencium et adversantium calumpnosam querelam.

Hec de retroactis causis transcursisque temporibus, ex multis pauca, commemorasse sufficiat; nam de modernis temporibus idcirco reticere disposuimus, quod, si veritatem rerum gestarum ad liquidum stilo executi fuerimus, procul dubio odium et offensionem quorundam, qui adhuc superstites sunt, incurremus; si autem a veritate recedentes, aliter quam causa se habeat, scripserimus, nichilominus adulationis et mendacii notam incurremus, quia omnibus pene res cognita est. Posteris ergo hoc lacius explanandum relinquimus; sed ne hec per omnia intacta preteriisse culpemur, res tamen gestas ex parte summatim annotare curabimus.

Odo rex Francorum Waldgarium comitem decollari fecit [3]. Cap. XC.

Igitur anno supra memorato, scilicet DCCC° XCIII°, mense julio, Wald- 893.
garius comes, nepos Odonis regis, filius scilicet avunculi ejus Adalhelmi, adversus eundem regem cum consilio quorundam rebellionis arma levavit, et Lugdunum Clavatum ingressus, omni annisu regie potestati contraire

[1] Ad marginem legitur : *Iste fuit Regino, abbas Prumiensis, qui hanc cronicam descripsit.* In editis vero Reginonis chronici exemplaribus post vocem *successi* additur : *In quo tamen* (regimine) *non diutius immoratus, aemulis agentibus, Richarium, fratrem Gerhardi et Mathfridi, invidiosum mei negotii successorem sustinui.*

[2] Monet vir Cl. Pertz (*Monum. Germ. hist.*, t. I, p. 604), totam de Reginonis electione et depositione narrationem post vocem *praetermittam* excidisse, quod contextus clare indicat. Cfr. infra cap. XCVII, p. 285 et 286.

[3] Ex Reginone, ad an. 892.

nititur. Quod cum Odo cognovisset, civitatem obsidione cinxit, quam absque mora in dedicionem recepit; deinde omnibus primoribus, qui tunc ibi aderant, adjudicantibus, eundem Waldgarium decollari jussit, eo quod in conventu publico contra regem et dominum suum gladium evaginasset.

Item eodem anno, mense augusto, V° kalendas septembris, Megingaudus comes, nepos supradicti Odonis regis, dolo interfectus est ab Alberico et sociis ejus in monasterio sancti Sixti, quod vocatur Rotila[1]. Per idem tempus claruit Arnt Wirsiburgensis ecclesie venerabilis episcopus; hortatu et suasione Popponis ducis Thuringorum, ad pugnam contra Slavos profectus, in eadem pugna occiditur. Cujus cathedram Rodulphus, frater Conrardi comitis, optinuit, et ei in episcopatu successit. Arnulphus Zvendiboldi filio honores Megingaudi comitis ex parte largitur. Poppo dux Thuringorum dignitatibus exspoliatur, et ducatus, quem tenuerat, Conrardo commendatur, quem pauco tempore tenuit, et sua sponte eum reddidit. Deinde Burchardo comiti committitur, qui hunc hactenus strenue gubernat.

Karolus, filius Ludovici regis, in regnum elevatur contra Odonem. Cap. XCI.

893. Odone rege in Aquitania commorante, Francorum principes ex maxima parte ab eo deficiunt, et agentibus Folcone episcopo, Heriberto et Pipino comitibus, in Remorum civitate Karolus, filius Ludovici ex Adalheide regina, ut supra memoravimus, natus, in regnum elevatur.

894. Anno dominice incarnationis DCCC° XCIIII° Arnulphus de Baioaria egressus, Frankenvort venit, et Renum transiens civitates, que in regno Lotharii sunt, ex maxima parte circuivit; in quo itinere ingencia dona illi ab episcopis oblata sunt. Odo, compositis rebus, de Aquitania in Franciam revertitur, et cum Roberto fratre Karolum fugat, defectoresque persequitur. Ebulo, abbas de sancto Dyonisio, cum quoddam castrum in Aquitania situm ardencius expugnaret, ictu lapidis periit: monasterium sancti Dyonisii Odo ad usum servitutis[2] revocat. Karolus vires Odonis ferre non valens, patrocinium Arnulphi supplex exposcit. Estivo tempore jam dictus

[1] Videtur esse Retel ad Mosellam, inquit Cl. Pertz. [2] Alibi minus recte: *ad suum servitium*.

rex conventum publicum in Wormacia celebravit civitate, ubi Karolus venit, et Arnulphum magnis muneribus sibi conciliat, regnumque, quod usurpaverat, ex ejus manu percepit. Jussum est etiam, ut episcopi et comites, qui circa Mosam residebant, illi auxilium ferrent, et eum in regnum inducentes in sede regia intronizarent; sed neutrum horum illi quidquam profuit. Denique Odo rex hoc audiens, cum exercitu super ripam Axani fluminis [1] sedit, et copias Arnulphi nullatenus intrare permisit. Duces regis, cernentes Odonem viriliter paratum esse ad pugnam, declinaverunt, et ad propria reversi sunt. Karolus in Burgundiam secessit, et, Odone Parisius revertente, rursus fines regni occupat, Odonis fideles insectatur, et sic alternatim ex utraque parte multi pereunt, ingens malicia, innumerabiles rapine et assidue prede fiunt.

Arnulphus intrat Lombardiam, Pergamum capit, et comitem civitatis suspendit [2]. CAP. XCII.

Anno dominice incarnationis DCCC°XCV° Arnulphus cum valido exercitu 895
Longobardorum fines et terminos intravit, et circa Purificationem sancte Marie castrum, quod nuncupatur Pergamum, armis cepit, et Ambrosium comitem ipsius civitatis laqueo ante portam ipsius urbis in quadam arbore suspendit. Unde tantus timor super reliquas civitates cecidit, ut nullus auderet contradicere, sed omnes obviam procederent venienti. Pervenit autem usque ad Placenciam; inde conversus per Alpes Penninas Galliam intravit, et ad sanctum Mauricium usque pervenit. Rodolpho, quem querebat, nocere non potuit, quia montana conscendens in tutissimis locis se absconderat. Regionem inter Jurum et Montem Jovis exercitus graviter attrivit. Posthec Wormaciam venit, ibi placitum tenuit, volens Zvendeboldum, filium suum bastardum, regno Lotharii preficere; sed minime optimates predicti regni ea vice assensum prebuerunt. Soluto conventu, cum ad Loresheim idem princeps venisset, Ludovico filio suo, matre Ermingarde interveniente, quasdam civitates cum adjacentibus pagis, quas Rodulphus tenebat, dedit; sed et hoc in vacuum ei cessit, quia eas nullo modo de potestate Rodolphi eripere prevaluit.

[1] Alias *Axona*, gallice *Aisne*.

[2] Ex Reginone ad. an. 894.

Moritur Wido imperator, cui succedit filius ejus Lantbertus. Cap. XCIII.

Eodem anno Wido, qui Ytaliam regebat et imperatoris nomen tenebat, moritur. Lantbertus filius ejus optinuit regnum, et Romam veniens dyadema imperii a presule sedis apostolice sibi imponi fecit. Per idem tempus Hildegardis, filia Ludovici regis, fratris Karlomanni et Karoli, a quibusdam apud Arnulphum accusata, regiis possessionibus privatur, et privata in exilium destinatur in monasterio puellarum, quod Chemissem [1] dicitur. Sed non post multum tempus in gratiam rediit, et sua ex majori parte recepit. Circa hec tempora Zvendeboldus, rex Marahencium et Slavorum, inter suos vir prudentissimus et ingenio callidissimus, diem clausit extremum. Cujus regnum filii ejus pauco tempore infeliciter tenuerunt, Ungaris omnia usque ad solum depopulantibus.

896. Anno dominice incarnationis DCCC° XCVI° synodus magna celebrata est, apud Triburias, contra plerosque seculares, qui auctoritatem episcopalem imminuere temptabant, ubi XXVI episcopi cum abbatibus monasteriorum residentes, plurima decreta super statum sancte ecclesie scripto roboraverunt.

In conventu publico apud Wormaciam Zvendeboldus, filius bastardus Arnulphi, preficitur regno Lotharingie. Cap. XCIV.

Posthec Arnulphus Wormaciam venit, ibique optimatibus ex omnibus regnis sue dicioni subditis sibi occurrentibus, conventum publicum celebravit: in quo conventu, omnibus assentientibus et quasi collaudantibus, Zvendeboldum filium regno Lotharii prefecit. In eodem placito Odo rex cum magnis muneribus ad Arnulphum venit, a quo honorifice susceptus, omnibus impetratis, pro quibus venerat: cum in regnum reverteretur, Folconem episcopum et Adalongum comitem sui mansionarii [2] ad Arnulphum cum exeniis a Karolo missis venientes, in media via offenderunt, super quos cum clamore impetum faciunt. Episcopus fuga dilabitur, Adalongus

[1] *Chiemsee.* Vid. Annales Fuld. ad. an. 895.

[2] Ministri quorum officium erat principi mansionem parare. Cfr. Du Cange, verb. cit.

mortali vulnere sauciatur, sarcine diripiuntur. Predictus comes in Trigorio[1], in villa, que dicitur Belthomus[2], sepelitur. Eodem anno Zvendeboldus, collecto exercitu immenso, cupiens amplificare terminos regni sui, quasi Karolo adversus Odonem auxilium laturus, Lugdunum Clavatum venit, et civitatem obsidione cinxit, sed minime eam capere potuit, quamvis multis diebus summis viribus certatum est. Audiens autem Odonem cum exercitu advenire, qui ea tempestate in Aquitania morabatur, cum omnibus copiis recessit, et in proprio regno se recepit. Ea tempestate Ludhelmus, venerabilis vir, in Tullensi ecclesia a metropolitano Radbodo ac suis suffraganeis episcopus consecratur.

De imperio Arnulphi[3]. Cap. XCV.

Anno dominice incarnationis DCCC° XCVII° Arnulphus, secundo Ytaliam ingressus, Romam venit, et urbem Romanam cum consensu summi pontificis armis cepit; quod retro ante seculis ideo inauditum, quia non factum fuit, excepto quod Galli Senones cum Brennone duce multo ante nativitatem Christi tempore semel fecerunt. Mater Lantberti, que ad presidium a filio relicta fuerat, cum suis latenter aufugit. Arnulphus civitatem ingressus, a Formoso, apostolice sedis presule, cum magno honore susceptus est, et ante confessionem sancti Petri coronatus, imperator creatur. Inde revertens paralisi morbo gravatur, ex qua infirmitate diu languescit. Eodem tempore Lantbertus filius Widonis, de quo paulo superius mentionem fecimus, vita decidit, et Ludovicus filius Bosonis, a Longobardis invitatus, a Provincia egressus intrat Ytaliam. Per idem tempus, circa festum sancti Andree, Albericus comes, qui Megingaudum occiderat, a Stephano fratre Walonis interficitur.

Anno dominice incarnationis DCCC° XCVII° Arnulphus, secundo Yta- 897

Anno dominice incarnationis DCCC° XCVIII° Stephanus, Odacar, Gerar- 898.
dus et Matfridus comites honores et dignitates, quas a rege acceperant, perdunt. Zvendeboldus Treveris cum exercitu venit, terram, quam prefati tenuerunt, inter suos dividit, monasterium ad Horrea, et monasterium sancti Petri, quod Metis situm est, sibi reservans. Posthec patrem super uxore,

[1] Pagus Trechirgowe, ad sinistram Rheni ripam a Bacharaco usque ad Confluentes.

[2] Hodiedum *Beltem*.

[3] Ex Reginone ad an. 896 et 897.

quam accipere desiderabat, per legatos consulit. Ejus hortatu ad Odonem comitem missum direxit, ejusque filiam, nomine Odam, in conjugium poposcit. Ille peticionibus ejus gratuiter assensum prebuit, eique filiam tradidit, quam post Pascha celebratis nupciis sibi in matrimonium sociavit. Eodem anno Arnulphus Wormaciam venit, ibique placitum tenuit, ubi ad ejus colloquium Zvendeboldus occurrerat, et interventu imperatoris Stephanus, Gerardus et Matfridus cum filio reconciliantur. Ea tempestate inter Rudolphum, episcopum Wirziburgensem, et filios Heinrici ducis, Adelbertum, Adalhardum et Heinricum, magna discordiarum lis et implacabilis odiorum controversia ex parvis minimisque rebus oritur, et velut ex permodica scintilla ingens incendium excitatur, ita de die in diem succrescens in immensum dilatatur. Et dum de nobilitate carnis et de parentum numerosa multitudine et magnitudine terrene postestatis, ultra quam deceret, se extollunt, in mutuis cedibus prorumpunt, innumerabiles ex utraque parte gladio pereunt, truncationes manuum ac pedum fiunt, regiones illis subjecte rapinis et incendiis soletenus devastantur.

De morte Odonis et regno Karoli Simplicis. Cap. XCVI.

899. Anno dominice incarnationis DCCC° XCIX° Odo rex egritudine pulsatur, et mense januario, tertio die ejusdem mensis, diem clausit extremum, et apud sanctum Dyonisium cum debito honore sepulture mandatur. Principes in unum congregati pari consilio et voluntate Karolum Simplicem super se regem constituunt. Hic Karolus fuit filius regis Ludovici Balbi, filii Karoli Calvi. Eodem anno Zvendeboldus Reginharium ducem, sibi fidelissimum et unicum consiliarium, nescio cujus instinctu, a se repulit, et honoribus hereditatibusque, quas in suo regno habebat, interdictis, eum extra regnum infra quatuordecim dies secedere jubet. Ille adjuncto sibi Odacro comite et quibusdam aliis, cum mulieribus et parvulis et omni supellectili, in quemdam tutissimum locum, qui Durfos [1] dicitur, intravit, ibique se communivit. Quod cum rex cognovisset, coadunato exercitu castrum expugnare conatus est, sed minime prevaluit, propter paludes et multiplices

[1] Fortasse Doveren seu *Doeveren* prope Heusden.

refusiones, quas in predicto loco Mosa fluvius fecit. Rege ab obsidione recedente, prefati comites Karolum Simplicem adeunt, et eum cum exercitu in regnum introducunt. Zvendeboldus, quamvis sero, intelligens se circumventum esse, cum perpaucis fuga dilabitur. Karolus Simplex recto itinere Aquis venit, deinde Niumagam perrexit. Interea Zvendeboldus ad Franconem episcopum[1] venit, et eum cum omnibus suis secum assumens Mosam transiit, ad Florichingas[2] venit, ubi omnes proceres regni, qui in illis partibus erant, ad eum confluxerunt. Ex desperatis itaque rebus vires se recepisse congaudens, resumpta fiducia contra emulum ad pugnam proficiscitur. Karolus a Niumaga revertens Prumiam venit, et inde adversus Zvendeboldum copias transfert: sed appropinquantibus ex utraque parte exercitibus, nequaquam pugna committitur, sed intercurrentibus legatis pax firmatur, sacramenta jurantur: Karolus, transvadata Mosa, in suum regreditur regnum.

Fugato Berengario Ludovicus filius Bosonis in imperatorem coronatur et admittitur. Cap. XCVII.

Dum hec in Francia geruntur, inter Ludovicum, filium Bosonis, et Berengarium in Ytalia plurime congressiones fiunt, et multa certaminum discrimina vicissim sibi succedunt. Novissime Ludovicus Berengarium fugat, Romam ingreditur, ubi a summo pontifice coronatus, imperator appellatur. Per idem tempus Eberhardus dux, filius Meginhardi, a Waldgario Frisone, filio Gerulfi, cum venatum pergeret, dolo trucidatur, ducatusque Meginhardo fratri ab imperatore committitur.

Anno dominice incarnationis DCCCC° Zvendeboldus colloquium habuit 900
cum optimatibus Arnulphi et Karoli et suis apud sanctum Goarem: ex regno Arnulphi interfuerunt Hatto archiepiscopus, Conrardus et Gebehardus comites; ex parte Karoli Haschiricus episcopus et Odacar comes. Quod vero in eodem conventu seorsum sine consensu regis pertractatum sit, postea eventus rei luce clarius manifestavit. Eodem anno Richarius abbas in monasterio Prumiensi constituitur. Qualiter autem erga me Reginonem

[1] Leodiensem. [2] Vlaardingen in Hollandia, ad Mosae ostium.

actum sit, idcirco hoc in loco notare distuli, ne forte injuriis provocatus, ultra quam christiana paciencia permittit, persecutionis mee causas exaggerasse viderer, et ne prolixe rationis oratio, que multiplex atque perplexa est, fastidium inferret audientibus. Res enim gestas, ut supra premisimus, non rerum gestarum causas certis rationum indiciis enucleare, et, qui in aliorum actionibus brevitati studemus, in nostris verbositatis vicium cavere debemus.

Zvendeboldus denuo cum exercitu ad Durfos venit, munitionem totis viribus expugnare molitur; sed, cum minime conatus ejus proficeret, episcopis jussit, ut Reginharium et Odacrum et socios eorum anathematizarent. Sed cum illi anathematis sentenciam proferre recusarent, minis et exprobrationibus et contumeliis utitur, et sic soluta obsidione unusquisque ad propria rediit. Ea tempestate Odilbaldus, sanctus vir, Trajectensis ecclesie presul, e rebus humanis sublatus ad celeste regnum transivit; in cujus loco subrogatus est Radbodus, venerabilis antistes. Circa confinia memorati anni Arnulphus imperator migravit a seculo, tertio kalendas decembris, sepultusque est honorifice in Odingas, ubi et pater ejus tumulatus jacet.

In cronica fratris Andree, libro secundo, legitur, quod Arnulphus uxorem Widonis, qui Ytalicum regnum invaserat, in quodam castro obsedit; Wido enim a facie ejus fugerat. Uxor autem Widonis, jam rebus suis diffidens, *Mirabilis intoxicatio.* per unum imperatoris familiarem, multa pecunia corruptum, ei poculum mortiferum dedit; quo hausto per triduum excitari non potuit, apertis oculis nil sentire aut loqui valens. Que res eum repedare coegit, quem recedentem Wido persecutus, a Deo percussus obiit. Imperator vero longa egritudine dissolutus, et, ut quidam ferunt, afflictus minutis vermibus, quos pediculos vocant, adeo in corpore ejus scaturientibus, ut a nullo medicorum minui possent, moritur. Ludovicus filius ejus post eum regnavit annis decem in regnis Germanie et Lotharingie.

De regno Ludovici filii Arnulphi. Cap. XCVIII.

901. Anno dominice incarnationis DCCCC° I° proceres et optimates, qui sub ditione Arnulphi fuerunt, ad Foracheim in unum congregati Ludovicum,

filium prefati principis, quem ex legitimo matrimonio susceperat, regem super se creant, et coronatum regiisque ornamentis indutum in fastigio regni sublimant. Dum hec in Germania aguntur, inter Zvendeboldum et primores regni inexpiabilis oritur dissentio propter assiduas depredationes et rapinas, que in regno fiebant. Et quia, cum mulieribus et ignobilioribus regni negocia disponens, honestiores et nobiliores quosque dejiciebat, et honoribus et dignitatibus exspoliabat, pro hujusmodi igitur causa omnibus odiosus efficitur. Certatim ergo ad Ludovicum transeunt, eumque in regnum introducunt, et in Theodonis villa, manibus datis, ejus dominationi se subjiciunt. Ludovico transeunte Renum, Zvendeboldus, coadunatis quoscunque potuit, civitates regni circuit, incendiis et rapinis cuncta devastat, arbitratus defectores, qui propter ejus insolenciam et immanem maliciam ab eo defecerant, immaniora et pejora faciens, ad se revocare posse. Ludovicus rursus in regnum accersitur, et a comitibus Stephano, Gerhardo et *Zvendeboldus interficitur in bello.* Matfrido, circa Mosam, idem Zvendeboldus in prelio interficitur, idibus augusti. Eodem anno Gerhardus comes Odam, uxorem ejusdem Zvendeboldi regis, sibi in matrimonium copulat.

Anno dominice incarnationis DCCCC° II° gens Ungarorum, Longobar- 902. dorum fines ingressa, cedibus, incendiis, rapinis cuncta crudeliter devastat; cujus violencie ac beluino furori cum terre incole in unum agmen conglobati resistere conarentur, innumerabilis multitudo ictibus sagittarum periit, quamplurimi episcopi et comites trucidati sunt. Luidwardus, episcopus Vercellensis ecclesie, Karoli quondam imperatoris familiarissimus et consiliarius a secreto, assumptis secum copiis ac incomparabilibus thezauris, quibus, ultra quam existimari potest, habundabat, cum effugere eorum cruentam ferocitatem omnibus votis elaboraret, super eos inscius incidit, ac mox interficitur; opes, que secum ferebantur, diripiuntur. Eodem anno Stephanus comes, frater Walonis, cum in secessu residens nocturnis horis alvum purgaret, a quodam per fenestram cubiculi sagitte toxicate ictu graviter vulneratur, ex quo vulnere eadem nocte extinguitur.

Anno dominice incarnationis DCCCC° III° Adalbertus cum fratribus Adal- 895. hardo et Heinrico, filiis Heinrici ducis Baioarie, collecta valida manu adversus Eberhardum et Gebehardum et Rodolphum fratres, de quibus superius mentionem fecimus, ex castro, quod Babenberch dicitur, prosiliens, ad pugnam processit. Cujus impetum illi viriliter excipientes, ferro

aciem irrumpunt, obvios quosque ferre prosternunt, nec ante desistunt, quam adversariorum agmen fugam inire compellunt. In quo certamine Heinricus interfectus, et Adalhardus captus, et post modicum jussu Gebehardi decollatus est. Eberhardus etiam multis vulneribus confossus in prelio cecidit, ubi finito conflictu inter cadavera occisorum a suis inventus domum deportatur, et paucis interpositis diebus et ipse moritur.

904. Anno dominice incarnationis DCCCC° IIII° Adalbertus Rodulphum episcopum de Wiziburgensi ecclesia fugat, et res et possessiones prefate ecclesie crudelissime depopulatur, filios etiam Eberhardi simul cum matre a propriis hereditatibus et honoribus, regio munere concessis, exire compellens, ultra Spehtheshart [1] secedere cogit.

Circa hec tempora Fulco Remorum episcopus a quodam Wenemaro, satellite Balduini Calvi, comitis Flandrie, interfectus est. Causa autem hujus interfectionis hec fuisse memoratur : Predictus Balduinus Atrebatis castrum, abbaciam scilicet sancti Vedasti, nullo sibi concedente, invaserat; quam Karolus rex ei auferens, Fulconi episcopo in beneficium largitus est. Quod Balduinus egre ferens, misit ad jam dictum episcopum Wenemarum, observans ne honores, quos hactenus tenuerat atque possederat, ipse cupiditate ductus sibi usurparet, insuper etiam ingencia dona pollicitus est, si ejus ope et interventu prefatam possessionem obtinere posset. Sed cum episcopus assensum minime preberet, et, nescio quid, durius et amarius quam oporteret, responderet, ille, dyabolo instigante, furore nimio succensus ab eo divertit, et quandam sylvam cum suis ingressus, cum idem Fulco a Compendio palacio a rege reverteretur, super eum irruit, et eum absque mora trucidavit. In Remorum cathedra Heriveus sublimatus est, qui eundem Wenemarum cum multis aliis episcopis excommunicavit, et pro tam inaudito scelere perpetuo anathemate condempnavit.

De imperio Ludovici imperatoris, filii Bosonis [2]. Cap. XCIX.

905. Anno dominice incarnationis DCCCC° V° Ludovicus filius Bosonis, quem supra meminimus, imperatoris nomen sortitus. Berengarium de Ytalia

[1] Spessart, nemus.

[2] Ex Reginone ad an. 905 et seq.

expulit, atque omne illud regnum sue ditioni subegit. Cernens autem nullum sibi resistere aut posse aut audere. ultra quam oportebat de securitate presumens, ea que pacis et quietis sunt, cepit cogitare. Absoluto itaque exercitu, cum perpaucis Veronam ingressus est, adhortante Adalhardo, prefate urbis episcopo. Cives autem hoc Berengario summa cum festinatione notum fecerunt, qui eo tempore in Baioaria exulabat. Ille, nil moratus, contractis copiis Veronam pervenit, atque improvidum virum dolo cepit, et captivum luminibus privavit. Siquidem cives, qui partibus ejus favebant, portas civitatis ei aperientes, eum nocturno tempore intra muros receperunt, et sic insperate et absque premeditatione Ludovicus non solum regno, sed etiam oculis privatus est. Tandem itaque Berengarius regnum Ytalie multis cedibus cruentatum, infaustis infortunatisque preliis diu quesitum, cum hujuscemodi triumpho optinuit. Eodem anno, in mense mayo, cometes stella apparuit, et in mense augusto hec mutatio regni facta est.

Anno ut supra Conrardus comes Conrardum filium suum misit cum armatorum non modica manu, ut irruerent super Gerhardum et fratrem ejus Matfridum, eo quod honores suos et Gebehardi fratris ejus, videlicet possessionem sancti Maximini et sancte Marie ad Horrea, violenter invasissent: quibus exercitus ex regno Lotharii sociatus est. Pervenerunt autem usque in pagum Blesiacum [1], rapinis et incendiis hereditatem et possessionem supradictorum fratrum ac satellitum eorum depopulantes. Porro Gerhardus et Matfridus a castro, in quo se munierant, legationem mittentes, pacem petierunt. Qua concessa, datis ex utraque parte sacramentis, usque in octavis Pasche exercitus ad propria discessit. Dum hec in regno Lotharii aguntur, Conrardus senior in Hessia, in loco qui dicitur Friteslar [2], cum multa turba peditum et equitum residebat, crebras incursiones Adalberti ducis Babenbergensis suspectas habens: frater vero ejus Gebehardus in Wetereiba [3], cum omnibus, quos sibi associare poterat, ejusdem Adalberti repentinam prestolabatur eruptionem. Nec eos fefellit per omnia rerum eventus. Siquidem Adalbertus vires adversariorum extenuatas sentiens, eo quod in tribus partibus essent divisi, oportunum et diu optatum tempus advenisse gaudens, congregatis sociis mox arma corripit, et primo quidem simulat

[1] Cujus caput *Bliescastel.*

[2] Seu *Friedeslar.*

[3] *Wetterau.*

se contra Gebehardum copias transferre velle, ut et illum bello perterreret, et fratrem securiorem redderet; deinde, quanta potuit celeritate, aciem adversus Conrardum dirigit; quod cum Conrardus sero cognovisset, divisis sociis in tribus turmis, ei incunctanter occurrit, et commissa pugna due turme, una peditum et altera Saxonum, terga statim vertunt. Quos cum Conrardus clamore ingenti frustra hortaretur, ut nullatenus hostibus cederent, sed pro conjugum ac liberorum salute et defensione patrie totis viribus decertarent, ipse cum tercia turma, animatis sociis, super irruit, sed mox in ipso primo impetu, multis vulneribus confossus, extinctus est. Adalbertus victoria potitus adversarios cum sociis fugientes insecutus est, et innumeram multitudinem, maxime peditum, gladio prostravit. Tribus itaque diebus continuis totam illam regionem perlustrans, cedibus atque rapinis cuncta demolitus est. Hiis patratis, oneratis sociis spoliis ac ingenti preda, ad Babenberch castrum reversus est. Peracta est autem hec cedes tertio kalendas martii. Venientes filii cum matre levaverunt corpus Conrardi, et sepeliverunt in castello quod Wileneburch [1] vocatur.

Eodem anno, circa julium mensem, Ludovicus rex, filius Arnulphi, conventum generalem celebravit apud Triburias villa regia, ubi adesse mandavit sepedictum Adalbertum ducem, ut in presencia optimatum regni pro se rationem redderet, et pacis condicionem, quam hactenus exosam habuerat, tandem aliquando, deposita crudelitatis tyrannide, susciperet, et a rapinis et cedibus ac incendiis saltem vel sero quiesceret: sed hiis salutaribus monitis nequaquam assensum prebuit. Cernens itaque rex obduratum ejus animum et incepta rebellionis malicia obstinatum, collecto undique exercitu eum in castro, quod Terassa [2] dicitur, obsidione cinxit. Interea Egino, qui ejus individuus comes in omni familiaritate extiterat, ab ejus societate defecit, et cum omnibus suis ad regis castra transiit. Protracta ergo paulo prolixius obsidione, fractus animo Adalbertus dux ad callida argumenta convertitur, et omni ingenio excogitari cepit, qua arte obsidio solveretur, ut exercitu ad propria remeante, optata libertate potitus, ipse cum sibi faventibus dolos, quos in pectore volvebat, longe lateque effundere posset. Portis itaque apertis a munitione exiens cum perpaucis ultro se obtulit supplex, veniam de commissis exposcit, emendationem promittit. Sed cum

[1] *Weilburg.*

[2] Castrum illud, quod postea monasterium factum est, anno 903 eo jam nomine vocatur in regio diplomate pro ecclesia Wirzeburgensi.

fraus, que struebatur, suis prodentibus fuisset detecta, custodie mancipatus et in presencia tocius exercitus, manibus vinctus, adductus est; omnibus adjudicantibus, capitalem suscepit sententiam, V° ydus septembris; facultates et possessiones sue in fiscum redacte sunt, et dono regis inter nobiliores quosque distribute. Compositis itaque in orientali Francia rebus, rex Mediomatrico venit, ibique in publico conventu Gerhardum atque Matfridum proscriptione dampnavit. Inde egressus Argentinam civitatem adiit, ibique episcopum ac plebem inter se dissidentes ad concordiam revocavit, et sic, Reno transmisso, recto itinere in Alemaniam perrexit. Per idem tempus Baltrammus, Strasburgensis ecclesie, et Ludelmus, Tullensis ecclesie presules, migraverunt a seculo, quibus successerunt in pontificali cathedra Otbertus in Strasburgensi ecclesia, et Drogo in Tullensi urbe.

Anno DCCCC° IX° Adalbertus, quidam ex primoribus Austrasiorum, per 909.
septennium Ludovico regi, filio Arnulphi, rebellis, dolo Hattonis Maguntini archiepiscopi ad regem deductus, decollatur.

Anno DCCCC° XI° Ludovicus, rex Germanie et Lotharingie, filius impe- 911.
ratoris Arnulphi, moritur in orientali Francia, qui propter tyrannorum in Ytalia insolenciam et multam malorum ingruenciam non meruit imperialem benedictionem. Cui succedens in regno Germanorum Conrardus Alemannus regnavit annis septem, qui et ipse caruit benedictione imperiali. Hic deficit progenies Karoli Magni in regno Germanie.

De regno Conrardi, hujus nominis primi Germanorum regis.
Cap. C.

Anno DCCCC° XIII° Conrardus Alemannus, filius Conrardi comitis, 913.
quem Adalbertus dux Babenbergensis occidit, ex genere Francorum orientalium oriundus, vir strenuus bellorumque exercicio doctus, electione omnium regnum accepit, et septem annis regnavit. Item aliqui dicunt hunc Conrardum etiam fuisse de progenie Karoli Magni, scilicet filium Conrardi, fratris Ludovici regis. Contra istum Conrardum regem nobiliores et potentiores regni principes rebellionem meditati sunt, anno regni ejus secundo : scilicet Arnoldus de Bavaria, Burchardus de Suevia, Evehardus, comes potentissimus in Francia, Giselbertus, dux in Lotharingia, et horum omnium

excellencior Heinricus, dux Saxonum et Thuringorum; quos ille tam sapiencie vigore quam fortitudinis robore superavit, et ad suam gratiam et fidelitatem reduxit, excepto solo Arnoldo de Bavaria, qui cum uxore et filiis ad Ungaros fugiens usque ad mortem dicti regis Conrardi ibi permansit. Hic rex Conrardus Hattonem archiepiscopum Maguntinum, cujus dolo olim Adalbertus comes Babenbergensis perierat, etiam sollicitat contra Heinricum Saxonum ducem, propter potenciam ipsius sibi suspectam : ad quod cum jam torquem auream archiepiscopus fabricasset, que collo ducis secum communicantis injiceretur, dolo prodito, frustratus est.

915. Anno DCCCC° XV° Karolus rex Francorum regnum Lotharingie recepit. Hic Karolus rex et Balduinus comes Flandrie uxores ducunt filias Eduwardi regis Anglorum : Karolus Odgivam; Balduinus Extrudem. Karolus ex Odgiva genuit Ludovicum regem, Balduinus autem ex Extrude Arnulphum Magnum, comitem Flandrie.

Septimo igitur anno regis Conrardi supradicti, ipse egrotare cepit, sciensque vocationis sue tempus adesse, principes regni, excepto Heinrico Saxonum duce, convocavit, et ita eos confabulavit : « Vocationis mee tempus agnosco et, ut cernitis, presto est; proinde pacem et concordiam vos sectari rogo, ut, me homine exeunte, nulla vos ambitio inflammet : Heinricum, Saxonum Thuringorumque ducem prudentissimum, regem eligite, dominum constituite. Is enim est et sapiencia pollens et juste severitatis censura habundans. » Quibus in hec verba consentientibus, vocans fratrem suum Everhardum alloquitur illum : « Sentio, frater, me istam vitam diucius tenere non posse, ideo considerationem tui habeto, et quod ad te maxime respicitur, omnium Francorum regno consulto meo fratris tui intende consilio. Sunt nobis copie congregande atque ducendi exercitus, sunt urbes et arma cum regalibus insigniis, et omne decus quod regnum deposcit, preter fortunam et mores : fortuna, frater, cum nobilissimis moribus Heinrico cedit : rerum publicarum summa penes Saxones est. Sumptis igitur hiis signis, lancea et armillis aureis cum clamide et veterum gladio regum ac dyademate, ito ad Heinricum, pacemque facito cum illo, ut eum federatum possis habere in perpetuum. Quid est enim necesse, ut cadat tecum populus Francorum coram eo? Ipse enim vere rex erit et imperator populorum multorum. » Hiis dictis, frater lacrimatus se consentire promittit. Posthec rex moritur, vir fortis et potens, domi miliciaque optimus, largitate se-

renus et omnium virtutum insigniis clarus; sepeliturque in civitate sua Wilmaburch, cum merore at lacrimis Francorum omnium. Ut rex imperavit, Everhardus Heinricum adiit, seque cum omnibus thesauris illi tradens, pacem cum eo fecit, amicitiamque ejus promeruit, quam fideliter familiariterque usque in finem obtinuit.

De regno Heinrici, Saxonum Thuringorumque ducis, nominis primi Germanorum regis. Cap. CI.

Anno DCCCC° XX° Heinricus primus, genere Saxo, filius Ottonis ducis, electione omnium principum regnum suscepit, et regnavit annis XVII. Hic, dum legati ad eum missi, ut regnum acciperet, venirent, invenerunt eum ante horreum suum sedentem, et retia, quibus aves caperet, perficientem : unde postea vocatus est Auceps. Licet egregius foret, et licet renueret accipere coronam regni, rex tamen fieri cogitur, et quia juraverat quod nunquam esset rex, neque coronam capiti suo imponeret, fecit penes se semper coronam ferri. Cui cum unctio et dyadema offerretur : « Satis michi est, inquit, ut pre majoribus meis rex dicar et designer, annuente divina pietate: penes meliores vero nobis talia sint, tanto enim honore nos arbitramur indignos. » Placuit iste sermo coram universa multitudine, et hoc ordine rex est appellatus. 920

Anno DCCCC° XXI° Heinricus rex contra Arnoldum ab Ungaris reversum cum exercitu in Bavaria profectus, cum virtute et sapiencia sua ad suam gratiam inflexit, addens ei ordinationem episcoporum tocius Bavarie. Burchardum ducem Swevie, bello deterritum, ad se inflexit. Eodem anno, Stephano episcopo Leodiensi mortuo, Richarius, vir catholicus, a Karolo per auctoritatem pape Rome ordinatur episcopus, repudiato Hilduino, qui, pecunia data duci Giselberto, ambiebat ab eo sibi dari episcopatum. Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingie sanctus Wibertus, qui Gemblacense cenobium fundavit. 921

De Northmannis victis et baptizatis. Cap. CII.

Ira Dei super Francos in misericordiam versa est. Nam Northmanni et Dani, qui Francorum regnum per LX annos et amplius pene ad nichilum

redegerant, per Richardum ducem Burgundie, et Robertum comitem Parisiensem, fratrem Odonis, quondam regis, duobus preliis sunt devicti, auxiliante christianis superna clemencia, intercessione sancte Dei genitricis Marie. Nam in pago Carnotensi bellum fuerat commissum, ut ipsi Northmanni Dei misericordiam implorarent, ut efficerentur christiani. Duo cognati, Rollo et Gello [1], eo tempore duces erant Northmannorum. Consilio igitur accepto, Karolus rex cum optimatibus suis dedit Rolloni Gillam filiam suam, et totam Neustriam, eo pacto ut baptizaretur, quod ei concessit. Baptizavit autem eum et ceteros Northmannos archiepiscopus Rothomagensis. Suscepit autem Rollonem de fonte Robertus comes Parisiensis, frater Odonis, quondam regis, et nomen ejus ex Rollone vocatus est Robertus.

Robertus primus dux Northmannorum genuit Wilhelmum; et Wilhelmus genuit Richardum; Richardus Richardum secundum; et iste Richardus Richardum tertium et Robertum fratrem ejus, patrem Wilhelmi Nothi, qui interfecit in bello Haroldum regem Anglorum, et pro eo regnavit. Isti sunt duces Normannorum et reges Anglorum, qui ex genere Rollonis Northmanni prodierunt. Gelloni autem, cognato ejus, tradidit Karolus rex montem Blesensem, in quo edificans castrum habitavit, acceptaque uxore nobili genuit Theobaldum Vetulum [2]: Theobaldus genuit Odonem Campanensem ex filia Conrardi imperatoris, qui Campanensis est dictus, eo quod in campo fuerat natus. Odo genuit Odonem; iste Odo genuit Theobaldum et Stephanum; Stephanus autem genuit comitem Theobaldum. Hec est genealogia comitum Blesensium, de progenie Gellonis procedentium. Richardo duce Burgundionum, et Rollone duce Northmannorum, obeuntibus, Robertus comes Parisiensis dolorem, quem conceperat illis viventibus, parere non potuit.

De rebellione Roberti comitis Parisiensis contra regem Karolum. Cap. CIII.

Post mortem autem Richardi Burgundionum, et Rollonis Northmannorum ducum, Robertus, comes Parisiensis predictus, rebellavit contra regem Karolum, et imposuit sibi coronam regni, tertio kalendas julii, per

[1] Alias *Gerlo*. [2] Alias *Vetolensem*.

manum Walteri Senonensis archiepiscopi, et inquietabat regnum. ejusque instinctu omnes pene primores Francie adversabantur Karolo. Karolus autem rex Francorum, cum auxilio Lothariensium juxta urbem Suessionis pugnans contra supradictum Robertum, fratrem Odonis regis, qui contra se regnum Francorum invadebat, eum cum multis peremit. Et accedens regem Heinricum, se et Franciam eidem Heinrico regi submittit, eique in signum sive pignus perpetui federis et amoris mittit manum preciosi martiris Dyonisii Parisiensis, auro gemmisque inclusam. Tandem reges Heinricus et Karolus apud Bonnam convenientes confederantur, et Karolus reddit Heinrico regi regnum Lotharingie, episcopis et comitibus utrimque jurejurando rem confirmantibus. Rodulphus rex Burgundie ab Ytaliensibus ad regnandum invitatur.

Karolo rege a bello Suessonico, in quo Robertum occiderat, victore revertente, occurrit illi Heribertus comes Viromandorum, infidelis et nequissimus, et sub ficte pacis simulatione in castro, quod Perona dicitur, ut hospitandi gratia diverteret, compulit, et sic eum dolo captum retinuit. Habebat enim ille Robertus sororem ipsius Heriberti in conjugio, de qua ortus est Hugo Magnus. Illic Karolus positus Rodulphum, nobilem ducem Burgundionum, quem de sacro fonte susceperat, una cum consilio Hugonis Magni, filii Roberti supradicti, et procerum Francorum in regnum sublimavit. In quadam alia cronica habetur quod post mortem Karoli iste Rodulphus fuit a Francis in regem electus et sublimatus anno Domini DCCCC° XXVII°. Idem autem Karolus rex Simplex ob longam carceris macerationem sub Heriberti custodia, exul et martyr moritur; qui fuit *Moritur Karolus Simplex rex in carcere* sepultus in basilica sancti Fursei confessoris, in eodem castro Perone. Prudens lector attendat procerum Francorum maliciam, prodicionem et ignaviam, qui regem suum et dominum legitimum, ab uno proditore pestifero injuste detentum, liberare minime laboraverunt.

Hii sunt pontifices Romani, qui Karolo Simplice regnante ecclesie prefuerunt : Stephanus, Formosus, Bonifacius, Stephanus, Romanus, Theodorus, Johannes, Benedictus, Leo, Christoforus, Sergius, Anastasius, Lando, Johannes Ravennas episcopus. Imperatores Romani hii fuerunt : Arnulphus, Ludovicus et Ludovicus, Conrardus, Heinricus; et Constantinopolitani : Leo, Constantinus filius ejus, Alexander frater Leonis, Constantinus Romanus. Balduino Flandrensi comite mortuo, successit ei Arnulphus filius ejus.

Formoso papa mortuo, successit Bonifacius; Bonifacio Stephanus. Hic primum a Formoso papa episcopus Anagie ecclesie ordinatus, Formosum papam persequitur, et omnes ordinationes ejus irritas esse decernit, et alia horribilia dictu in eum fecit. Corpus autem ejus a sepulchro in concilio protractum, et papali veste exutum, veste laycali induit, et abscisis duobus digitis dextere manus ejus, in Tyberim precipitari fecit: quod a piscatoribus inventum et in basilica sancti Petri loculo deportatum, quedam sanctorum ymagines adorasse et venerabiliter salutasse vise sunt. Stephano pape successit Romanus: Romano Theodorus. Hic contra Stephanum papam sentiens, reconciliavit ordinatos a Formoso papa, quos Stephanus per vim intus Rome et non foris exordinaverat, nec tamen presumpserat eos iterum consecrare. Hiis reconciliatis, Theodorus papa libellos renunciationis reddidit et igne cremari precepit. Theodoro papa mortuo, successit Johannes; hic ad confirmandam Formosi ordinationem, quem Stephanus deposuerat, synodum LXXIIII episcoporum, presentibus Francorum archiepiscopis et rege, apud Ravennam statuit, et coram ea combusta est sententia, quam Stephanus in dampnationem Formosi fecerat. Johanni pape successit Benedictus; deinde Leo; istum vero post XXX dies ordinationis sue Christoforus, presbyter suus, capiens et in carcerem trudens, latenter ingressus Romam, papatum invasit. Et ideo hec scripsi, ut intelligant legentes, quante sunt in Romana ecclesia facte abusiones.

De regno Rodulphi injuste regnantis. Cap. CIV.

927. Anno DCCCC° XXVII° regnavit in Francia Rodulphus, rex sive dux Burgundie, annis duobus. Hic fuit alienus a genere Karoli Magni; consecravit autem eum Walterus Senonensis archiepiscopus. Hic Rodulphus obiit apud Antisiodorum, anno imperatoris Ottonis primo. Anno vero sequenti corpus ipsius in ecclesia sancte Columbe Senonensis tumulatur. Post mortem autem Karoli Simplicis, nolentibus Lotharingis subesse Heinrico, Francorum sive Germanorum regi, quidam Lotharingus, nomine Christianus, simulata infirmitate, Gislebertum, ducem Lotharingie superioris, ad se dolo evocatum cepit, regique misit, ut per eum Lotharingiam sibi subjiceret. At rex inspecta industria et potencia ducis Gisleberti, filiam suam Gherbergam ei despondet, et eum iterum Lotharigie prefecit.

Anno DCCCC° XXVII° predicto Ludovicus, filius Karoli Simplicis, 927
insidiantes sibi fugiens, per mare transit in Angliam; mater enim ejus. Odgiva nomine, fuerat filia regis Anglorum. Rodulphus rex Burgundie ab Ytaliensibus repudiatur, et Hugo comes Arelatensis in regnum subrogatur.

De regno Ludovici regis, filii Karoli Simplicis. Cap. CV.

Post mortem Rodulphi, regis Burgundionum, Franci mittunt Wilhelmum archiepiscopum Senonensem in Angliam ad Odgivam, quondam reginam Francorum, ut filium suum Ludovicum, qui illuc cum matre confugerat, ad regnum suscipiendum paternum remittat: qui obsidibus datis et adhibitis sacramentis, in Franciam adducitur, et apud urbem Laudunensem unctus et coronatus fuit in regem. Anno DCCCC° XXVIII° Ludovicus 928
in Franciam reversus, et, licet erumpnose, tamen in regno restitutus, regnat annis XXVII.

Heinricus, rex Germanorum et Lotharingie, acquirit lanceam Christi a rege Burgundie. Cap. CVI.

Anno DCCCC° XXIX° lanceam mirandi operis, clavis Jhesu Christi cru- 929
cifixi sanctificatam, que dicitur primi et Magni Constantini imperatoris fuisse, donatam Rodulpho, regi Burgundie et Ytalie, a Sampsone comite, Heinricus, rex Germanorum et Lotharingie, precibus, minis, muneribus, addita etiam parte provincie Svecie, a Rodulpho rege extorquet, et hanc ad insigne et tutamen imperii posteris reliquit.

Anno DCCCC° XXXIV° Rodulphus rex Burgundie moritur. 934

Anno DCCCC° XXXV° Otto filius Heinrici uxorem ducit filiam Eathmundi, 935
regis Anglorum, Leone Romane ecclesie centesimo et vigesimo quarto pontifice presidente. Hujus siquidem Heinrici regis tempore Spitigeneus dux Bohemorum ad fidem convertitur, et licet fuerit neophitus, pre ceteris tamen iste juste ac religiose principatur. Post quem Wenceslaus filius ejus, justicia et sanctitate preclarus, cui frater ejus Boleslaus, piis et sanctis ipsius actibus invidens, inique adversatur, et post, primo anno primi Ottonis, ab

eo occiditur, usurpando principatum. In cujus ulcionem Otto imperator Boleslaum per bellum aggreditur, et per tredecim annos eum impugnans cum magna ruina suorum ipsum superavit, Bohemiam totam devastando.

De sancto Wenceslao. Predictus vero sanctus Wenceslaus, licet esset princeps et dominus, tamen tante humilitatis et devotionis fuit, quod cum uno servo clam de nocte ad silvam propriam ibat, et propriis humeris ligna deferens ante fores viduarum et pauperum clam deponebat. Colligebat etiam spicas de nocte de agro suo, et clam virga excutiens, et manu propria hostias faciens, per ecclesias distribuebat. Hic post certos annos sue passionis Heinrico regi quiescenti per visum apparuit, sibique, quod de suo genere deberet mori, revelavit, precipiens sibi ut in honore ipsius, qui Wenceslaus dicebatur, monasterium construeret. Qui rex a sompno consurgens, stupefactus de visione, cepit de sancto Wenceslao, de quo nunquam audiverat, ab episcopis et aliis, quis esset, perquirere, et certificatus quod fuisset princeps Bohemie et a fratre occisus, cepit ad honoren ipsius nominis in Rincillia Cisterciensis ordinis monasterium magnarum possessionum exstruere, sed, antequam consummasset, a fratre suo, Abel dicto, procurante diabolo, sicut sanctus revelaverat, peremptus est.

De morte Heinrici regis primi. Cap. CVII.

956. Anno DCCCC° XXXVI° rex Heinricus, perdomitis circumquaque gentibus, postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus iter intermisit. Cumque se jam gravari morbo sensisset, convocato omni populo ac precipue principibus, designavit Ottonem filium suum regem, ceteris suis filiis predia cum thesauris distribuens; ipsum vero Ottonem fratribus et omni imperio Francorum prefecit. Testamento itaque legitimo facto et rebus omnibus rite compositis defunctus est, anno regni sui XVII°, etatis vero LX°. Translatum est corpus ejus a filiis suis in civitatem que dicitur Quimtilaburch[1]. Hic in exaltando gentem suam studiosus erat; quia rarus aut nullus nominatorum virorum in omni Saxonia fuit, quem aut preclaro munere aut officio aliquo non promoveret. Erat autem ingenti prudencia

[1] *Quedlinbourg*, monasterium ab Henrico fundatum, cui filiam suam Mathildem primam abbatissam praefecit.

pollens, formam quoque corporis regie dignitati decorem adjiciens; qui, licet in vincendis inimicis fuerit strenuus, tamen pacificus erat; nullam operam dedit, ut effugatis ab Ytalia tyrannis benedictionem imperialem acciperet. Post quem filius Otto ex Mathilde, filia Theodorici ducis Saxonum, imperavit annis XXXVI.

De regno et imperio Ottonis primi. CAP. CVIII.

Anno DCCCC° XXXVII° Otto Magnus et primus, Heinrici regis filius, a 937
principibus Germanie convenientibus Aquisgrani, invocantibus Spiritus Sancti gratiam ad electionem, in regem Romanorum ac futurum imperatorem concorditer eligitur et consecratur. Anno DCCCC° XXXVIII° contra Ottonem imperatorem rebellant Everhardus comes palatinus, dux Bavarie, et Gislebertus dux Lotharingie, qui Gherbergam sororem ejus uxorem habebat. Anno DCCCC° XXXIX° Everhardus et Gislebertus Heinricum, fratrem imperatoris, obsessum capiunt, eumque fallacia sua ab imperatoris fidelitate sejunctum factioni sue applicant, suggerentes ei regnum magis competere sibi in patris regno nato, quam Ottoni ante regnum nato. Otto imperator a Bavaris sibi resistentibus rediens, Everhardum exiliat, iterumque Bavaros omnes sibi subdidit, preter unum filium Arnoldi.

Anno DCCCC° XL° Otto imperator in Lotharingiam usque ad Capremon- 940
tem venit.

Anno DCCCC° XLI° Ludovicus rex Francorum, Lotharingiam invadens, 941
usque ad Alsaciam venit, ductu Everhardi et Gisleberti. Anno DCCCC° XLII° Gislebertus et Everhardus, cum Heinrico fratre imperatoris juxta Renum contra imperatorem bellum parantes, milites imperatoris offendunt, et multi, cum paucis congressione facta, interim imperatore in alio Reni littore ante clavos Domini, lancee sue infixos, in oratione prostrato, terga dederunt, Heinrico in brachio insanabiliter vulnerato.

Orta dissentione inter principes de varietate legis, utrum deberent, avis superstitibus, filii filiorum post patres defunctos hereditare? an, exheredidatis fratruelibus, deberet hereditas ad patruos redire? ex regis Ottonis omniumque principum sentencia cognitio veritatis remissa est gladiatorio judicio, cessitque victoria hiis, qui censebant fratrum filios debere cum patribus hereditare.

943. Anno DCCCC° XLIII° Otto rex obsedit Brisagam, oppidum Alsacie, quod Ludovicus rex per milites Everhardi et Gisleberti tenebat. In qua obsidione, suasu Frederici Maguntini episcopi, qui jam animo ab Ottone defecerat, multi ab ipso rege se averterunt; qua de re omnibus fere territis, solus rex imperterritus manet. Interea fideles regis, Udo videlicet et Conrardus, frater Hermanni Suevorum ducis, Everhardum et Gislebertum, predando regno secure intentos, juxta Renum inopinate aggressi acerrime debellant; Everhardo gladiis perempto, Gisleberto autem Reni undis submerso, vix aliquis fugit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur. Hoc nuncio infideles regi corde franguntur, et Ludovicus ab Alsacia discedit, et rex et fideles ejus cum ipso gratantur. Uxorem Gisleberti Gerbergam, sororem scilicet Ottonis imperatoris, Ludovicus rex duxit uxorem; filiam vero Gisleberti, neptem suam, imperator Bartoldo duci Bavarie despondet. Ducatus ejus Ottoni datur. Anno DCCCC° XLIIII° Otto dux Lothariensium obiit. Conrardus, gener regis, succedit. Anno DCCCC° XLV° Otto imperator totam Lotharingiam sibi subjugavit, resistente sibi solo Metensi episcopo Adelberone, fratre ducis Frederici. Rex Otto Burgundiam sibi subjugavit.

945. Anno DCCCC° XLV° predicto regi Ludovico Hugo comes Parisiensis nimis adversatur. Hic Hugo filius fuit Roberti tyranni, in bello Suessonico perempti a Karolo Simplice rege. Anno DCCCC° XLVI° rex Otto multos contra se bellare molientes capit, aut occidit. Mortuo Bertaldo duce Bavarie, rex Otto fratri suo Heinrico dat ducatum Bavarie, et sic eum reprimit a rebellione. Dux Bavarie Heinricus Aquilejam in Ytalia capit.

De immunitate et advocacia Gemblacensi. Cap. CIX.

947. Anno DCCCC° XLVII° immunitas Gemblacensis ecclesie imperiali confirmatur edicto, et annuli impressione corroboratur. Item hoc anno Otto imperator, cum electione Wiberti fundatoris et Erluini abbatis et fratrum monasterii Gemblacensis, dedit advocaciam ipsius abbacie Lamberto comiti Lovaniensi, viro forti et bellicoso. Acta sunt hec anno incarnationis Domini DCCCC° XLVII°, indictione 2ª, anno imperii sui XII°, sub pontificatu domini Benedicti pape VIIⁱ anno IX°, in oppido Frankenford, mense junio, in martyrio apostolorum Petri et Pauli, prout hec clarius

patent in litteris dicti Ottonis regis, quarum tenor sequitur et est talis[1] :

« In nomine domini Dei et Salvatoris eterni. Otto, divina favente clemencia, rex Lothariensium et Francorum, notum sit presentibus et futuris, quod quidam vir nobilis et dilectus Deo, Wibertus[2] nomine, hiis temporibus construxit monasterium, in honorem sanctorum Petri apostoli et Exuperii martiris gloriosi, in pago Darmiensi[3], in proprietate hereditatis sue, que Gembloues nuncupatur. Qui precavens in futurum, scilicet ne aliqui secularis potencie homines aliqua persuasione vel injusta dampnatione perturbent quietem fratrum Deo famulancium, adiit presenciam nostram cum venerabili Erluino[4], ejusdem loci abbate, et locum ipsum cum omnibus ad eum pertinentibus nostre defensioni atque tutele commisit. Quod nos gratanter accepimus, et nostra imperiali auctoritate decrevimus ac sigilli nostri impressione roboravimus, ut locus ille imperpetuum, cum omnibus, que ad ipsum pertinent, ab omni secularium, tam majorum quam minorum, dominio esset immunis, sub solo tamen regie defensionis munimine constitutus[5]. Verum quia fratribus ejusdem loci, si quando incumberet aliqua necessitas, grave nimis esset, propter longinquitatem terrarum, presenciam regis semper adire, cum electione ipsius domini Wiberti et abbatis et fratrum, dedimus advocaciam ipsius abbacie, id est de Gembloues, Lamberto comiti Lovaniensi, viro forti et bellicoso, qui vice nostra contra omnium inquietationem adjutor eorum esset[6] ac defensor. Sic autem dedimus ei advocaciam istam, ut nunquam ipse comes vel successores sui in abbacia vel in villis, ad eam pertinentibus, aliquid accipere aut per potestatem exigere debeant, preter jus et beneficium sibi constitutum : advocati enim debent esse non predatores, sed conservatores[7] ecclesiarum. Illud etiam statuimus, ut comes Lovaniensis nunquam in advocacia Gemblacensi preter unum

[1] Hoc diploma an authenticum sit, eique legitima anni nota adscripta, multis disputari potest. Confer *Recherches sur l'histoire des comtes de Louvain et sur leurs sépultures à Nivelles*, p. 12 et 13. Exstat apud Miræum (*Dipl. Belg.*, I, 139) aliud imperatoris Ottonis diploma, editum anno 948, quo monasterinm Gemblacense, post annum 935 (ut Mabillonius docet) a Guiberto nobili viro, ejusque avia Gisla constructum ac dotatum, confirmatur. Confer Sigebertum ad an. 948.

[2] Seu *Guibertus*. Vide *Acta Sanctorum maii*, t. V, p. 259, et Butler, *Vies des Saints*, t. III, Brux., 1849, p. 209. Obiit, ut pluribus placet, anno 962.

[3] Seu *Darnuensi*.

[4] Erluinus, ab ipso S. Guiberto abbas electus, vixisse dicitur usque ad annum 986.

[5] Huc usque dicta referenda sunt ad illud Ottonis diploma anno 948 datum, de quo in nota prima.

[6] Alias *sit*.

[7] Apud Miræum (*Dipl. Belg.*, I, 42) legitur *defensores*.

subadvocatum habeat, id est, ut donum hujus advocacie a rege, qui major advocatus est, plus quam ad terciam manum nunquam deveniat. Si autem, quod nolumus, hanc nostram constitutionem contempserit, et advocato illi, qui sub se est, ex ipsa advocacia aliquid usurpare vel militibus suis beneficiare consenserit, terram suam in camera regis sibi abjudicatam sciat, et quidquid beneficii pro ipsa advocacia tenebat, de manu regis se amissurum noverit. Porro subadvocatus in villis, ad abbaciam pertinentibus, nichil aliud juris habebit, nisi per singulos annos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, avene sextarium unum. Qui etsi aliquando habuerit bellum contra aliquem de paribus suis, quod bellum nonnisi ad ipsum pertineat, de suo procuret et provideat, que necessaria sunt in usibus belli ad se pertinentis. Neque enim propter hoc in abbacia, vel in villis ad eam pertinentibus, aut obsonia aut servicia aliqua exigere ei licebit. Si vero bellum aliud fuerit, quod idem advocatus administret, quod scilicet bellum vel ad regem vel ad comitem Lovaniensem pertineat, tunc siquidem licebit ei, sed non sine consensu abbatis, ut a mansionariis, qui per villas abbacie commorantur, aliquid subsidii accipiat, sed tamen ita mensurate, ut nunquam inde querela ad comitem, vel a comite ad regias aures perveniat. Hoc nostrum imperiale constitutum de advocacia Gemblacensis ecclesie, que regie defensioni subjecta est, ut per succedencia tempora fixum maneat et inconvulsum, palatinorum principum et multorum nobilium judicio in presencia nostra fecimus confirmari, annuli nostri impressione jussimus sigillari, ac manu nostra subtersignavimus. Et sicut nos Gemblacensem ecclesiam nostra clemencia tenemus et fovemus, sic etiam volumus, ut omnes successores nostri in perpetuum tueantur eam et foveant; quatenus et nos et ipsi orationibus eorum possimus semper adjuvari. Acta sunt hec anno incarnationis Domini DCCCC° XLVII°, indictione secunda[1], anno imperii nostri XII°, sub pontificatu domini Benedicti pape, qui rogatus a nobis huic nostre auctoritati suam quoque auctoritatem superaddidit, interdicens, sub indissolubili anathematis vinculo, ne unquam hujus constitutionis charta violetur vel infringatur ab aliquo. Actum in opido Franconeford, mense junio, in martirio apostolorum Petri et Pauli feliciter[2]. — Datum per copiam, visis et diligenter inspectis bullis seu

[1] Apud Miræum : *indictione duodecima*

[2] Desiderantur apud Miræum ea quæ sequuntur, et a Dyntero, ut de authentica diplomatis transcriptione constaret, addita sunt.

chartis originalibus, sanis et integris signis, sigillis, scriptura et singulis circumstanciis in ipsis repertis, absque aliqua suspectione seu vicio, etc. Presentibus Wilhelmo de Berthaincamp, Nychasio de Grimborch, et pluribus aliis testibus ad premissorum perlectionem, visitationem et copiationem, una cum me Petro Banniti, publico notario specialiter vocato et rogato. Petr. Banniti [1]. »

Capcio Ludovici regis, et qualiter ab Ottone liberatur. Cap. CX.

Anno DCCCC° XLVIII° Ludovicus rex Francorum, a ducibus suis circumventus, a Northmannis capitur, et consilio Hugonis Laudunum missus 948.

[1] In MS. cod. Miræi hoc insuper pontificium diploma, chronologicis etiam nævis scatens, legitur de immunitate ecclesiæ Gemblacensis :

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Erluino religioso abbati generali monasterii S. Salvatoris domini nostri Jesu Christi, et S. Petri, noviter constituti, suisque successoribus in perpetuum.

» Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro diversis Dei ecclesiis et piis (*locis*) invigilandi, ne aliqua necessitate jacturam sustineant, sed magis propriae utilitatis stipendia consequantur, ideo convenit nos tota pastoralis mentis integritate eorumdem venerabilium locorum maxime integritatem et stabilitatem procurare, et sedulo eorum utilitatibus subsidia sic transferre, ut Deo nostro omnipotenti id, quod pro sancti nominis ejus honore, etiam ad laudem atque gloriam ejus divinae majestatis, venerabilibus nos certum est contulisse locis, sit acceptabile; nobisque ab ejus locupletissima munificientia digna hujusmodi pii operis in sidereis conferatur arcibus remuneratio.

» Igitur quod postulastis a nobis, quatenus pro Dei omnipotentis amore, ac domini Ottonis praecellentissimi imperatoris, nostrique dilecti filii, concederemus atque confirmaremus vobis praedictum monasterium, in honorem S. Salvatoris ac S. Petri constructum, cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus, quae sub eodem monasterio adjacere ac pertinere videntur, tam mansis quam castris, villis atque censalibus, tam quae presentes sunt, tam quae etiam usque in finem esse debebunt, positae in loco qui vocatur Gemblacus, concedimus atque confirmamus, apostolica auctoritate, ut de alio monasterio abbas ibi non constituatur; sed ipsi servi Dei, secundum regulam S. Benedicti viventes, ex sua propria congregatione potestatem eligendi abbatem habeant; abbas privilegiis apostololicae sedis infusis decoretur, ut sub jurisdictione nostrae sanctae, cui Deo auctore servimus, ecclesiae constitutus, nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Et ideo cujuslibet ecclesiae episcopum in praefato monasterio ditionis quamlibet auctoritatem habere prohibemus, nisi tantum benedicendi habeat licentiam. Statuentes, apostolica censura atque auctoritate B. Petri apostolorum principis, sub divini judicii obtestatione ac validis et atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus umquam nostrorum successorum pontificum, vel alia parva vel magna persona, aliquid de rebus vel possessionibus, ad idem monasterium pertinentibus, auferre vel alienare praesumat. Si quis autem, quod non credimus, nefario ausu parva magnave persona contra hoc nostrum apostolicum privilegium (*illud mo*

publice custodie traditur. Karlomannus vero, major filius ejus, a Northmannis abductus, Rothomagi moritur.

949. Anno DCCCC° XLIX° rex Otto cum triginta duabus legionibus Franciam ad liberandum Ludovicum aggreditur; Ludovicus ejus metu a custodia relaxatur. Rex Otto Laudunum capit, Hugonem intra Parisius concludit; Remos capit, Hugonis nepote, qui episcopatum usurpaverat, expulso, legitimum episcopum restituit; usque Rothomagum potenter accedit, et, castellis et urbibus, quas ceperat, Ludovico redditis, in Saxoniam redit. Posthec Ludovicus rex moritur, sepultusque est Remis, in basilica sancti Remigii. Hii fuerunt Romani pontifices qui eo regnante Romane ecclesie prefuerunt : Johannes, Leo, Stephanus, Nycholaus, Marinus, Agapitus et Benedictus. Imperatores vero Romani : Heinricus et Otto. Imperatores Greci : Stephanus et Constantinus.

Rege Ottone secundam expeditionem in Franciam parante, Hugo, virtutem ejus non ferens, ei juxta fluvium Charum occurrit, et pacto pacis secundum nutum regis facto, manus ei dedit, et duxit sororem ejus Hadewigem.

951. Anno DCCCC° LI° rex Otto filium suum Ludolphum, natum ex filia regis Anglorum, testamento regem post se designat. Ludolphus filius imperatoris, instinctu Conrardi ducis Lotharingie, cum eo contra patrem suum rebellavit, Reinsborch capit. Anno DCCCC° LIII° bellum fuit super

nasterium) regere tentaverit, sciat se anathematis vinculo esse inodatum ac a regno Dei alienatum, et cum omnibus impiis aeterno incendii supplicio condemnatum; at vero, qui observator exstiterit praecepti, gratiam et misericordiam, vitamque aeternam a misericordissimo domino Deo multipliciter consequetur.

» Scriptum per manum Bonifacii, notarii regionarii ac secretarii Sanctae Romanae Ecclesiae, in mense martio, indictione undecima. Bene valete. Datum VIII kalend. aprilis, per manus Stephani episcopi et bibliothecarii sanctae sedis apostolicae, anno pontificatus domini nostri Benedicti septimi sanctissimi papae nono, imperatore domino nostro Ottone, a Deo coronato, magno et pacifico, anno decimo sexto, in mense supra scripto ac indictione undecima. »

Ad calcem additur attestatio notarii, qui ex archivio Gemblacensi ad preces Dynteri diploma descripsit, scilicet : *Datum per copiam, collatione facta diligenter ad originale. Petr. Banniti.*

Utrumque diploma, et imperatoris et pontificis, a Dyntero prolatum, amanuensium incuria adeo vitiatum est, ut de eorum authentia non leviter dubitari possit. Quo autem pacto res omnis conciliari fortasse queat, hoc loco longum esset enucleare. Id unum addam, Sigebertum, alio errore lapsum, immunitatem monasterii Gemblacensis referre sub anno 954. Dicit enim hoc anno : *Immunitas nostrae Gemmelacensis scilicet ecclesiae etiam apostolica auctoritate a Benedicto papa corroboratur, anno septimo pontificii ejus.* In vita S. Guiberti, ab ipso Sigeberto conscripta, utrumque diploma memoratur. Vide *Acta Sanctorum maii* t. V, p. 263.

Mosam inter Conrardum ducem Lotharingie et Raginerum, Hannoniensium comitem. Mortuo Wicfrido Coloniensi archiepiscopo, episcopatum suscepit vir gloriosus Bruno, frater Ottonis imperatoris.

Anno DCCCC° LIIII° rex Otto uxorem secundam ducit relictam Ludovici[1] 954.
Ytalorum regis, et per eam Papiam accepit, ubi festum Natalis Domini tunc celebravit; accepit etiam cum ipsa Marchiam Trevisinam, Veronensium et Aquileyanam.

Anno DCCCC° LV° Ludolpho ad gratiam patris sui reducto, Conrardus 955.
dux Lotharingie, Dei et imperatoris transfuga, ad Ungaros se conferens, eos in Lotharingiam usque ad Carbonariam silvam perduxit.

De regno Lotharii, filii Ludovici regis[2]. Cap. CXI.

Anno DCCCC° LVI°. Ludovico rege Francorum mortuo, Lotharius, 956.
filius ejus ex Gerberga sorore imperatoris, regnavit annis XXXI, et cepit regnare anno XVIII° Ottonis. Mortuo Ludovico rege, cum Lotharius filius ejus in regnum fuisset sublimatus et consecratus ab episcopo Remensi, constituit Hugonem Magnum ducem Francorum, qui ducatum pauco tempore tenens mortuus est et sepultus in ecclesia sancti Dyonisii, cui successerunt tres filii ejus, scilicet Hugo, Otto et Heinricus. Hugo, qui dicitur Capucius, quem vulgare appellat Capet, factus est dux Francorum, et Otto frater ejus, dux Burgundie. Mortuo igitur Ottone duce Burgundie, successit ei Heinricus frater ejus in ducatum Burgundionum. Frederico Maguntinensi episcopo mortuo, Wilhelmus filius imperatoris substituitur; Racherio ab episcopatu Leodiensi ejecto, Baldricus, annuente avunculo suo Raginero, comite Hannonie, episcopus substituitur.

Anno DCCCC° LVII° Ludolphus filius imperatoris in Ytalia moritur. 957.
Conrardus dux Lotharingie perimitur in bello ab imperatore Ottone. Bruno archiepiscopus Coloniensis, frater Ottonis imperatoris, ducatum Lothariensium post Conrardum adeptus, cenobium sancti Panthaleonis Colonie construxit. Heinricus dux Bavarie, frater regis Ottonis, moritur; filius ejus Heinricus ei succedit.

[1] Lege : relictam *Lotharii* Italorum regis, quae Adelaidis vocabatur, et anno 999 obiit.

[2] Cfr. Jac. de Guyse, lib. XIV, cap. 30.

959. Anno DCCCCº LIXº Bruno, archiepiscopus Coloniensis et dux Lotharingie, secundas partes in regno fratris sui potenter et industriose administrans, Raginerum Montensem comitem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valencianas evocatum cepit, et irrevocabiliter exilio dampnavit, ac Raginerum et Lambertum filios ejus, pro eo quod regnum bellis inquietabant, vel, quod verius fuisse dicitur, pro eo quod mortuo Gisleberto duce, consanguineo suo, ea, que Gislebertus uxori sue Gerberge, sorori imperatoris, in dotem contulerat, violenter ei auferre presumebant, bonis Ragineri ad fiscum publicatis. Filii ejus, Raginerus et Lambertus, ad Lotharium Francorum regem confugerunt [1]. Suprascriptus vero Otto cum esset potens in Saxonia, et multis annis regnasset per Alemanniam, quidam de cardinalibus et de Romanis, propter malum statum Johannis pape XIIi qui erat venator et totus lubricus, adeo quod publice etiam feminas tenebat, scripserunt atque miserunt occulte ad ipsum, ut scandalo ecclesie et urbis compaciens, necessitatibus ipsorum providendo et a tyrannis Ytalicis liberando, sine mora Romam properaret, et etiam gubernacula imperii susciperet. Quapropter idem Otto anno DCCCCº LXIº, ut necessitatibus ecclesie et urbis provideret, ac ipsos ac etiam episcopos Ytalie liberaret de manibus tyrannorum, Berengarii scilicet et Adelberti, filium suum Ottonem, puerum septennem, Aquisgrani die sancto Penthecostes in regem inungi fecit, eoque commendato Brunoni Coloniensi et Wilhelmo Maguntinensi archiepiscopis, ad Ytaliam tendit.

De benedictione et coronatione Ottonis primi. Cap. CXII.

963. Anno DCCCCº LXIIIº Otto imperator, pro corona imperii Romam tendendo, cum in Longobardiam venisset, Berengarium, ecclesie et urbis Romane oppressorem et regni Longobardorum invasorem, una cum uxore sua Willa et filio Adelberto captivando, in castro sive oppido suo Babenbergensi, in Bavaria situato, in exilium misit, ubi ipse Berengarius mortuus est et sepultus. Et abhinc per Thusciam Romam veniens, a Johanne papa XII et clero et populo Romano honorifice suscipitur, et ab eodem papa impe-

[1] Vid. *Recherches sur l'histoire des comtes de Louvain et sur leurs sépultures à Nivelles*, p. 19.

riali unctione et benedictione sublimatus imperator et Augustus appellatus est. Tunc multa donaria et privilegia dedit ecclesiis. Hic enim Otto, qui Theutonicus fuit, exempto per eum imperio ab Ytalicis, soli Theutonici imperaverunt Romanis usque ad presens tempus. Quique pervagata Ytalia et, tyrannis majestate nominis sui perterritis, bene pacata, cum uxore sua Longobarda in Saxoniam rediit, de qua filium genuit, tam regni quam sui ipsius successorem, cui filiam imperatoris Constantinopolitani, de Romani imperii sanguine procreatam, in conjugem dedit. Istius Ottonis tempore fuit scisma in ecclesia inter Johannem, Leonem et Benedictum.

Anno DCCCC° LXV° Otto imperator festum Penthecostes Aquisgrani 965
celebravit, concurrentibus ibi a Francia sororibus suis, scilicet Gerberga regina Francorum, matre Lotharii regis et Karoli ducis, et Hadewide uxore Hugonis Francorum ducis, matre Hugonis dicti Capet, comitis Parisiorum, qui postea regnavit in Francia, ubi omnis illa regalis prosapia tanto ad invicem congratulationis jubilo est affecta, ut in omni vita eorum vix aliquid gaudii huic letitie potuit equiparari. Per idem tempus Otto imperator donavit sorori sue Gerberge, regine Francorum, nonnulla bona in terris dominii de Valkenborch et comitatus Mosange sive Mose situata, sibi confiscata, de quibus ipsa regina (cum consensu imperatoris) aliquas partes tradidit ecclesie sancti Remigii Remensis, pro fundatione prepositure ecclesie Mersinensis, que vulgariter Mersen dicitur, prout infra patebit. Subsequenter vero propter bonum statum ecclesie Romane memoratus Otto pluries Romam veniens, et iterum ad partes suas recedens, ibidem piis operibus intendendo, in allodio suo apud Meydeburch ecclesiam mire pulchritudinis ad honorem sancti Mauricii fabricavit, et etiam maximis possessionibus ampliavit. Deinde Otto Ytaliam repetit. Bruno frater imperatoris, archiepiscopus Coloniensis et dux Lotharingie, in Franciam pergens ad pacificandos nepotes suos, Lotharium regem et filios Hugonis ducis, ubi Compendium venit, febre correptus Remis redit: ibi quidquid habuit in re mancipi, per testamentum ecclesiis delegato, mortuus est. Corpus ejus a Theoderico Metensi episcopo Coloniam refertur. Wilhelmus filius imperatoris, archiepiscopus Maguntinensis, moritur.

Anno DCCCC° LXVIII° Otto junior a patre suo evocatus Romam, ab apos- 968
tolico[1] in imperatorem benedicitur. In cronica fratris Martini[2] habetur, quod

[1] Alias: *a Benedicto papa.*

[2] Scilicet Martini Poloni, archiepiscopi Consentini.

hic Otto junior fuit a papa Benedicto VII° in imperatorem coronatus. Eodem vero anno DCCCC° LXVIII°, tercio ydus februarii, suprascripta domina Gerberga, Francorum regina, cum consilio et assensu fratris sui Ottonis imperatoris, tradidit in honorem sancti Remigii, Francorum apostoli, loco sive ecclesie ejusdem nonnulla bona situata in comitatu Mosange sive Mose - pro fundatione prepositure ecclesie Mersinensis, que vulgariter Mersen dicitur, prout clare patet in litteris ejusdem regine desuper confectis, quarum tenoris copia sequitur et est talis :

Tenor littere institutionis et fundationis prepositure de Mersen[1] : « In nomine sancte et individue Trinitatis. Gerberga, divina dispensante clemencia, humilis Francorum regina. Cum omnis sancta ecclesia, ab exordio christiane religionis, rite dispositis quibusque ecclesiasticis utilitatibus, donis sit maxime ditata regalibus, dignum profecto ducimus, si, morem antiquorum sequentes, ex rebus nostris eandem honorantes sublimamus, sperantes a Domino bonis eternalibus remunerari, cujus pietatis consilio actus nostros optamus in salutem dirigi. Quocirca fidelium presencium universitati, simul et secuturorum notum sit posteritati, quoniam locum sancti Remigii, magnifici doctoris, Francorum apostoli, gaudentes rerum incrementis feliciter prosperari, ac multiplici bonorum copia fortunatum haberi, solempniter delegantes per manus fidelis advocati nostri, comitis Arnulphi, legitima vestitura, cum consilio, pietate quoque ac benigno consensu domini Ottonis imperatoris Augusti, tradimus sancto Remigio quoddam juris nostri predium in allodio, in honore sancti Petri consecratum, vocabulo Marsnam, in comitatu Masaugo, cum omnibus ad ipsum predium pertinentibus, id est Clumam et Litam cum appendiciis suis, Hertram et Angleduram cum appendiciis suis, superadditis etiam rebus aliis, quecunque ex ipso fisco in jus dominicum jam olim devenerant : astantibus etiam, ymmo collaudantibus et confirmantibus Gerardo Tullensi episcopo, atque comitibus Emmone et Ansfrido, nonnullis quoque aliis viris[2]. Fidentes utique tanti patris et patroni nostri plurimum meritis adjuvari, totumque hoc agentes pro salute videlicet nostra et remedio senioris viri[3] nostri pie

[1] Hoc diploma, quo Gerberga allodium Marsanense prope Trajectum ad Mosam donat monasterio S. Remigii Remensis, exstat notis illustratum apud Miræum, *Dipl. belg.*, t. I, p. 48.

[2] Alias : *nonnullisque aliis nobilibus suis.*

[3] Vox *viri* deest apud Miræum.

memorie Gisleberti, suique parentum, patris scilicet et matris Rageneri et Albrade, ea scilicet ratione, ut idem locus sancti Remigii, qui semper ab antiquo regiis donationibus, utpote caput Francie, fuerat honoratus, nostris etiam donis regalibus ditescat et polleat uberius, ipsumque allodium, ut sui proprium jure legitimo firmiter tenendo in perpetuum possideat, quatenus memoriam nostri ac prefati viri senioris nostri Gisleberti apud se jugiter fixam idem locus habeat, suisque orationibus perpetuis et sacrificiorum muneribus et votis in conspectu Dei ejusdem memoriam piissime recolat. Ipsum autem allodium sub omnium rerum integritate legitima estimatione[1] constat, habens mansos LXXXII, cum terris videlicet cultis et incultis, silvis, pratis, vineis et pascuis, campis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, exitibus et regressibus. Ceterum, si quis forte olim temptaverit hanc traditionem regiam inquietare, eique nephas aliquid ex adverso irrogare, penas temeritati sue obnoxias, ut reus majestatis, exsolvat, ymmo etiam Deo et sancto Remigio cum omni emendacione juxta legis decretum satisfaciat; ut sic hec regalis donatio nostra inviolabilis semper permaneat et inconcussa. Actum 5° ydus[2] februarii, anno incarnationis dominice DCCCC° LXVIII°, in prefato comitatu, in villa que dicitur Harta[3], annum XXXII^um regnante domino Ottone, inclito imperatore ac Cesare Augusto, filio quoque ejus equivoco regnante annum VII^um. Sigillum domine Gerberge, gloriose regine, que regie auctoritatis manu hoc scriptum, quod fieri jussit, dignanter corroboravit et aliis confirmare mandavit. Sigillum juvenis magne indolis Karoli. Sigillum Arnulphi comitis, qui vice domine regine hanc traditionem fecit. Sigillum Emmonis comitis. Sigillum Ansfridi comitis. S. Huberti. Item S. Huberti. S. Gotramni. S. Franconis. S. Gerardi. S. Eurinii. S. Adelstamni. S. Hunconis. S. Godelini. S. Ysaac. S. Theoderici. S. Onulphi. S. Wiberti. S. Roclandi. S. Ragineri. Data pridie ydus februarii, manu domine regine, et suscepta a domino abbate Hugone, qui ibi affuit cum suo avocato Emmone, predicto comite. »

Hic[4] quodam tempore in festo Pasche habuit magnam curiam, tempore sue coronationis, et dum cibaria essent preparata et mense posite, puer

[1] *Exterminatione*, apud Miræum.
[2] *Actum IV idus*, ibid.
[3] Alias *Hacta* seu *Sarta*. Forte legendum *Hertra*, quae vox supra occurrit, nunc *Ertrem* seu *Erthen* prope Leodium, ut ait Miræus.
[4] scilicet *Otto imperator*.

Otto, filius predicti Ottonis, esuriens, cor puerile gerens, dum fercula videret prompta, accepit et comedit parumper. Hoc videns dapifer iratus non timuit puerum ferire grandi fuste; ita quod puer vulneratus cecidit ad terram. Hoc videns miles quidam, qui fuit magister pueri, indignans vindicavit puerum, et dapiferum interfecit. Otto audiens hoc, jubet militis caput amputari, miles precatur veniam, et ut ei Otto imperator parcat propter paschale festum, et, quia hoc amore filii fecerat, ut misereatur ei. Imperator militis non vult misereri. Hoc videns miles, quod veniam assequi non poterat, arripuit imperatorem per caput, volens ipsum strangulare, et extraxit crines multos a capite et barba ejus, et maxime cum pugnis et pedibus cedit, et unguibus infixis in guttur ejus ad terram prostravit, et angit eum sub loculo scampni, et, nisi circumstantes ei cito accurrissent, miles imperatorem occidisset. Otto levatus a terra stupidus barba caruit et pilis, guttur excoriatum dolet, et caput crinibus denudatum fuit. Turba dolens stetit ante fores, credebat videre cruciari militem propter hoc enorme factum. Otto ad se reversus, cogitavit intra se, quid istud esse possit, et jussit, quod miles non occideretur. Miles et puer steterunt ante imperatorem; imperator interrogavit militem dicens : « Dic michi, miles, unde tibi venit audacia ponendi manus tuas in imperatorem? nescis enim tu, quod ex lege meruisti mortem? Sed vere nunc scio, quod manus tua non me tetigit, sed dextera Dei me flagellavit, et merito, quod Pascha Domini est, et non curavi facere misericordiam. » Imperator indulsit militi iram suam, et fecit eum abire, ne amplius eum videret, ut non possit recordari militem videndo. Unde accidit postea, quod Otto imperator obsedit unum castrum in estate, et illi qui in castro obsessi fuerunt, proponebant in meridie, quum exercitus dormiendo quiesceret, de castro occulte exire, et imperatorem occidere in tentorio suo. Tunc miles predictus, qui imperatorem verberaverat, in meridie sedebat nudus, in lavachro se balneans : vidit hostes de castro exeuntes, volentes imperatorem occidere, ut predictum est; saliit nudus de lavachro, et arripiens gladium et clipeum insurrexit in hostes et clamans eos debellavit. Hoc audiens exercitus convolat ad arma, et succurrens nudo militi retrusit hostes in castrum. Imperator videns precedere nudum fortes armatos et viriliter pugnare, miratur multum et interrogat, quid hoc sit, et quis ille nudus, et qua de causa nudus ita pugnet. Tunc dictum fuit imperatori, quod nudus ille sit ipse miles, qui eum

quondam verberaverat, et quod ipse miles in lavachro se balnearet, et vidisset hostes de castro exire, volentes occidere eum, unde miles, ex angustia cordis obliviscens vestes suas, nudus prosiliit ad pugnam. Hoc audiens precepit militem ad se venire, et amplexatus est eum, et omnia ei forefacta indulsit, et eum diviciis et honore ditavit.

Memoratus Otto imperator, post depositionem Johannis XII, propter ipsius demerita et infamiam in presencia sua factam, et Leone papa octavo a clero urbis creato, postquam Romani eodem imperatore absente tercium papam, videlicet Benedictum quintum, creassent, Romam veniens cum magno exercitu eam obsedit, quousque Benedictum, intrusum papam, sibi presentaverunt. Qui, Leone papa reducto ad sedem suam, pacificatis omnibus, rediit in Saxoniam, ducens secum Benedictum papam, qui ibidem in exilio obiit, et sepultus est. Hic Otto imperator multitudinem paganorum ad fidem Christi convertit, et deinde infirmatus, expetito et accepto dominico *Mors Ottonis primi imperatoris.*
sacramento, sine gemitu cum magna tranquillitate spiritum reddidit Domino, nonis maii, quarta feria ante Penthecosten, anno Domini DCCCC° LXIX°. 969.
imperii sui XXXVIII°. Cujus corpus, cum magnis lugencium exequiis, a filio rege jam facto est translatum in civitatem suam, quam ipse construxit, vocabulo Meydeburch, ibique in ecclesia beati Mauricii sociorumque ejus, quam ipse fundavit, honorifice multis concomitantibus tumulatur.

De regno sive imperio Ottonis secundi. Cap. CXIII.

Anno DCCCC° LXXIII° mortuo Ottone Magno, imperatore primo, Otto 973.
secundus, filius ejus rex jam factus, regnare cepit, et regnavit annis X.

Anno DCCCC° LXXIIII° Raginerus et Lambertus, filii Ragineri Longi- 974.
colli, paulatim resumptis viribus, a Francia redeunt, et cum Garnero et Raynaldo, qui comitatum patris eorum occupaverant, bello apud Peronam confligunt, eosque cum multis perimunt, et super Haguam fluvium castello Buxude munito, Lotharingiam infestant. Otto imperator castellum Buxudis obsidet, captum diruit, captosque in eo exiliat; nec tamen Raginerus a rebellione desistit[1].

Anno DCCCC° LXXV° Otto imperator Heinricum ducem Bavarie sibi 975.
subjugat. Anno DCCCC° LXXVI° filii Raginerii Longicolli, auxilio Franco-

[1] Cfr. Jac. de Guyse, lib. XIV, cap. 37.

rum et maxime Karoli, postea ducis, fratris Lotharii regis, fulti, lacessunt bello Godefridum et Arnulphum comites, qui post Garnerum comitatum Montensem, id est Hannoniensem, invaserunt, Montem Castrilocum obsident; multis utrimque in conflicto fusis, obsidio remota est, victoria anceps; datur tamen palma ipsis comitibus.

Ducatus Lotharingie datur Karolo fratri Lotharii, regi Francorum. Cap. CXIV.

977. Anno DCCCC° LXXVII° ducatus Lotharingie datur Karolo fratri Lotharii, regis Francorum, multis insuper conducto beneficiis, ut et ipse ab insolenciis desistat, et fratris sui Lotharii motibus obsistat. Et quia filii Ragineri Longicolli Karolo erant affinitate conjucti, Raginerus quippe Hadwigem, filiam Hugonis postea regis, Lambertus vero Gerbergam, filiam Karoli ducis, duxerant uxores (ipso Karolo duce apud imperatorem cooperante, ut pro imperio viriliter agerent), in terra patrum suorum recollocati sunt [1].

Invasio Lotharii regis contra Ottonem imperatorem, cognatum suum. Cap. CXV.

978. Anno Domini DCCCC° LXXVIII°, pacato undique regno, cum Otto imperator Aquisgrani moraretur, Lotharius rex Francorum, cognatus ejus, ad invadendum Lotharingiam contendit, et subito cum exercitu magno illuc venit. Imperator autem statim recessit, quia ad pugnandum non fuit paratus; erat autem hora prandendi : rex Francorum ingressus palacium, quidquid imperatori ad usum vescendi preparatum erat, rex et ejus exercitus totum comedunt; tandem post multam devastationem repatriavit. Cum autem recessisset, Otto imperator dixisse fertur : « Rex Francorum cantavit michi terciam, et ego cantabo ei missam. » Imperator autem, congregato inexpugnabili exercitu, regem est persecutus, et condicto die, scilicet kalendis octobris, Franciam intravit, quam usque ad kalendas decembris

[1] Cfr. *Recherches sur l'Histoire des comtes de Louvain et sur leurs sépultures à Nivelles,* p. 11 et 12.

pervagatus, fines Remensium, Laudunensium, Suessionum et Parisiensium diversa clade devastavit. Cum autem venisset Parisius, et porte civitatis essent clause timore illius, lanceam suam fixit in porta et dixit : « Huc usque sufficit. » Tunc ascendit in montem Martirum, et assumptis archiepiscopis et episcopis, abbatibus, presbiteris et clericis, qui in exercitu ejus erant, cantavit excelsa voce : *Alleluya! Te martirum candidatus laudat exercitus*, in honorem sancti Dyonisii et sociorum ejus. Cum autem Franciam vastaret, ecclesiis Domini omnem immunitatem concessit. In redeundo, circa Axonam fluvium, impedimentorum suorum amisit partem, nam aque fluminis intumuerant hyemalibus pluviis. Ignee acies vise sunt in celo per totam noctem, V° kalendas novembris. Hic filio suo Ottone in Saxonia relicto, cum regina et exercitu magno per Ytaliam transiens venit Romam, ibi a Benedicto papa VII° cum magna leticia est coronatus cum regina. Erat enim summa pax inter papam et imperatorem.

Otto secundus ducit in uxorem filiam imperatoris Constantinopolitani. Cap. CXVI.

Otto vero secundus, Theofania filia Johannis, Constantinopolitani imperatoris, uxore accepta, hereditatem ejus requirens, accepit responsum, omne Grecorum regnum sancte crucis esse dotem, nec ex eo regias filias hereditare. Unde imperator, in Calabria contra Grecos pugnans, triumphavit, sed statim, cum ipsos incaute persequeretur, Saraceni conducti ex insidiis succedentes totum exercitum deleverunt : imperator autem navi exiliens natando aufugit. Et iterum exercitum congregans, Beneventum obsedit : qua capta, ossa sancti Bartholomei, ut dicitur, inde asportavit, ac Rome in insula in quadam concha collocavit, et in terram suam per Tyberim et mare in prefata concha transferre cogitavit ; sed eo in brevi vita exempto, preciosus thezaurus ibi remansit usque in hodiernum diem. Hic Otto dum ab Ytalia in Franciam orientalem reversus fuisset, Ytalici undique rebellant movendo inter se guerras, et principes inter se discordantes omnes maliguantur. Otto irascitur, et congregans exercitum venit Romam, et convocavit omnes Ytalie duces, comites, principes et ecclesiarum pontifices, et fecit inquisitionem fieri omnium exactionum factarum post recessum suum, et

dirigi in scriptis nomina malefactorem, et eorum facta, et penam condignam de malefactis. Et postea fecit parari mensas ante gradus ecclesie sancti Petri, et tentoria magna, et escas multas preparari, et jussit omnes principes in mensis honorifice locari et sedere. Et dum cibus et potus honorifice principibus administratur, principes comedunt, bibunt et letantur, et dum letiores esse putantur, Otto imperator per armatos, quos fecerat in loco secreto congregari, cingit utrumque latus omnium sedentium ad mensam, unde omnes principes sedentes in mensa nimis perterriti multum timuerunt. Et tunc preco, ex parte imperatoris exurgens, clamavit, precipiens quod nullus se moveret, et taceret ad quidquid videret, et qui secus faceret, gladio feriretur. Tunc Otto jussit in medio legi inquisitionem, et omnes scriptos culpabiles, in mensa sedentes, fecit decollari, ita quod mensa sanguine nobilium multum fuerat maculata. Et imperator jussit capita amputata ibi dari in mensa, loco cibi in scutellis coram binis et binis. Et precepit imperator ulterius principes sedere in mensa, et eis fercula amministrari.

De bello inter Ottonem secundum et Agarenos ac barbaros conserto, in quo christianorum exercitus extinctus, et ibi de fuga et fortuna Ottonis. Cap. CXVII.

Accidit, quod tempore predicti Ottonis secundi Agareni et barbari[1], Calabrie fines ingressi, omnia igne et ferro devastabant. Contra quos Otto imperator secundus, cum Theutonicis, Longobardis et Gallicis procedens, acriter dimicavit; sed Romanis et Beneventanis terga vertentibus, christianorum exercitus pene omnino est extinctus. Imperator vero solus ad mare perveniens, quosdam rogavit, ut ipsum in navim reciperent, asserens se unum de militibus imperatoris. Qui, suscepto eo in navim, considerantes dispositionem et decorem ipsius, loquebantur grece, credentes non intelligere ipsum, quod ipse esset imperator, et quod vellent ipsum Constantinopolim ducere ad imperatorem suum. Quod imperator intelligens, et graviter dolens, circumvenit eos, asserens se magnam pecuniam habere absconditam in Sicilia, rogans ut illuc irent, et accepta pecunia simul cum gaudio propera-

[1] In aliis codd. legitur *Agathi et Barri.*

rent. Ipsis autem propter hoc ad litus accedentibus, vidit imperator episcopum, in armis probum, Cesum nomine, et invocato suo auxilio, imperator cum episcopo omnes nautas usque ad numerum XL trucidaverunt, ita quod nec unus evasit, per virtutem sancti Petri apostoli, quem imperator sollicite invocabat. Et sic ad imperatricem perveniens, cum gaudio ab ipsa et a suis baronibus susceptus est.

Romam rediens, filio suo Ottone in Saxonia relicto, post paucos dies tedio et angore animi deficiens, Rome moritur, anno DCCCC° LXXXIII°, 983.
sexto ydus decembris, et in porticu sancti Petri honorifice sepelitur.

avoient les princes usaige de faire tous les jours: là où ledit empereur ordonna que premièrement et devant toutes choses fussent oyes les causes des vefves et orphenins. Adonc vint avant la femme du conte devantdit, laquelle tenoit en ses mains soubz son mantel la teste de son mary, et se getta en genoulx devant l'empereur, en luy requérant qu'il luy fist justice de la mort de son mary : laquelle mort avoit jà mis en oubly ledit empereur. Si luy respondit l'empereur qu'elle déclairast sa cause, et il luy feroit plaine justice. Adonc respondit la contesse à l'empereur, et luy dist en telle manière : « Noble et grant empereur, dist-elle, quelle paine désert celluy qui ochist ung homme sans cause, et rompt ou brise sa foy promise? » — « Par ma foy, dame, dit l'empereur, celluy qui ce fait doibt perdre la teste. » — « Puisque ainsi est, dist la dame, noble empereur, morrez-vous, car maintenant vous avez rendu sentence contre vous de la mort de mon mary : lequel sans cause nulle de droit, mais faulsement et mauvaisement luy avez tollu la vye; et pour ce, si vous estes vrays juges, si me faictes justice de vostre corps. » — « Ha! dist l'empereur, femme, femme, gardez que vous dictes, car vous ne pourriez prouver estre vray che que vous me mettez sus. » — « Par ma foy, dist la dame, sauve vostre révérence, je le prouveray très-bien, car vechy la teste de mon mary que vous avez mauvaisement ochis et sans cause, et affin que je le puisse ainsy prouver, me vechi prest de porter à mes mains nues ung fer ardant et embrasé, par telle condition, s'il n'est vray ce que je dis, je soye arse et escandée [1], et s'il est vray, je demeure non bleschie, affin que la vérité en soit sceue. » Laquelle chose elle fist en la présence de tous et par le jugement de l'empereur. De laquelle chose il fut tant ésbahys et éshidis [2] que plus ne povoit, car il y véoit l'apparence de sa mort, et tant que, par sentence de droict, il se juga estre mis ès mains de la contesse, à faire la volenté d'elle : laquelle le print par la teste, en disant qu'elle vengeroit la mort de son mary, et commencha à quérir qui luy voulsist mettre l'empereur à mort en sa présence, et luy trencher la teste, car c'estoit tout son désir, ne aultre amende n'en vouloit prendre. Adonc l'empereur en genoulx devant elle luy commencha à requérir merchy, et à prier que de sa grâce elle luy donnast dix jours de respit : laquelle chose luy accorda la contesse, non mie seullement à sa prière, mais à la prière des princes et princesses qui là estoient et qui l'en prioient. Lesquelz dix jours passez, encoires luy requist l'empereur et les princes huict jours, qu'elle pareillement accorda. Lesquelz huyt jours aussy passez et expirez, encoires fist tant l'empereur, à la prière de ses princes, qu'elle luy donna six jours de respit. Èsquelz termes pendant, firent les princes la paix de l'empereur et de la dame, et fut ordonné que l'empereur donneroit à la dame, pour amende de son mary qu'il avoit fait mettre à mort indeuement, trois

[1] *Escandir*, brûler, dessécher par le feu. Hécart fait dériver ce mot de l'espagnol *escaldar*, échauder, tremper dans de l'eau bouillante, étouffer avec de l'eau chaude.

[2] *Éshidis* ou *enhidis*, épouvanté, de *hide*, frayeur, effroi, horreur.

chasteaulx, desquelz fut l'ung nommé, à cause des dix jours de respit devantdit, Décime; le second, à cause des huit jours, Octave, et le tiers, à cause des six jours, Sexte : lesquelz sont encore ainsi nommez au pays de Tuschie, où ilz sont situez en l'éveschié de Luce[1]. Et adonc l'empereur fist ochir et décoler sa femme[2].

[1] Lisez *Lune* ou *Luna* au lieu de *Luce*. Sifride ou Sifroi de Misnie, en Saxe, moine du quatorzième siècle, place ces châteaux dans l'évêché de Luna. C'était anciennement une ville célèbre de l'Étrurie, qui ne subsiste plus, et qui donna son nom à un petit pays qu'on appelle encore la *Lunegiana*. L'ancien évêché de Luna fut transféré à Sarzane en 1204. Cependant de Dynter a interprété par évêché de Lucques celui de Luna : *in episcopatu Lucensi* (p. 322). L'auteur du *Magnum Chronicon Belgicum* (apud *Pistorium*, t. I, p. 94), qui vivait vers 1474 et qui copie souvent de Dynter, fait la même chose; il cite Jean Gobelinus, l'auteur du *Cosmodromium*, imprimé dans le t. I des *Rerum Germ. script.*, publié à Helmstad en 1688 et dans l'*Apparatus sacer* de Possevin.

[2] Nous avons déjà fait remarquer dans la note 1 du texte latin, p. 322, que le mariage d'Otton III avec Marie d'Aragon, qu'il fit brûler pour adultère, est une fable. Dans l'*Histoire de l'Académie royale des inscriptions et belles-lettres*, t. XXIII, pp. 220-227, on trouve un *Examen critique de l'histoire de Marie d'Aragon*, par le baron de Zurlauben. Les preuves qu'il apporte pour rejeter le récit en question au rang des fables sont : 1° les circonstances mêmes de l'histoire qui en décèlent la fausseté; 2° le silence des auteurs contemporains; 3° le caractère des historiens qui rapportent cet événement (le premier qui en ait parlé est Godefroid de Viterbe, qui vivait en 1190 et qui, par conséquent, était postérieur à Otton III de près de deux cents ans); 4° les inductions contraires que fournissent des écrivains plus dignes de foi. Landulphe l'ancien, qui vivait en 1090, est le seul chroniqueur qui donne, sans mentionner le nom, une femme à Otton III; il ne dit pas un mot de la mort tragique de cette épouse, et il la rapporte dans des termes simples qui supposent une mort naturelle. Landulphe ajoute, dans son histoire de Milan (apud Muratori, *Rerum Ital. Script.*, t. IV, p. 80), que l'empereur avait horreur du mariage depuis la mort de sa femme, mais que dans la suite il changea de pensée, et qu'il envoya Arnoul, archevêque de Milan, à Constantinople, pour demander en mariage une princesse de la famille de sa mère Théophanie; que cette demande fut accordée, mais que pendant le retour d'Arnoul l'empereur mourut à la fleur de l'âge. Ce qu'il y a de certain, c'est qu'Otton, mort à l'âge de vingt-deux ans, le 23 janvier 1002, ne laissa point d'enfants, et qu'il n'avait pas même été marié, suivant Pagi et Muratori. Voyez Pertz, *Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde*, t. VI, p. 612.

Cette légende si dramatique de la mort de la femme d'Otton III paraît avoir été très-repandue au moyen âge. Elle a été immortalisée par deux tableaux, chefs-d'œuvre de Thierri Stuerbout. On les avait longtemps attribués à Holbein ou à Memling, mais L. de Bast, dans la notice qu'il consacra, en 1832, à Thierri Stuerbout, de Harlem, a prouvé qu'ils sont de ce peintre. Au-dessous des deux tableaux, conservés autrefois à Louvain, se trouvait une inscription en vers flamands qui expliquaient l'histoire tirée, comme disait l'inscription, du 276me chapitre de la Légende dorée.

Ces tableaux étaient encore en 1820 à l'hôtel de ville de Louvain; la régence eut la faiblesse de les vendre. Ils devinrent la propriété du prince d'Orange, et ils ornèrent longtemps son palais à Bruxelles. Nous en avons des gravures par Onghena, avec les notices de de Bast et Warnkœnig dans le *Messager des sciences historiques*, t. I, p. 17 et t. II, p. 150.

Comment l'élection de l'empereur se doibt faire par électeurs, ainsi que Karle le Grant l'ordonna[1]. CHAP. LXXVII.

Et jasoit che dist l'acteur que ces trois empereurs nommez Otton par succession de génération ayent régné l'ung après l'aultre, toutesfois a-il esté institué despuis que par sept officiaulx de l'empire l'empereur seroit de ce jour en avant esleu. Laquelle ordonnance apert par ces vers qui s'ensuyvent :

Maguntinensis, Treverensis, Coloniensis,
Quilibet imperii fit cancellarius horum;
Et Palatinus dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio prepositus camere, pincerna Bohemus:
Hii statuunt dominum cunctis per secula summum.

Qui est à dire en franchois : L'archevesque de Mayence, l'archevesque de Trevères et celluy de Coulongne, qui sont les chancelliers de l'empereur, et le conte palatin, qui est séneschal, le duc de Saxougne, qui porte l'épée, le marquis de Brandenbourg, qui est prouvost de la chambre, et le roy de Bohesme, qui est eschansson, constituent et establissent le souverain seigneur du monde. Et pour ce, dist l'acteur, loist-il sçavoir que, quant par l'ordonnance du sainct-siége apostolicque l'empire rommain fut transporté des Grégeois aux Germaniens, en la personne de Karle le Grant, iceluy sainct Karle le Grant, du consentement et mandement du souverain évesque, c'est-à-dire de nostre sainct-père le pape, par ordonnance dont il fut divinement inspiré, il institua et commanda que, de ce jour avant, l'empire rommain demourast en perpétuité en l'élection canonicque des princes de Germanie et de Gaule; car, comme il entendoit, il n'est point convegnable que le sanctuaire de Dieu et le règne de l'Église soit possessé par droit de héritaige, considérans qu'ilz estoient descenduz et venuz de la droite ligne des Grégois et des Germaniens, parce que son père Pepin premièrement, et luy ledit Karle secondement, avoient délivré la cité de Romme et l'église de Dieu, par l'ayde des Franchois et Germaniens, de l'infestation et travail que leur faisoient les Lombars. Lesquelz princes de Germanie, c'est assçavoir l'archevesque de Trevères, qui s'escript archechancellier de Gaulle, l'archevesque de Couloigne, qui s'escript archechancellier d'Italie, l'archevesque de Mayence, qui s'escript archechancellier de toute l'Allemaigne, et le conte du palaix de Trevères, duquel palaix estoient dis les mayeurs de la maison royale, de laquelle dignité les progéniteurs de Karle, c'est assçavoir les ducz d'Austra-

[1] Voyez le texte latin, p 323

sie la basse, qui depuis a esté dicte Lothringhe et puis Brabant, ont trait leur naissance principale, lequel conte du palaix est maintenant dit conte palatin du Rin, duc de Bavière, après le décès et trespas dudit sainct Karle ont par moult de tamps eslut les empereurs rommains de leur lignie, et du règne des Franchois par les princes d'Allemaigne, et non de ailleurs. Et jasoit che qu'on die en moult de lieux, et qu'on trouve en escript en moult d'histoires, que tel ou tel roy de Franche et empereur de Romme ayt substitué en l'empire son filz tel ou tel, toutesfois tout che se doibt entendre que ce n'a esté que par le consentement et de la vraye élection faite par les princes.

Mais ceste ordonnance est tant alé avant que au darrain plusieurs roys et princes, convertiz en l'esprit de perversité, se sont eslevé et ont présumé et volu dire que le sainct et sacré empire ne debvoit point estre possessés selon canonicque élection, mais comme de droit héritaige ou par force et violence, et y ont contendu à succéder comme par succession de hoirrie. Pour laquelle insolence ou travail les princes de Germanie devant nommez, griefment excitez sur ceste manière de tribulation de leur droit de la formation du sainct empire, ont eu ung général conseil avec les aultres nobles princes d'Allemaigne, et signamment de Saxougne, pour ce que iceulx nobles de Saxougne sont yssus de la génération des Franchois. Car, quant le noble et puissant roy sainct Karle mettoit peine à convertir à la foy chrestienne la gent de Saxougne, plus par l'espée matérielle que par l'espée espirituelle, véans que par nulle science ou puissance il ne les povoit tenir en la foy de Jhésu-Christ, que, tantost qu'il se partoit d'eulx, comme bestes estranges, ilz se retournoient arrière à l'adoration de leurs ydoles et à l'erreur de leur loy, il s'advisa de prendre dix mil hommes de toutes manières d'estatz, grands, moyens et petitz, très-vrays et très-catholicques, en son royaulme de Franche, et les mena en Saxougne, là où il les colloca et loga, et leur donna demeures et terres, à chascun selon son degré et estat, et ainsi que sa condition et ordonnance le requerroit, et il osta aultant de Saxons de leur terre et les ammena en Franche occidentale, où il avoit prins les aultres, où il les pourvey de terres et possessions, ainsi qu'il avoit fait des Franchois en leurs pays : et ce fist-il affin que les Franchois qu'il avoit mis en Saxougne, tenissent la foy de Jhésu-Christ et l'apresissent aux aultres, et que les Saxons de Franche fuissent constrains de croyre en Jhésu-Christ. Desquelz nobles de Saxougne, comme on sçait de vray, yssy et descendy Robert le duc d'Ango, père du roy Odon et de Robert le Grant, conte de Paris. Et, pour ceste cause, sur l'estat de l'empire ont les Germaniens requis de conseil et d'ayde les princes de Saxougne et aultres princes d'Allemaigne comme leurs frères, en telle manière que, par le conseil, concorde et volenté de l'une partie et de l'aultre, il a esté décrété entre eulx que, de ce jour en avant, les princes de Saxougne, c'est assçavoir le duc de Saxougne, le marquis de Brandenbourch et le roy de Bohesme, seroient tenuz d'estre présent à l'élection de l'empereur avec les princes et électeurs de Germanie. Et fut adonc le duc de Saxougne

ordonné mareschal, c'est-à-dire porteur de l'espée impériale, le marquis de Brandenbourch chambellan impérial, et le roy de Bohesme eschansson. Comment et par quelle manière les devantdits princes doignent procéder à l'élection du roy des Rommains, pour estre pourveuz à empereur, et de l'office de l'ung et de l'aultre, il est clèrement contenu ès loix de Karle le Grant, le quart empereur des Rommains, qu'il fist en Nurenberghe et en la cité de Metz, qui s'appellent *Kareline* [1] ou bulle dorée.

[1] L'empereur Charles IV est l'auteur de la *Caroline* ou de la fameuse *bulle d'or,* qui était la loi fondamentale de l'empire germanique. Il en publia la première partie le 10 janvier 1356, dans la diète de Nuremberg, et la deuxième le 25 décembre suivant, dans la diète de Metz.

FIN DU SECOND LIVRE.

EDMUNDI DYNTERI CHRONICON.

LIBER TERTIUS.

Explicit liber secundus, subsequitur tercius, in quo sequar compilationem factam per fratrem Andream [1]. In quo narratur primo translatio regni Francorum de genealogia Karlencium in progeniem comitum Parisiensium, facta anno Domini DCCCC° LXXXVIII°. Ex quibus primo regnavit Hugo, cognomento Capet. Et continuantur gesta regum ab ipso descendentium, cum multis incidentibus, usque ad regnum Ludovici piisssimi regis, filii Ludovici Grossi, inclusive. Post quem Dei gratia scribere propono per modum addicionum gesta aliorum regum sibi succedencium, usque ad regnum Philippi regis VII exclusive, quia ejusdem Philippi et suorum sequacium gesta adhuc acquirere nequivi.

[1] Vide *Historiam Franco-Merovingicam*, editam a Raphaele de Beauchamps, lib. III, p. 771 et seqq.

INCIPIT EPYLOGUS LIBRI TERCII.

Franci, origine Troyani, adhuc pagano ritui dediti, regnum suum, sicut in presenti nunc cernitur, in Gallia stabilierunt, que nunc ab eis Francia denominatur. Anno igitur dominice incarnationis CCCC° LXXXIIII°, Childerico eorum rege mortuo, qui Treverim civitatem cepit, et Aurelianis urbem devastavit, Andegavis incendit, et cum Audovacrio [1], duce Saxonum, Alemanniam sibi subjugavit, Clodeveus, filius ejus ex regina Basina, uxore quondam Basini regis Thuringorum, regnum sortitur, tenuit et ampliavit. Nam et Alemanniam sub tributo redegit, interfecto rege Alemannorum; Egidium ducem Romanorum, qui Suessionis regebat, occidit; Gundebaldum regem Burgundionum devicit; Alaricum regem Wisigothorum, qui regnabat apud Tholosam, peremit: sicque Neustriam, Austriam, Franciam, Alemanniam, Burgundiam, Provinciam, Aquitaniam, Wasconiam usque ad Pireneos montes suo imperio subjugavit. Hic a sancto Remigio, Remensi archiepiscopo, cum sibi subjectis baptismi gratiam accepit. Ab Anastasio, imperatore Romano et Constantinopolitano, coronam auream cum gemmis, et tunicam blacteam [2], codicillosque de consulatu accipere meruit. Hujus progenies feliciter regnavit usque ad septingentesimum quinquagesimum annum dominice incarnationis [3], exceptoque quod, per octoginta et octo ferme annos, a tempore Lotharii regis et Bathildis regine, regibus a solita fortitudine degenerantibus, regni potencia disponebatur per Majores domus. Unde factum est, ut Pipinus, filius Karoli Martelli, octavus a Lothario, patre Dagoberti, per Blichildam [4], filiam Lotharii, sororem ejusdem Dagoberti, que desponsata fuerat Ausberto [5], duci Lotharingie superioris, et sic processerat de semine regio, et erat Major domus sub rege Childerico, a Stephano pontifice Romano, apud ecclesiam sancti Dyonisii, cum uxore et filiis, Karlomanno et Karolo Magno, in regem ungeretur, et per eos generatio eorum in hereditatem regalis successionis imperpetuum benediceretur, et omnis

[1] Alias *Odoacrio.*

[2] Seu *blateam.*

[3] Anno enim 750 actum est de Childeberto abdicando, deque regio nomine transferendo in Pipinum, filium Caroli Martelli.

[4] Seu *Blithildem.*

[5] Lege *Ansberto.* Vide supra, p. 57.

alienigena ab ejus invasione apostolico anathemate interdiceretur. Regnavit autem eorum progenies in imperio Romano usque ad annum Domini nongentesinum et duodecimum, in regno vero Francorum usque ad annum Domini nongentesimum et vicesimum sextum. Tunc Hugo Capucius, comes Parisiensis et dux Francorum, contra dominum suum et consobrinum, Karolum ducem Lotharingie, regnum Francorum, contra preceptum Romane ecclesie, que omnes invasores regni anathematizaverat, injuste invasit. Sed quod Scriptura de Deo dicit, quod immutat tempora et transfert regna, hoc judicio Domini relinquemus, et tercium libellum ad genealogiam ejusdem Hugonis regis describendam subjiciemus.

Explicit epylogus: incipiunt capitula libri tercii [1].

De translatione regni et regno Hugonis, Francorum ducis.
De regno Roberti, filii ejus.
De regno Heinrici, filii Roberti.
De regno Philippi, filii Heinrici.
De via Jherosolomitana.
De regno Ludovici, cognomento Grossi, filii Philippi.
De regno Ludovici piissimi regis, filii Ludovici Grossi.
De regno Philippi secundi, filii Ludovici.
De secunda via Jherosolomitana.
De regno Philippi secundi.
De perdicione Jherusalem.
De discordia inter reges Anglie et Francie.
De bello Christianorum cum Salahadino.
De bello inter regem Francie et Ferrandum comitem Flandrie.
De invasione Anglie per Ludovicum, Philippi regis Francie filium.

[1] Quod supra p. 142 et p. 149 ad Librum II notatum est, hoc etiam loco notari debet, scilicet in MS. codice Corsendonkano desiderari capitulorum numeros. In MS. codice Joannis Miræi aliisque recentioribus habet hic Liber III capitula *tredecim;* illa autem quae sequitur tabula, indicat Librum tertium capitulis quinque et viginti distinguendum esse. Ita tamen Dinterus permiscuit et descripsit rerum ordinem, ut capitulorum viginti septem seriem indicare debuerim, adjectis ex codicis Corsendonkani notatione marginali capitulorum inscriptionibus.

De obitu Philippi secundi regis.
De regno Ludovici septimi, filii Philippi.
De miraculo quod accidit de rege Philippo post mortem ejus
De morte Ludovici regis octavi.
De regno sancti Ludovici noni.
De regno Philippi tercii.
De regno Philippi quarti.
De regno Ludovici decimi.
De regno Philippi quinti.
De regno Philippi sexti

INCIPIT LIBER TERCIUS.

De translatione regni per Hugonem Capet [1]. CAP. I.

Anno Domini nongentesimo octogesimo octavo translatum est regnum 988 Francorum de genealogia Karlencium in progeniem comitum Parisiensium. Primus ex eis regnavit Hugo, cognomento Capucius, filius Hedewigis [2], sororis Ottonis magni imperatoris. Fuit autem, sicut in precedentibus dixi, filius Hugonis Magni. Hugo Magnus fuit filius Roberti, fratris Odonis regis, qui ambo coronati sunt contra Karolum Simplicem; quorum unum, Robertum, tyrannum scilicet, occidit idem Karolus rex in bello Suessonico. Hii duo fratres, Odo videlicet et Robertus, fuerunt filii Roberti Fortis, marchionis comitis Andegavensis, qui fuit Saxonici generis, quem supra memoravimus occisum a Northmannis.

In gestis sanctorum Richarii et Walerici legimus, quod corpora eorum translata fuerunt a suis ecclesiis in Flandriam, et reposita in ecclesia beati Bertini. Causam translationis obscure scriptam inveni, sed constat, quod timore Northmannorum et Danorum, utpote in tutiori loco, ibi reposita sunt: castrum enim sancti Audomari, in quo consistit ecclesia sancti Bertini, illo in tempore erat nobile et contra hostes satis munitum. Cum autem tempore Karoli regis, cognomento Simplicis, Northmanni essent conversi ad fidem Christi, corpora sanctorum, que timore eorum translata fuerant in locis munitissimis, reportata sunt a suis in suas ecclesias. Cum autem monachi sancti Richarii et sancti Walerici corpora suorum sanctorum repeterent, monachi sancti Bertini illa per violenciam Arnulphi Vetuli comitis [3] detinebant. Tunc

[1] Vid. supra, p. 525, not. 1.

[2] Alias *Hawidis* vel *Hauuidis*, sed rectius *Hatwidis*.

[3] Scilicet *Flandrensis*, prout in aliis MSS. additur.

sanctus Walericus apparuit Hugoni comiti Parisiensi in sompnis et dixit ei : « Vade ad Arnulphum comitem Flandrensem, et dic ei, ut remittat corpora nostra, que sunt in ecclesia sancti Bertini, in nostris ecclesiis; magis enim diligimus loca nostra quam aliena. » Et respondit ei Hugo : « Domine, quis es tu, et quis est socius tuus? » — « Ego, inquit ille, vocor Walericus, et socius meus est Pontinensis[1] Richarius. Age, que tibi precipit Deus per me, festinanter, et ne dissimules. » Et, ut brevi sermone causam concludam, abiit Hugo ad Arnulphum, que fuerant sibi mandata indicat. Arnulphus vero superbo animo corpora sanctorum reddere recusat. Tunc Hugo comes Parisiensis constanti animo Arnulpho comiti dixit : « Vide ut in illo die et in loco illo corpora sanctorum spontaneo animo honeste michi deferas; quod si non feceris spontaneus, postea facies invitus. » Tunc Arnulphus comes, timore et potencia Hugonis constrictus, duas thecas argento et auro decoravit, et in illis sanctorum Richarii et Walerici reliquias reposuit. Die condicto Hugo cum armato et copioso exercitu Monasteriolum[2], quod castrum regis est Francorum, venit. Arnulphus autem comes, audito adventu ejus, cum magno exercitu, sed inermis et humilis, ei obvius venit, corpora sanctorum Richarii et Walerici Hugoni decenter coaptata reddidit; ille vero unumquemque in suo loco resignavit. Nocte vero subsequenti apparuit sanctus Walericus Hugoni in sompnis et dixit ei : « Quia studiose egisti, que precepta sunt tibi, et nos ad loca nostra retulisti, tu in regno Francorum et successores tui usque in septimam generationem regnabitis. » In hac relatione patenter ostenditur, regni translationem factam fuisse Domini voluntate.

Apparicio facta Hugoni Capet, quod ipse et posteri ejus usque in septimam generationem regnarent.

Hugo rex[3], cupiens eradere de regno Francorum omne genus Karoli ducis, collecto concilio in urbe Remensi fecit degradare Arnulphum archiepiscopum, consobrinum ejus natum ex concubina, quem ipse Karolus episcopum Remis substituerat. Adelgarius quoque presbiter, qui urbem prodidit et portas Karolo aperuit, insolubiliter excommunicatus est. Fecit enim rex Hugo in loco Arnulphi archiepiscopi consecrari Gerbertum monachum Floriacensem, arte philosophum, qui erat magister Roberti filii ejus; Arnulphum autem fecit mancipari custodie Aurelianis civitate. Cum autem relacio cucurisset ad aures Marini[4], Romane sedis presulis, missus est a sede apos-

[1] Alias *Ponthivensis* (de Ponthieu).
[2] *Monstreul.*
[3] Alibi legitur : *Hugo rex factus.*
[4] Alias *Joannis* (scilicet XVI).

tolica Leo abbas ad Selbinum[1] archiepiscopum Senonensem, ut concilium in urbe Remensi congregaret, et Arnulphum in sede propria restituens Gerbertum deponeret : quod et factum est. Gerbertus vero veniens ad Otonem imperatorem, nam magister ejus fuerat, archiepiscopus in urbe Ravenna collocatus est. Deinde, paucis exactis annis, papa urbis Rome per eundem imperatorem effectus est, unde est illud ejus monosticum : De Gerberto nigromantico et papa.

Scandit ab R Gerbertus ad R, post papa jungens R.

Vocatur Silvester secundus[2].

In Burgundia Odilo, Arverne oriundus, ex clerico Brivatensi, monachum professus in Cluniacensi cenobio, post Majolum preficitur ipsi cenobio, quod per annos LVI miro religionis fervore rexit et provexit. Qui egregie, preter cetera pietatis insignia, non solum vite exemplis sed et miraculis in vita sua claruit. Qui cum reprehenderetur, quod in peccantes misericordior justo esse videretur : « Si dampnandus sum, inquit, malo dampnari de misericordia quam de duricia. » Arnulpho juniore Flandrencium comite mortuo, Balduinus filius ejus succedit. Gerbertus, qui et Silvester, tempore Hugonis regis, sicut jam diximus, Romane ecclesie prefuit : qui inter scientia litterarum claros egregie claruit. Quidam eum in loco paparum non ponunt, quod non ociose factum esse creditur, quia per ostium non intrasse dicitur ; a quibusdam eciam nigromancie arguitur. De morte quoque ejus non recte tractatur : a dyabolo enim percussus dicitur obiisse, quam rem nos in medio relinquimus[3]. Anno XIII° Ottonis tercii imperatoris Hugo Francorum rex mortuus est et sepultus est in ecclesia sancti Dyonisii, Silvestro secundo existente Pontifice Romano[4]. De Odilone abbate

De regno Roberti[5], *filii Hugonis.* Cap. II.

Anno Domini DCCCC° XCVI°, anno XIII° Ottonis tercii imperatoris, regnavit Robertus filius Hugonis in Franciam annis XXIIII[6]. Leotherius Se- 996.

[1] Alias *Sewinum* seu *Seguinum*.

[2] Eadem leguntur supra, pp. 319 et 320.

[3] Merito sane, nam fabula et calumnia sunt quae de magia et morte Gerberti seu Sylvestri II, legitimi pontificis, dicuntur.

[4] Obiit Hugo Capulius die 24 octobris an. 996, quo quidem anno cathedram pontificiam tenebat Gregorius V.

[5] Hujus nominis *secundi*.

[6] Alias XXXIV. Vid. infra not. ad versionem gallicam.

nonensis archiepiscopus, consilio Raynaldi episcopi Parisiorum, congregato exercitu obsedit eandem civitatem, et cepit eam, et regi Roberto reddidit. Raynaldus autem comes ejusdem civitatis, filius Fromundi, qui erat infidelium nequissimus, fugiens evasit nudus. Fromundus vero frater ejus et ceteri milites, de civitate ingressi in turrim, que est in civitate, obtinuerunt illam. Rex autem Robertus, oppugnans eam diebus multis, cepit eam et fratrem Raynaldi comitis, Fromundum, quem duxit Aurelianis civitate, ubi et mortuus est.

Prodigia. Anno Roberti regis IIII° completus est annus millesimus incarnationis Christi, secundum computationem Dyonisii, in quo multa prodigia visa sunt. Terremotus factus est permaximus. Cometes apparuit. Kalendis januarii, circa horam IX^{am}, fisso [1] celo, quasi facula ardens cum longo tractu instar fulguris illabitur terris cum tanto splendore, ut non tantummodo qui in agris erant, sed eciam in tectis, irrupto lumine ferirentur: qua celi fissura [2] sensim evanescente, interim visa est figura quasi serpentis, capite quidem crescente cum ceruleis pedibus. Otto imperator Rome Crescentem patricium bello aggreditur, sed victus Crescens et ex fuga retractus capitur, vilique jumento averse impositus urbem circumducitur, et paulatim membris truncatus ad ultimum ante urbem suspenditur. Romani contra imperatorem Ottonem insurgunt, eo quod remissius cum illis ageret; et quibusdam militibus ejus peremptis, eum in palacio obsident, unde per industriam Heinrici ducis Bavarie et Hugonis marchionis Ytalie vix extractus, Roma decedit cum Silvestro vel Gerberto papa. Et quia uxor Crescentis imperatorem spe regnandi ad amorem suum pellexerat, dolens pro ejus discessu, venenum ei misit, quo ille consumptus inter remeandum in Ytalia moritur [3]. Hucusque per successionem generis fiebant imperatores Romanorum, deinceps constitutum est, ut fiant per electionem [4].

Successit ei [5] in imperio Heinricus dux Bavarie, consobrinus ejus; nam avus ejus fuerat Heinricus dux Bavarie, frater Ottonis primi, magni imperatoris, avi istius Ottonis nuper defuncti. Anno IIII° hujus Heinrici impera-

[1] Alias *scisso.*

[2] Alias *scissura.*

[3] Cfr. supra, p. 521.

[4] In MS. cod. Corsendonkano hic sequuntur quinque versiculi jam supra, p. 523 relati. In MS. cod. Joannis Miræi post verba *imperatores Romanorum*, ita legitur: *deinceps constitutum est, ut per septem electores, ut praedictum est in fine praecedentis libri, eligerentur.*

[5] *Ottoni.*

toris, et X° Roberti Francorum regis. Balduinus comes Flandrensis castrum imperatoris, quod vocatur Valencianas, situm in marchia Francie et Lotharingie, invasit. Imperator Heinricus hoc audito invitavit Robertum regem Francorum et Richardum comitem Northmannorum ad sui auxilium, et obsedit castrum. Et quia imperator de illa obsidione inefficax rediit, contra Balduinum profectus castrum Gandavum invadit, et depopulata terra aliquos Flandriensium primores capit: unde Balduinus perterritus in Aquensi palacio imperatori satisfecit, Valencianas reddidit, datisque obsidibus cum sacramento fidelitatis manus ei dedit. Postea imperator, seditione coactus suorum, Valencianas Balduino beneficiavit, ut sibi contra motus suorum hominum auxilio esset; postea ei Walachras addidit. Duxit autem rex Robertus uxorem Constanciam, filiam Wilhelmi Arelatensis comitis, natam de Blancka sorore Gaufridi comitis Andegavensis, ex qua genuit quatuor filios: Hugonem, qui cognominatus est Magnus, Heinricum, Robertum et Odonem. Ex hiis Hugonem Compendii coronari fecit in regem adhuc vivens, qui patri accessit in regno, non successit, quia adhuc vivente patre juvenis defunctus est. Hic rex mansuetus fuit et mediocriter litteratus [1], et amator religionis et ecclesiarum: nam in precipuis solempnitatibus ad sanctum Dyonisium veniebat, in choro cum monachis stabat et psallebat; ad vesperas, matutinas et ad missam, cappa serica indutus, cum cantore chorum regebat. Composuit eciam quosdam cantus: de Spiritu Sancto prosam: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia;* de nativitate Domini; *Judea et Jherusalem;* de martiribus; *Concede nos, Domine, quesumus.* Cum autem Constantia regina videret eum in hiis esse intentum, dixit ei quadam die per jocum, ut faceret de ipsa aliquem cantum; rex autem libenter annuit et scripsit responsorium: *O constancia martirum,* in honorem sancti Dyonisi et ceterorum martirum. Fuit eciam in dando largissimus; porro Constancia regina nimis tenax et, quod minime decebat regine, ultra modum avara. Nam cum rex alicui aliquid dabat, ei precipiebat dicens: «Vide ne sciat Constancia.» nec ei [2] nomen regine addebat. Honestavit eciam regnum edificiis et ecclesiis sanctis, inter quas edificavit in urbe Aurelianensi monasterium sancti Aniani, et ecclesiam sancte Marie, matris

De religiositate regis Roberti.

[1] Immo legendum: *et non mediocriter litteratus;* nam regem Robertum II literarum scientia imbutum fuisse omnes testantur Francorum annales eo fere modo, quo hic apud chronographum sequitur.

[2] Alias *ibi.*

Domini nostri Jhesu Christi, et sancti confessoris Hilarii, ante palacium; etiam sancti Leodegarii in silva Aquiana, et sancti Medardi in Vitriaco castello; monasterium quoque sancti Reguli in civitate Silvanectensi, et sancte Dei genitricis Marie in Stampensi castro; apud Augustodunum edificavit sancti Cassiani monasterium; sed et Parisiis ecclesiam sancto Nycholao in palacio suo, et iterum sancte Marie in Pisciaco castello.

De concilio inter regem (Robertum) *et imperatorem Heinricum, et quomodo instituta est commemoratio omnium fidelium defunctorum.* Cap. III.

Heinricus imperator Romanorum et Robertus rex Francorum super Carum fluvium apud Evosium convenerunt, de statu ecclesie, regni et imperii tractaturi, et condicto ut super hiis confirmandis etiam papam Romanum simul ambo Papie oportune convenirent. Imperator regem et suos milites eciam, qui tantum ad demonstrandam imperatoriam majestatem convenerant, tanta liberalitate donavit, ut opibus regum Persarum aut Arabum posset comparari imperatoris munificencia. In Pascha eclipsis solis facta est.

Heinricus imperator moritur, succedit Conrardus.

Heinricus imperator, consulentibus principibus super substitutione regni, designans Conrardum, virum regii generis et egregie libertatis [1], quippe qui nunquam se submiserat alicujus servituti, moritur. Post mortem imperatoris potentissimi, Robertus rex Francorum ad invadendam Lotharingiam animum intendit, sed videns magnanimitatem Conrardi, illius *Henrici* successoris, cito ob hoc conatu destitit. Rex Robertus jam senior factus Hugonem filium suum participem sui constituit regni; sed Hugone sexto regni sui anno defuncto, Heinricum ejus *fratrem* germanum, virum armis strenuum, suum iterum sublimavit in regnum. Robertus rex Francorum moritur, et in ecclesia beati Dyonisii sepelitur. Imperatores Romani, qui eo regnante Rome imperaverunt, sunt hii : Otto tercius, Heinricus secundus, Conrardus primus [2]. Romani pontifices hii fuerunt : Silvester, qui et Gerbertus, Johannes Sicco, Johannes Pananus [3], Sergius Os Porci, Benedictus, Johannes.

[1] In aliis MSS. *liberalitatis.*

[2] Alias *secundus*, et recte quidem (*Conrad II, dit le Salique*).

[3] Alias *Phasanus.*

Anno tercio regis Roberti instituta est commemoratio omnium fidelium defunctorum, post festivitatem Omnium Sanctorum, per quemdam reclusum et per Odilonem abbatem Cluniacensem. Idem enim reclusus juxta Ollam Vulcani in Sicilia manebat, et audivit demones sepissime conquerentes, quod animas dampnatorum eripiebant de eorum potestate monachi Cluniacenses per suas orationes: hoc idem reclusus abbati Odiloni mandavit; abbas enim in monasterio Cluniacensi et in omnibus appendiciis suis hanc generalem commemorationem fieri precepit. Qui ritus ad multas ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoriam solempnizari fecit[1]. Anno XVI° Roberti regis invente sunt in civitate Atrebatensi multorum sanctorum reliquie, ubi multa miracula facta sunt. Anno XVII° regis Roberti facta est magna inundacio maris, ad vesperam, ubi innumerabiles perierunt. Anno XVIII° regis Roberti de abbacia sancte Rictrudis Marchianensi expulsi sunt sanctimoniales, quam per trecentos et triginta annos possiderant; et relocati sunt monachi per Lietwinum abbatem sancti Vedasti, et Balduinum comitem Flandrensem[2]. Anno XXIII° Roberti regis ecclesia sancte Marie in civitate Atrebatensi fulmine concremata est, quarto kalendas augusti.

De regno Heinrici[3], filii Roberti predicti, et qualiter Burgundia iterum redacta est in provinciam. Cap. IV.

Anno Domini M° XXX°[4], Roberto Francorum rege mortuo, Heinricus filius ejus regnat in Francia, anno VI° Conrardi imperatoris, annis XXX. 1030.
Heinricus rex Francorum et Conrardus imperator confederantur. Heinrici regis mater Constancia maximam regni portionem in suam post funus mariti detorserat dominationem, Silvanectensem scilicet urbem atque Senonensem, castellum eciam Besonsiacum[5], et Domnum-Martinum, Puteolumque et Milidunum[6], necnon et Pissiacum et Codiciacum. Multos etiam Francie et Burgundie proceres sibi conciliaverat, quos a filii fidelitate mala fraude

[1] Cfr. Sigebertus ad an. 998, et Mabillonius, *Annal. Bened.*, lib. LI, num. 85.

[2] Id factum jussu Balduini comitis per Lietwinum seu Leduinum anno 1028, refert Mabillonius.

[3] Hujus nominis *primi*.

[4] Immo 1031, nam Henricus I patri Roberto successit die 20 julii anni 1031.

[5] Lege *Bistisiacum* (le château de Betisi).

[6] Seu *Melodunum* (Melun).

subduxerat; inter quos precipue Odonem Campanie comitem sibi devinxerat, cui medietatem Senonice civitatis donaverat. Verum rex Heinricus, cum esset miles acerrimus, et matrem adversus se calcitrantem cognovisset, consultu suorum procerum omnia matris machinamenta sua pessumdedit prudencia. Siquidem primo congressionum suarum principio cum matre conseruit[1] Constancia, et castrum adorsus Pissiacum mox illud suum retorsit ad dominium; demum vero Puteolum obsedit atque recepit. Quod cernens Constancia mox ab eo dextras expetiit, et deinceps, quoad vixit tempore, ipsi fidelis extitit. Robertus Wiscardus[2] et Richardus, minuende multitudinis causa, hoc tempore a Northmannia Francorum digressi, Apuliam expetunt, et, Ytalis inter se dissentientibus, dum alteri contra alterum auxilium prestant, hac oportunitate Ytalos callide et fortiter debellant, et successus urgendo suos nomen suum dilatant, et future prosperitatis sibi viam parant.

Burgundionibus non desistentibus a consueta contra regem suum insolencia, rex Rodulfus regnum Burgundie Conrardo imperatori tradidit, quod a tempore Arnulphi imperatoris, per annos plus quam centum XXX, gentis sue reges tenuerant; sicque Burgundia iterum redacta est in provinciam.

Odo Campanensis regnum Rodulphi regis, avunculi sui, a Conrardo imperatore, nepote suo, repetens, ut sub eo regat Burgundiam, efflagitat. Odo Campanensis, contra imperatorem bellans, Lotharingiam incursat, castella oppugnat, urbem Leucorum, que Tullus dicitur, obsidet, et in nullo temperat furori suo. Odo Barum castrum obsidet et capit. Gothelo dux, egre ferens insolenciam Francorum, cum Lotharingis occurrit Odoni, et conserto bello apud Barum Odo perimitur, et Francorum exercitus gravi cede attritus a Lotharingia fugere compellitur.

Martinus in cronica sua hic scribit de tribus in papam ordinatis insimul[3]. Eo tempore Benedictus, symoniace papatu Romano invaso, cum esset rudis litterarum, alterum ad vices ecclesiastici officii exequendas secum papam consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tercius superducitur, qui solus vices duorum impleret. Tunc uno contra duos, et duobus contra

[1] Alibi *concurrit*.
[2] Alibi additur : *Godefredi frater*.
[3] Vid. Martini Poloni Chron. ad an. 1032, e quo descripta sunt, quae sequuntur.

unum de papatu altercantibus, rex Heinricus [1], qui Conrardo successerat, contra eos Romam vadit, et eis canonica et imperiali censura depositis, Sindegerus Babembergensis episcopus ordinatur Romanus episcopus, et Clemens secundus vocatur. Rex autem Heinricus in imperatorem ab eo benedicitur, jurantibus Romanis se sine ejus consensu nunquam papam electuros. Nix tanta in Occidente cecidit, ut silvas frangeret.

Balduino Flandrensium comite mortuo, Balduinus, cognomento Insulanus, filius ejus, succedit : qui Insulanus ideo vocatur quod castrum, quod Insula dicitur, condidit, et templum sancti Petri in eo construxit. Damaso papa mortuo, qui Clementi successerat, Bruno Tullensis episcopus Romane ecclesie ordinatur papa, qui vocatus est Leo IX[us] hujus nominis papa. Hic cum ad capescendam sedem apostolicam Romam tenderet, audivit voces angelorum cantancium : « *Dicit Dominus : Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis.* » Hic de multis sanctis cantus composuit, et multa fecit et scripsit ecclesie utilia. Hic cum in papatu pauperem leprosum ante fores invenisset, eum diligenter in lecto suo collocavit : quem cum reserato ostio non invenisset, in pauperem se Christum suscepisse obstupuit. Francia turbatur per Berengarium Turonensem, qui asserebat eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse revera corpus et sanguinem Christi, sed figuram corporis et sanguinis Christi, unde contra eum et cum eo multum a multis et verbis et scriptis disputatum est.

Balduinus comes Flandrensis, invaso Haginonensium [2] comitatu, contra imperatorem rebellat. Odone comite a Gothelone duce Lotharingie apud Barum, ut supra diximus, occiso, filius ejus Theobaldus major natu Carnotensem urbem et Turonensem sibi vendicavit ; minor vero, nomine Stephanus, Meldensium et Trecassinorum sortitus est civitates. Sed hii ambo contra regem Heinricum rebellare ceperunt [3] : rex autem primum cum Stephano congressus, illum superavit atque fugavit, comite Rodulpho retento. Demum Gaufridum Andegavensium comitem excitavit, unde ejus nutu

[1] Scilicet Henricus III (*Henri le Noir*), rex Germaniae.

[2] In aliis MSS. *Haynonensium.*

[3] Theobaldus et Stephanus (inquit Bouquet, *Rerum gall. Script.*, t. XI, p. 364) in Henricum insurrexere, armis repetituri Doncheriacum, villam ditionis suae ad Mosam sitam, quam rex sibi vindicaverat, et postea Gozeloni Lotharingiae duci in beneficium concesserat, nulla ratione habita juris S. Medardi Suessionensis monasterii, cui haec villa subjecta erat.

comes Gaufridus urbem obsidione cinxit Turonicam. Quod audiens Theobaldus cum suis viribus eo tetendit, sed Gaufridus ei obviam procedens cum eo viriliter decertavit, eumque superavit, et cum septingentis et sexaginta militibus cepit, a quo etiam eodem tempore Turonicam extorsit civitatem. Denique rex Heinricus construxit ecclesiam juxta menia Parisiace urbis in honore sancti Martini, que nunc ecclesie Cluniacensi subjacet, et dicitur ecclesia sancti Martini de Campis. Heinricus rex, pacato suo regno, duxit uxorem [1], ex qua genuit filios tres : Philippum, Robertum et Hugonem. Ex quibus Robertus puer mortuus est; Hugo vero factus juvenis uxorem duxit filiam Herberti [2] comitis Viromandensis, natam ex filia Rodulphi comitis, per quam obtinuit comitatus duos, Viromandensem et Vadensem. Ex qua cum genuisset filios et filias, divino amore succensus, cum exercitu Gallorum et Germanorum Jherosolimam profectus est, et in itinere defunctus est.

De bello imperatoris contra Balduinum comitem Flandrie. Cap. V.

Anno XXI° Heinrici regis Francorum Balduinus comes Flandrensis Insulanus cum filio suo Balduino rebellat contra imperatorem Heinricum, invaso Monte Castriloco. Modus autem invasionis hic fuit : Herimanno comite Montensi mortuo, Balduinus junior filius ejus Balduini, uxorem duxit Richildem, relictam Hermanni comitis, inconsulto imperatore, et sic Haimonensium invasit comitatum. Anno XXIII° ejusdem regis Balduinus major Tudunum [3] incendit, Balduinus autem junior Hoyum vastat, et utrinque incendunt. Anno XXIIII° ejusdem regis imperator Heinricus, motus [4] animo, innumerabilem exercitum congregavit, et ductu Johannis advocati Atrebatensis, quem Balduinus comes Flandrensis exheredaverat, et qui ad imperatorem transiverat, contra Balduinum venit, et in Brachanto super ripas fluvii Scaldi tentoria sua fixit. Quo audito Balduinus et ipse exercitum congregans, ex alia parte fluminis consedit, sed exercitus ejus in comparatione imperatorii erat parvissimus. Imperator autem, quia flumen transire non poterat, misit terciam partem exercitus sui per Cameracum et per Slusam [5].

[1] In aliis exemplaribus additur : *nomine Annam, filiam Georgii Sclavi regis.*
[2] Seu *Huberti.*
[3] Seu *Tudinium.*
[4] Seu *commotus.*
[5] Alia exemplaria habent : *Exclusam.*

ignorante Balduino, ut exercitum ejus comprehenderent a tergo. Balduinus ergo, videns ita se comprehensum, cum exercitu fugit et fluvium, qui dicitur Lis, transivit. Comes autem Lambertus Lovaniensis [1], qui ad auxilium ejus venerat cum magno exercitu militum, clausit se infra urbem Tornacum. Imperator autem Heinricus, videns fugisse Balduinum, transivit fluvium et obsedit Tornacum civitatem, cepit Lambertum comitem et eum occidit, quosdam autem militum secum adduxit et alios interfecit, sicque per Flandriam transiens, incendiis atque rapinis usque ad fluvium Lis terram vastavit. Hoc autem factum est anno Domini M° LIIII°. Tercio vero post- 1054.

Lambertus comes occiditur.

hec anno Heinricus obiit gloriosus imperator; successit ei filius ejus ei equivocus. Timore hujus Heinrici imperatoris fecit Balduinus comes fossatum magnum a comitatu Lensensi usque in mare descendentem, quem vocant Bolanum-rivum, ne iterum aliquis imperator haberet per terram Flandriarum liberum transitum [2]. Pontifices Romani, qui tempore Heinrici regis Francorum ecclesie prefuerunt: Benedictus, Silvester, Gregorius, Clemens, Damasus, Leo, Victor, Stephanus, Benedictus, Valitinensis episcopus, Nycholaus. Imperatores Romani: Conrardus, Heinricus filius ejus, et Heinricus, filius hujus Heinrici.

De regno Philippi [3], filii Heinrici regis. Cap. VI.

Anno Domini M° LX° [4], anno V° Heinrici imperatoris, Heinricus rex Franco- 1060.
rum senio se gravari conspiciens, filium suum Philippum in die Penthecostes consecrari fecit, ante altare beate Marie, a Gervasio Turonensi episcopo, astantibus quamplurimis Francie, Burgundie et Aquitanie archiepiscopis, et episcopis viginti duobus. Affuit eciam Hugo Bisantinus archiepiscopus.

[1] Non is erat *Lambertus comes Lovaniensis*, qui *Baldericus* dicitur, sed alius ab eo plane diversus, scilicet *Lambertus comes Lensensis*. Vide *Recherches sur l'hist. des comtes de Louvain*, p. 41.

[2] Boulanam leucarum IX fossam (inquit Bouquet, *Op. cit.*, t. XI, p. 365), ductam a Claromarisco seu castro Rufholtano ad Ariam, Basseam, Lensum usque, Morini vocant Fossam-Novam (le *fossé-neuf*); quamquam Malbrancquus in monumentis haud spernendis comperit hanc dictam Fossam-Veterem. Ipsa Atrebates seu Artesiam Claromariscum inter et Lisam a Flandris, linguamque gallicam a theutonica disterminat.

[3] Hujus nominis *primi* Galliae regis.

[4] Immo anno 1059.

Nycholai pape legatus; affuerunt abbates quamplurimi, et primates regni. Wido dux Aquitanie, Hugo, filius Roberti ducis Burgundie, cum multis aliis. Non multo post defuncto patre puer positus est sub custodia Balduini Flandrensis comitis, qui eum fideliter et nobiliter educavit, et regnum ejus strenue rexit et defendit. Regnavit autem Philippus in Francia *annis* XLIX[1]. Rex autem postquam ad juveniles annos pervenit, regnum suum integrum recepit, et, defuncto tutore suo Balduino comite, hic Philippus rex filiam Florencii ducis Frisonum, Bertam, in uxorem duxit, ex qua Ludovicum et filiam Constanciam genuit : que, cum adulta esset usque ad nubiles annos, nupsit Hugoni Trecassino comiti. A quo postea disjuncta propter consanguinitatem, nupsit Balduino[2] comiti[3] Barriensi, viro magnanimo et strenuo. Anno VI° Philippi regis Haruwich[4] rex Nordanymbrorum cum mille pene navibus venit in Angliam regnaturus, et in urbe Eboraci plus quam mille laicos et centum presbiteros de Anglia occidit. Cui Araldus[5] rex Anglorum cum septem legionibus superveniens, eum cum multis occidit. Interim Guillelmus comes Northmannorum cum Francis Angliam intrat, et conserto cum Anglis prelio Araldum cum multis millibus[6] perimit, et regnat in Anglia annis XXVI[7].

Comes Normannorum invadit Angliam.

Anno XII° Philippi regis Francorum, Balduino Insulano comite Flandriarum, tutore ejus, ante triennium defuncto, Balduino quoque filio ejus (qui Hasnoniensis dicitur propter cenobium Hasnoniense, quod reedificaverat, qui utrumque comitatum tenebat, Flandrensem per patrem, Hainonensem per Richildem comitissam, viduam Hermanni comitis Montensis, cui nupserat) mortuo, Robertus frater ejus, qui Friso dictus est, qui vivente patre apud Audenardum super Sanctorum reliquias, ex ecclesiis Flandriarum ibi congregatas, vidente patre et annuente, presentibus eciam omnibus Flandriarum baronibus, fide interposita juraverat, se nunquam patre vivente absque ejus jussu in Flandriam intraturum, nec post mortem ejus nichil reclamaturum, in Frisiam discessit, et apud comitem Florentium mansit. Quo defuncto uxorem ejus in conjugium accepit. Mortuo autem, ut prediximus, Balduino fratre ejus, consensu Flandrensium

[1] Seu XLVIII.
[2] Lege *Boadmundo.*
[3] Alias *principi.*
[4] *Harwich*, apud Sigebertum ad. an. 1066.
[5] Seu *Eraldus.*
[6] In aliis MSS. legitur : *cum multis militibus.*
[7] Seu XXI.

contra Arnulphum, filium Balduini fratris sui. Flandriam perjurus occupavit. Arnulphus vero comes juvenis cum Philippo Francorum rege apud Casletum occurrit patruo suo Roberto, et pugna conserta Arnulphus perimitur. Quo interempto statim Philippus rex et Richildis comitissa Balduinum fratrem Arnulphi, vix decennem, comitem statuunt. Robertus vero consilium habuit cum Eustacio comite Boloniensi, cujus frater erat episcopus Parisiensis, qui erat cancellarius et regis consiliarius, ei multa promittens ut fratri suo suaderet, quatenus regem faceret ab hoste discedere et de tota Flandria; si ei cederet, comes Eustacius faceret suum velle. Sed antequam hec res ad effectum veniret, interim pugna committitur, et multis occisis, hinc Richildis Arnulphi mater, illinc Robertus capitur, et altero pro altero relaxato bellum inter eos vario eventu protrahitur. Rege vero consilio episcopi Parisiensis et comitis Eustacii inde recedente, Richildis cum filio suo Balduino regis auxilio destituta, ad comitatum Hainonensem tristis discessit; sicque Robertus perjurus injuste et fraudulenter comitatum Flandrensem invasit. Anno IV° abhinc transacto, Balduinus puer, comes Hainonensis, frater Arnulphi apud Casletum occisi, ad Donengium bellavit contra exercitum sui patrui Roberti, quem pugnando devicit. Robertus enim de comitatu Hainonensi exheredare eum cupiebat, sicut de Flandrensi exheredaverat. Post paucos annos idem Robertus Jherosolimam adiit, quam tunc possidebant Saraceni: cumque portam civitatis vellet intrare, porta se clausit spontanee. At ille hoc videns nimio terrore correptus est, intelligens hoc sibi non esse prosperum prodigium. Abiit ergo inde ad quemdam heremitam prope civitatem manentem, quem audierat virum esse sanctum et religiosum, ut faceret confessionem peccatorum suorum. Audita autem vir sanctus illius confessione, injunxit ei penitenciam de Arnulpho nepote suo, quem occiderat, et dixit ei, ut, si vellet habere Deum propicium, Balduino alteri nepoti suo redderet Flandriam, quam ei abstulerat. Ille autem, adhuc nimis timoratus de porte prodigio, annuit heremite consilio, venitque ad portam, que ultro aperta est ei. Cum autem in civitate degeret, in domo cujusdam prepotentis Saraceni, audivit ab astrologis Saracenorum et divinis, Jherusalem in proximo capiendam esse a christianis: que capta est non multo post, XXXIV° anno Philippi regis. Robertus autem reversus de itinere Jherosolomitano, Duacum tantummodo reddidit Balduino comiti Hainonensi, nepoti suo: ipse autem paucis annis transactis mortuus est apud

De via Jherosolimitana Roberti comitis, et quomodo Jherusalem clausit se contra eum.

Casletum, absque viatico, et ibidem sepultus. Successit ei Robertus filius ejus. Anno XIX° Philippi regis inceptum est cenobium sancti Salvatoris in Insula, que dicitur Aquicinctus, a viris illustribus, Sigero scilicet atque Gualtero, annuente et concedente Gerardo Cameracensi episcopo.

Anno XXXI° Philippi regis Wilhelmus rex Anglorum, vir singularis censure et severitatis, obiit: Wilhelmus filius ejus[1] succedit. Philippus rex, anno regni sui XXXV°, excommunicatur ab Urbano papa cum toto regno suo[2], quia vivente uxore sua Berta, comitis Andegavensis adhuc viventis[3] uxorem superduxerat.

De via Iherosolomitana, et de bello Christianorum contra paganos.
Cap. VII.

1096 Anno ab incarnatione Domini M° XCVI°, Philippi vero regis XXXVI°, via Jherosolomitana incepta est, apud Claremontem in Alvernia[4], per auctoritatem Urbani pape et exhortationem Aimari Podiensis episcopi. Affigunt igitur cruces in palliis suis duces, comites, potentes, nobiles et ignobiles, divites et pauperes, liberi et servi, episcopi, clerici, monachi, senes et juvenes, pueri et puelle: omnes uno animo, nullum ullo angariante, undique concurrunt, ab Hispania et Provincia, ab Aquitania et Britannia, a Burgundia, a Germania, a Longobardia, ab Apulea et ab aliis regnis. Eminebant in hoc hostico dux Lotharingie Godefridus, et fratres ejus Eustacius et Balduinus, Anselmus de Ribodimonte, Balduinus comes Montensis, Robertus comes Flandrensis, consobrinus ejus; Stephanus comes Blesensis, Hugo, frater regis Francorum, Robertus dux Northmannie, Raymundus comes Sancti Egidii, Boemundus dux Apulie, et Tancredus.

[1] Alibi additur: *cognomento Rufus.*

[2] In aliquibus MSS. desunt verba: *cum toto regno suo;* et recte. Neque enim interdicto ecclesiastico alia supposita erant loca, praeter ea in quibus Philippus et Bertrada versarentur. Quod quidem, ait Bouquet, ea diligentia observabatur, ut ipsis praesentibus silerent ubicumque campanae; recedentibus vero pulsabantur omnes continuo.

[3] In aliis MSS. legitur: *quia, vivente uxore sua Bertha, comitis Andegavensis, adhuc viventis, uxorem Bertradam superinduxerat.* Adversus regiam istam pellicem Bertradam, vide Ivonis Carnotensis episcopi epistolas 13 et 14, et Bertoldum ad. an. 1094.

[4] Seu *Arvernia.* Claremontense concilium, in quo primum decreta est expeditio Hierosolymitana, habitum fuit anno 1095; anno autem sequenti iter agressi sunt cruce signati.

Canonici Atrebatenses, egre ferentes se tam diu ecclesie Cameracensi subesse, eo maxime quod videbant Walericum [1] ab episcopatu Cameracensi expulsum, et Manassem subrogatum, coram Urbano papa querelam deponunt, asserentes sanctum Vedastum a sancto Remigio civitati Atrebatensi proprie ordinatum episcopum: et, ut episcopus sibi proprius ordinetur, a papa expetunt. Urbanus autem papa, peticionem eorum justam judicans, ordinavit eis episcopum Lambertum Morinensem archidyaconum. Hoc actum est anno Domini M° XCV°. Interpositio de episcopatu Atrebatensi.

Exercitus Dei aggressus terminos paganorum viriliter agit; primumque eis fuit bellum ad pontem Parphar fluminis, IX° kalendas martii, ubi multi Thurcorum occisi sunt. Secundum eis fuit bellum apud Nycheam, IV° nonas martii, in quo etiam pagani devicti sunt. Capta ergo Nychea, capta eciam Laodicea, cum essent plus quam trecenta millia armatorum in exercitu Christianorum, tanta eis omnium rerum suppetebat copia, ut aries uno nummo, bos vix duodecim nummis venderetur.

Anno verbi incarnati M° XCVIII°, Urbani autem pape anno IX°, Heinrici vero imperatoris quarti anno XLII°, porro Philippi I[i] regis Francorum XXXVIII°, et Wilhelmi Anglorum regis secundi anno VI°, dilectus a Deo Cisterciensis ordo sumpsit inicium. De ordine Cisterciensi

Eodem anno obsessa est Antiochia a principibus Francorum, et IX° mense capta. Christiani versa vice a paganis obsessi, fame afflicti sunt; tandem per lanceam Domini in monasterio sancti Petri inventam animati, ipsa lancea eos precedente, portas eruperunt, et obsessi obsessoribus concurrerunt, IV° kalendas julii, et paganis pene omnibus interfectis eciam hanc tercio bello victoriam adepti sunt Christiani. Quartum bellum fuit eis in Romania, kalendis julii, et ibi Thurci victi sunt. Commissa est civitas Antiochie duci Boëmundo; reliqui autem principes et Christiani attendunt ubi peragendi fecerant votum: proficiscuntur in Syriam [2], et expugnatis Matra et Barra, urbibus Saracenorum, et inclitis [3] regionum cas- Bellum Christianorum contra paganos.

[1] Lege *Walterum* seu *Gualtherum*, qui in concilio Claremontano anno 1095 ab Urbano II fuit excommunicatus, tum quia restitutioni sedis episcopalis Atrebatensis consentire noluerat, tum maxime quia sedem episcopalem per pecuniam adeptus fuerat, et virgam atque annulum de manu imperatoris simoniacus susceperat.

[2] In omnibus fere MSS. locus ille perquam mendosus est; itaque legendum : *Reliqui autem principes et christiani ad Hierusalem tendunt, quo peragendi fecerant votum; proficiscuntur itaque in Syriam, etc.*

[3] Pro *et inclitis* alias legitur : *et multis.*

tellis, tanta ibi rursus fame afflicti sunt, ut corpora Saracenorum jam fetencia comedere compulsi sint. Tandem apud quoddam munitissimum castrum, nomine Archas, ab Jherusalem octo mansionibus distans, pervenerunt; ubi Anselmus de Ribodimonte lapide percussus in capite occubuit, et multi alii interfecti sunt; tamen ipsi victores castrum obtinuerunt. Tunc accepto communi consilio, absque ulla mora vel dilatione, ad Jherusalem

Captio Jherusalem. obsidendam pergunt. Obsidionis autem die XXXIX° capta est Jherusalem,

1099. ineffabili miraculo, ydibus julii, feria sexta, anno Domini M°XCIX°. In templo Salomonis et in porticu ejus Christiani, cum paganis quinto bello conserto, tanta in eis cede debaccati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum. Tunc electione et consilio omnium Godefridus dux Lotharingie constituitur princeps et dux Jherosolimorum. Principibus jam de repatriando agentibus, ecce rex Saracenorum ad debellandos eos venit Ascaloniam, cum centum millibus equitum et quadringentis millibus peditum. Quibus cum occurrisset exercitus Domini, in quo non plus quam quinque millia equitum et quindecim millia peditum erant, Deo pro servis suis ad se clamantibus pugnante, et nube eos ab estu solis defendente, Saraceni solo Christianorum impetu territi, omnes projectis armis fugerunt, et in hoc sexto bello, IV° kalendas augusti facto, cesa sunt centum millia paganorum; in porta vero Ascalonie suffocati sunt duo millia, et aliorum, qui in mari perierunt, et qui inter spineta silvarum consumpti sunt, numerus nescitur. Capta est autem Jherusalem post annos circiter quadringentos sexaginta, ex quo sub Eracleo imperatore, secunda vice capta, possessa est a Saracenis.

1100. Anno Domini M° C° Godefridus, dux Lothariensium et princeps Jherosolomitarum, moritur. Balduinus frater ejus in regno ei succedit. Wilhelmus quoque rex Anglorum moritur, eique succedit in regno Heinricus frater ejus.

Robertus comes Flandrensis, reversus de Jherusalem, cepit inquietare urbem Cameracum, contra quem Heinricus imperator proficiscitur, et aliquibus ejus castellis expugnatis, asperitate instantis hyemis redire compellitur. Postea Legie generali conventu habito, Robertus comes in gratiam imperatoris recipitur.

Balduinus rex Jherusalem civitatem, que quondam Ptolemais, nunc autem Accon[1] dicitur, cepit, et innumerabilem paganorum multitudinem gloriosa victoria contrivit.

[1] *Acron* vel *Acra; Accaron* apud Sigebertum.

Heinricus, filius Heinrici imperatoris, patri suo rebellat. Cap. VIII.

Heinricus, filius Heinrici imperatoris, a patre aversus, quoscumque potest ab eo avertit, et sub obtentu meliorande reipublice et restaurande ecclesie in eum consurgit, et hoc totum consilio Romanorum[1]. Quantum[2] indigne vero eum tractaverit, declarat epistola ex ore ipsius patris scripta ad Philippum regem Francorum. Et hec sunt de quibus in illa epistola conqueritur : In primis quod contra fidem et sacramentum, quod ut miles domino juraverat, regnum ejus invasit, episcopos et abbates ejus deposuit, inimicos et persecutores illius substituit; in diebus adventus dominici in quodam castello eum inclusit: in ipso eciam sacratissimo die nativitatis dominice, unde imperator magis conqueritur, communionem sacram denegavit: fame et siti cruciavit; insignia regni, coronam scilicet, crucem, lanceam et gladium, violenter ab eo extorsit: et, nisi propria manu regnum et omnia regalia exfestucaret, mortem minavit. Cum autem in illo castello esset inclusus imperator, quidam fidelis ejus misit ad eum nuncium, dicens quod, si ibidem remaneret, aut in perpetuam captivitatem raperetur, aut in eodem loco decollaretur. Quo nuncio imperator perterritus, illico aufugiens venit Coloniam, et inibi aliquot dies commoratus postea Leodium abiit, in quibus locis viros fideles invenit. Hec continentur in epistola ad Philippum regem missa[3].

Imperatore Heinrico morante Leodii, filius ejus Aquisgranum venit, et volens venire Leodium contra patrem suum, quinta feria dominice cene premisit suos preoccupare pontem apud Wisatum, ne quis sibi venienti obstaret: sed militibus patris concurrentibus ad preoccupandum pontem, milites filii a ponte repelluntur, aliis eorum captis, aliis in Mosam dimersis, aliis occisis, inter quos etiam Bruno comes occisus est : sic filius contra patrem veniens rediit inglorius. Coloniensibus fidem imperatori servantibus, at eorum archiepiscopo filium imperatoris contra patrem suum animante, Colonia obsessa oppugnatur, et inde expugnatur[4]. Interim Heinricus imperator Leodii moritur, eique succedit filius equivocus ejus. Balduino comite Hainoniensi in expeditione Jherosolomitana mortuo, Balduinus filius

[1] Scilicet anno 1104.

[2] Alias *quam*.

[3] Cfr. Henrici IV epistolam ad regem Celtarum (regem Galliae Philippum I), apud Baronium ad an. 1106, t. XVIII, p. 174, edit. Mansii.

[4] In aliis MSS. legitur : *nec tamen expugnatur*.

ejus successit. Qui circumventus quibusdam pactionibus a Roberto Flandrensium comite, consobrino suo, Duacum castrum perdidit. Heinricus imperator ad auxilium Balduini contra Robertum exercitum ducens, contra Duacum vadit, et, pacto pacis magis utrimque simulato quam composito, pene inefficax redit.

Boëmundus dux Apulie, contracto undecunque exercitu, accingitur ad invadendum Constantinopolitanum imperium. Posthec defunctus est rex Philippus, anno ab incarnatione Domini M° C° IX° [1], pridie kalendas augusti, apud castrum Militonense [2]. Cujus corpus secundum dispositionem patris Ludovicus deferri fecit ad monasterium Floriacense, et in monasterio sancti Benedicti [3] sepulture mandari.

Imperatores Romani, qui Philippo regnante imperaverunt : Heinricus IIII^us^, Heinricus V^us^, pater scilicet et filius. Romani pontifices : Nycholaus, Alexander, Gregorius VII^us^, Victor, Urbanus.

De regno Ludovici septimi [4], *qui cognominatus est Ludovicus Grossus.* Cap. IX.

1109. Anno Domini M° C° IX° episcopi, qui ad exequias Philippi regis convenerant, post exequias statim Aurelianis convenerunt, et propter perturbaciones regni, salubri accepto consilio, Ludovicum juvenem, religionis amatorem, moribus mansuetum, armis strenuum, bello acerrimum, in die inventionis prothomartyris Stephani in regem unxerunt, ante altare sancte crucis, et coronam capiti imposuerunt. Danibertus Senonensis archiepiscopus, Yvo Carnotensis, Johannes Aurelianensis, Hubertus Silvanectensis, Walo Parisiensis, Manasses Meldensis, Hugo Nivernensis episcopi, et episcopus Anthisiodorensis [5] affuerunt. Heinricus imperator Paschalem papam, qui Urbano II° successerat, episcopos et cardinales cepit, et in custodiam posuit : pro qua causa excommunicatus est ab omni ecclesia. Lamberto episcopo Atrebatensi mortuo, Robertus archidyaconus ejusdem ecclesie ei succedit. Baldricus [6] episcopus Laudunensis, cives ipsius urbis a sacramento perperam jurate communitatis revocare nisus, a sediciosis ad arma

[1] Immo anno 1108.
[2] Alias *Melodunum*, Melun.
[3] *Saint-Benoît sur la Loire.*
[4] Immo *sexti.*
[5] Seu *Altisiodorensis.*
[6] Immo *Waldricus.*

concurrentibus, quod dictu nephas est, gladio confossus interiit, feria quinta ebdomade paschalis, VII° kalendas maji, in letania majori. Tumultuante eciam impetu confuse multitudinis domus episcopi succenditur, unde eciam ipsa mater ecclesia sancte Marie, et ecclesia sancti Johannis Baptiste, in abbatia monialium, cum aliis ecclesiis omnibus e vicinio appendentibus, concrematur. In auctores sedicionis a rege Francorum tam severe est vindicatum, ut tam presentes quam futuros a simili scelere deterrere possit exemplum.

Thurci cenobium monachorum, in monte Thabor situm, funditus evertunt, et monachis cum reliquis omnibus interfectis omnia sibi diripuerunt.

Robertus secundus, comes Flandrensium, cum equitaret super pontem Meldensem cum multitudine militum, casu cecidit, et conculcatus pedibus equorum ibi vitam finivit. Corpus ejus apud Atrebatum relatum est, et in ecclesia sancti Vedasti sepultum. Successit ei Balduinus, cognomento Hapiola [1], filius ejus.

Heinricus imperator, cum magna optimatum suorum gloria [2], natale Domini celebrat Moguncie, ibique uxorem ducit filiam Heinrici regis Anglorum.

Anno X° Ludovici regis Francorum Balduinus, secundus rex Jherusalem, moritur, frater Godefridi, ducis Lotharingorum et primi regis Jherosolomitarum : fuerunt autem filii Eustacii comitis de Bolonia ex Yda, sorore Godefridi Gibbosi, ducis Lotharingorum. Quibus de medio factis tercius regnat Balduinus, filius Hugonis comitis de Reista [3].

Paschali papa mortuo, Johannes Gaitanus, qui et Gelasius, ei successit. Heinricus imperator tunc temporis morabatur in Ytalia : cum autem audisset Paschalem papam esse mortuum, Romam tendit ad eligendum papam. Gelasius autem presenciam ejus veritus, jam electus et ordinatus, secessit Capuam. At imperator, quia electioni non interfuit, nec ordinationi consensit, aliquibus Romanorum faventibus, Hispanum quendam, Burdinum nomine, satis clericum, ei superordinari fecit.

Balduino comite Flandrensium absque liberis defuncto, Karolus, Roberti comitis patris ejus ex sorore nepos, substituitur, filius regis Danorum.

Johannes Gaitanus, qui et Gelasius, papa Cluniaci moritur, et ibi sepe-

[1] Baudouin *à la Hache*, ou *Hapkin*.

[2] Seu *copia*.

[3] Seu *Reitesta*.

litur. Wido Viennensis archiepiscopus in papam eligitur, et Calixtus III[us] vocatus, Cluniaci benedicitur. Heinricus imperator, cum sibi faventibus, ab eodem papa et ab omni ecclesia pro suis injusticiis excommunicatur. Burdinus pseudopapa, Sutrii positus, dum peregrinos Romam euntes vel redeuntes turbat et depredatur, tandem ut vilissimus apostata capitur et in monachum attonditur. Thyrus a Christianis capitur.

Anno XVII° regis *Ludovici*, Heinrico imperatore mortuo, Lotharius [1] dux Saxonum, vir sapiens et industrius et ecclesiastico juri devotus, prepotens diviciis et victoriis, omnium assensu eligitur et consecratur [2].

De interfectione comitis Flandrensis, et aliis incidentiis. Cap. X.

Anno XIX° Ludovici regis solutus Sathanas terras perambulat; Flandriam et Burgundiam longo terrarum situ disjunctas conjurat in apostasia proditoris Jude. Quidam proditores Flandrenses, timentes dampnari pro suo scelere, dominum suum Karolum, comitem Brugensem, jugulant in ecclesia sancti Donatiani, ante altare psalmos canentem et eleëmosinam dantem. Unus atque idem Sathanas uno atque eodem die simile nephas presumit in Burgundia : dampnati quidam, dum diffidunt sue saluti, utpote rei majestatis, dominum suum Wilhelmum comitem Sedunensium gladiis confodiunt, in quadam ecclesia ante altare orantem : actum secunda ebdomada quadragesime, feria tercia. Homicide hac illacque diffugientes, diversis injuriis et digno satis sibi fine perierunt per industriam Ludovici regis Francorum. Comitatus Flandrensium a Ludovico rege Francorum datur Wilhelmo, filio Roberti comitis Northmannie, fratris Heinrici Anglorum regis. Hunc Robertum olim a Jherosolimis redeuntem, eo quod prestitam pecuniam reddere nequibat, idem frater Heinricus rex Anglorum a Northmannia expulerat et eam sibi subjugaverat, fratremque in Anglia in custodiam liberam redegerat. Orta sedicione et dissidio inter Guilielmum comitem et Flandrenses, annuentibus Equicio et Daniele, majoribus Flandrie, accersitur Theodericus, filius Theoderici ducis Alsacie, nepos Roberti comitis Flandrie ex sorore Gertrude. Sed dum Godefridus dux Lovaniensis Guilielmo

[1] Hujus nominis *secundus*.

[2] Scilicet anno 1125.

comiti auxiliaretur, congressio facta est utriusque exercitus ante castellum quod dicitur Alost; ibi Guilielmus comes quemdam militem aggrediens monomachia, in dextro brachio lanceatur, et subrepente dracunclo, quinto die moritur. Comitatus Flandrensium Theoderico datur a rege Francorum Ludovico, qui cognatus ejus erat ex matertera Gertrude. In Flandria multi fluvii sanguinei facti sunt, et fossata similiter.

Anno XXI° Ludovici regis, in die Pasche, rex Ludovicus consecrari fecit[1] Philippum filium regem post se, in presencia omnium episcoporum et optimatum regni sui, et statim moritur, ut in sequenti pagina patebit. Eodem anno plaga ignis divini Carnotum, Parisios, Suessionem, Cameracum, Atrebatum, Tornacum et alia multa loca mirabiliter pervadit, sed mirabilius per sanctam Dei genitricem Mariam extinguitur. Juvenes, eciam senes cum minoribus, virgines eciam tenere, in pedibus, in manibus, in mamillis, et, quod gravius est, in genis exuruntur, et celeriter extinguuntur[2]. Balduinus rex Jherusalem moritur. Calixto papa defuncto, Honorio quoque successore ejus de medio facto, Romane ecclesie pax interpolatur altercantibus duobus sediciosis de sede apostolica, quodam Gregorio et altero Petro Leonis, gente Romano, monacho Cluniacensi. Gregorius privilegium electionis ab Honorio papa adhuc vivente, consensu quorundam cardinalium, sibi usurpat; Petrus altitudinem sanguinis glorians, domum Crescentis invadit, cedibus hominum, rapinis, incendiis grassatur. Gregorius veritus potenciam Petri, profugus a sancto Paulo in Spoleto, emerso mari, tandem apud sanctum Egidium applicuit. Petrus, filius Leonis, papali nomine se vocat Anacletum; Gregorius autem se appellat Innocentium.

Incendium civitatum

Anno ab incarnatione Domini M° C° XXX° Innocentius papa in Franciam venit, anno XXIII° Ludovici regis Francorum, post festum sancti Luce evangeliste, et Remis concilium habuit cum episcopis et abbatibus trecentis, mediante ipso Francorum rege Ludovico cum filio suo, qui secundus erat natu, ei equivoco. Nam Philippus primus natu, antea coronatus, ante hos dies Parisios venerat, et, ut fertur, a demone ludificatus in specie porci, dum hac illac equum girat, subito corruit exanimis: unde 1130.

[1] Scilicet in die Paschae, 14 aprilis anno 1129.

[2] Vide continuatorem Sigeberti ad an. 1128. Quem quidem ignem alii *sacrum*, alii vero *ardentem* dixerunt. Eo etiam tempore pestis, vulgo *ignis infernalis* dicta, hominum genus vexare coepit.

pater valde mestus Remis adveniens Ludovicum, secundum natu filium, secum advexit, et a papa inungi et benedici, et coronari, et in regem imponi fecit.

De sancto Bernardo abbate.

Dominus abbas Bernardus Clarevallensis quasi stella matutina monachicum ordinem illustrat, et sanctitate, doctrina, miraculis eciam claret in Gallia. Cujus vita tantum excellit, ut parvum sit omne, quod in ejus laudem dictum vel scriptum fuerit. Ejus labore, fervore et solercia rabies Leonina, per Petrum filium Leonis in Romana ecclesia per octennium exercitata, ipsius instancia est sedata.

Theobaldus comes Blesensis sive Carnotensis, qui fuit pater Wilhelmi monachi [1], archiepiscopi Remensis, pre cunctis principibus Gallie magno pondere justicie eminet in Francia; religiosis, monachis et clericis pius ac familiaris, ecclesie defensor, pauperum adjutor, merentium consolator, in commerciis negociatorum cautus et discretus, in reis et a recto deviantibus ultor et vindex.

De monstro.

In civitate Tornaco natus est agnus unius corporis, duorum capitum, quatuor aurium, quatuor oculorum, octo pedum. In villa que dicitur Brania [2], mense aprili, natus est infantulus carens collo et capite, ocellos habens in spatulis.

Anno XXVIII° Ludovici regis Francorum cenobium sancti Vedasti Atrebatensis concrematur, cum claustro et officinis et magna oppidi parte: nec meminit aliquis nostra etate tot villas, tot civitates, tot castra, oppida vel municipia concremata fortuito igne, quot in hujus anni spacio combusta esse referuntur [3]. Eodem anno rex Heinricus Anglorum obiit, vir pau-

[1] Non *monachi* sed *modo* legendum, ita ut integra sit phrasis : *qui fuit pater Wilhelmi, modo archiepiscopi Remensis;* prout legitur apud Andream Sylvium, p. 832, et in chronico Andrensis monasterii (apud Martene, *Spicilegii* t. II, p. 802). Ut notat Sylvianae Synopseos editor, Raphaël de Beauchamps, adverbium illud *modo* perspicue indicat quonam tempore vixerit Andreas Sylvius, et quo circiter anno librum tertium suae *Synopseos Historiae Franco-Merovingicae* condiderit, scilicet circa annum 1176, quo Guilielmus de Campania, dictus *ad albas manus* seu *aux blanches mains*, ab ecclesia Senonensi transiit ad ecclesiam Remensem, quinquagesimus secundus hujus cathedrae archiepiscopus, ut aiunt *Galliae christ. nov.* editores, t. IX, p. 95. Guilielmus ille obiit anno 1202. Quae de ipsius patre Theobaldo IV, Campaniae comite, hic leguntur, descripsit Sylvius ex Anselmi Gemblacensis continuatione ad Sigebertum. Vide Pertz, *Monumenta Germ. hist.,* t. VI, p. 384.

[2] *Brania Comitis,* apud Montes Hannoniae.

[3] Haec de incendio abbatiae Vedastinae, facto anno 1136, et plurima eorum quae sequuntur, descripsit Sylvius ex alia continuatione Gemblacensi ad Sigebertum. Vide Pertz, *op. cit.*, t. VI, p. 385.

peribus et ecclesiis Dei multe benignitatis, ac per hoc multe liberalitatis. Obiit quoque eodem anno Ludovicus rex Francorum [1], qui hos habuit filios: Philippum, et Ludovicum juvenem, qui cum patre regnavit annis V et mensibus novem, post patrem annis XLIII: Heinricum archiepiscopum Remensem, Robertum comitem Perticensem, Petrum de Cortenai, strenuum militem. Habuit et filiam Constanciam, que primo desponsata est Eustachio comiti Boloniensi, filio Stephani regis Anglorum, secundo Raymundo comiti Tholosano: regnavit autem in Francia annis XXVIII [2].

Pontifices Romani, qui eo regnante prefuerunt ecclesie: Paschalis, Gelasius, Calixtus, Honorius, Innocencius. Imperatores Romani: Heinricus V[us], Lotharius secundus. Ludovici quoque regis tempore floruit dominus Norbertus archiepiscopus civitatis Partenopolis [3], que alio nomine Magdaborch [4] dicitur, a quo ordo Premonstratensis exordium habuit.

De regno Ludovici piissimi regis, filii Ludovici Grossi. CAP. XI.

Anno Domini M° C° XXXVI° [5], Lotharii autem imperatoris anno XI°, 115
Innocencii vero pape VII°, regnavit Ludovicus junior, filius Ludovici, in Francia; XLIII annis post patrem regnavit. Hic duxit in uxorem Aanordem [6], filiam Wilhelmi ducis Aquitanie: de qua genuit duas filias, quarum prior nupsit Heinrico comiti Trecensi, posterior Theobaldo Carnotensi et Blesensi comiti. Heinrico rege Anglorum, ut prediximus, mortuo, tunc successit ei in regno Stephanus nepos ejus, frater Theobaldi comitis Blesensis. Tamen non fuit justus successor, sed invasor, nam heres justus erat Heinricus puer, filius Goffridi comitis Andegavorum, quem genuerat ex imperatrice [7], filia Heinrici regis Anglorum. Hic, mortuo Stephano, successit in regno. Anno secundo Ludovici regis, Lothario imperatore mortuo, successit ei Conrardus, vir regii generis; erat quippe ex sorore nepos Heinrici quinti regis, quarti imperatoris hujus nominis.

Anno V° Ludovici regis Francorum Stephanus rex Anglorum capitur ab

[1] Obiit Ludovicus VI die 1 augusti 1137.
Immo annis 30 vel 31, ut aliis placet.

[3] Alias *civitatis Parthenopolitanae.*

[4] Alias *Magadaburch.*

Immo anno 1137, quo quidem anno, die 1 augusti, patri successit Ludovicus VII, dictus *Junior*, aetatis anno circiter decimo octavo.

[6] Alia exemplaria habent *Alienordem*; id est, Eleonoram, filiam Guilielmi X, ducis Aquitaniae.

[7] Alia exemplaria addunt: *Mathilde.*

hostibus suis, proditione suorum [1]. Eodem anno [2] plaga ignis divini multos adussit, sed per intercessionem sancte Dei genitricis Marie aliorumque sanctorum multis hac egritudine laborantibus misericordia Dei subvenit.

Anno VI° Ludovici regis Francorum Stephanus rex Anglorum, solutus a captione qua tenebatur, iterum Anglice genti principatur. Ludovicus rex cum magno exercitu contra Theobaldum comitem Blesensium, sibi rebellem, vadit; deinde aggressus castrum ejus, quod Vitriacum dicitur, oppidanos et milites sibi resistentes aut cepit aut occidit. Oppido succenso, in tantum ignis excrevit, ut castrum, quod in eo erat valde munitum, cum multo inhabitantium periculo concremaret. In hoc bello vel incendio capti, cesi aut concremati ad mille quingentos sunt estimati. Quo facto Theobaldus comes valde exacerbatus, principes Francorum, quos poterat, a regis avertebat amicicia. Innocencio papa mortuo, successit Celestinus, Celestino Lucius, Lucio Eugenius, qui et Bernardus, abbas sancti Anastasii, ordinis Cisterciensis monachus.

Ludovicus rex pacificatur cum comite Theobaldo, anno regni sui octavo. Civitas Edessa, que et Röaiz [3] dicitur, multo tempore a Christianis possessa, per negligenciam Christianorum et insidias paganorum ipsa nocte nativitatis dominice capitur, anno X° [4] Ludovici regis Francorum, et secundo [5] Balduini tercii, regis Jherosolimorum. Hic Balduinus filius fuit Fulconis regis Jherosolimorum, qui prius fuerat comes Andegavorum, et successerat Balduino de Reitesta in regnum. Northmanni, spreto dominio Stephani regis Anglorum, subdunt se regimini comitis Andegavorum.

De via secunda Jherosolimitana, et aliis incidentiis. Cap. XII.

1146 Anno Domini M° C° XLVI°, anno IX° Conrardi imperatoris Romanorum, XII° autem Ludovici regis Francorum, quarto eciam anno Eugenii pape, Christiani, dolentes de subversione urbis Edesse, uno animo et pari consensu ad debellandos paganos proficisci deliberant. In tantum autem erant omnes prompti et alacres ad hanc profectionem, ut eciam Conrardus rex Theuto-

[1] Scilicet anno 1141.

[2] Seu, ut aliis placet, anno 1142.

[3] Seu *Rohair*.

[4] Edessa a Noradino capta est anno 1144, itaque non *anno decimo* sed *anno septimo* regis Ludovici VII.

[5] Immo *anno primo* Balduini III, quinti regis Hierosolymorum.

nie et Ludovicus rex Francorum, religiosorum virorum [1] monitis animati, et ipsi prompto animo ad hanc expeditionem sese accingerent. Profectus quoque est cum eis Alvisus, qui ex monacho sancti Bertini et abbate Aquicinensi ordinatus fuerat post Robertum episcopus Atrebatensis, vir magne severitatis et religionis. Robertus enim obierat anno XXIII° Ludovici regis [2]. Theodericus eciam comes Flandrie et multi alii principes cum eis assumpserunt iter. Nichil prospere egerunt, sed tantis eorum exercitus attritus est infortuniis, tum fame, tum mortalitate, tum ferro hostium, ut de tot millibus tam copiose multitudinis vix pauci repatriaverint. Constat enim quod in hostico illo multa flagicia patrata sunt ab eis, et ob hoc ira Dei ascendente super eos omnis conatus eorum in vacuum cessit. Alvisus episcopus Atrebatensis in eadem expedicione moritur, et in civitate Tracie, que Finis-populi [3] dicitur, sepelitur.

Cameracum civitas ex magna parte sui incendio conflagravit, et principalis ecclesia cum claustro et palacio episcopi, monasterium eciam beati Autberti. Hoc eciam anno combustum est cenobium Sancti Sepulchri in eadem urbe, paucis annis a priore ejus combustione transactis.

Conrardus imperator anno imperii sui XIII°, et Ludovicus rex regni sui XIII°, sine ullo prosperitatis effectu procinctum solvunt, et ab itinere Jherosolimorum revertuntur.

Ludovicus rex Francorum, anno regni sui XVI°, Aanordem [4] uxorem suam repudiavit; que postea ad thorum transiit Heinrici regis Anglorum et ducis Northmannorum, filii Goffridi comitis Andegavorum. Ex illa igitur genuit hos filios: Heinricum regem Anglie, qui vivente patre obiit: Richardum ducem Aquitanie, qui nunc [5] regnat in Anglia; Goffridum comitem Britannie, et Johannem, qui dicitur sine terra: et filias tres, quarum unam duxit rex Toletanus in Hispania, alteram Willhelmus rex Sicilie, terciam Heinricus dux Saxonie. Ludovicus rex Francorum eodem anno [6] secundam duxit uxorem Constanciam, filiam incliti principis Hispanie Aldefonsi, qui

[1] Alia exemplaria addunt: *et precipue Bernardi abbatis Clarevallensis*. Cfr. Contin. Gemblac. ad Sigebertum, apud Pertz, *op. cit.*, t. VI, p. 389.

[2] Robertus I, episcopus Atrebatensis, obiit anno 1131.

[3] Lege *Philippopolis*: apud eam enim Macedoniae urbem morte correptus est Alvisus, anno 1148.

[4] Eleonoram.

[5] *Nunc* tempus designat, quo haec scripsit Andreas Sylvius. Mox eamdem vocem repetit.

[6] Anno 1154.

regnavit in Tholeto et Legione, et in terra beati Jacobi : de qua genuit duas filias, quarum unam duxit Heinricus juvenis, rex Anglie ; secundam Richardus dux Aquitanie, nunc rex Anglie, accipere debuit, sed ad ejus nupcias non pervenit. que nunc recenti tempore desponsata est comiti Pontivensi. In civitate Atrebatensi post beate memorie dominum Alvisum ordinatur Godescalcus, abbas de monte sancti Martini, quartus episcopus.

Anno XVIIº Ludovici regis, Conrardo imperatore mortuo, successit Fredericus illustris, nepos ejus, dux Suevorum. Ecclesia beati Bertini combusta est cum omnibus officinis suis in ipso festo sancti Bertini, dum matutinorum solempnitas ageretur.

Anno XVIIIº Ludovici regis migraverunt ad Dominum sancti patres. Eugenius papa et Bernardus Clarevallensis abbas. Anno XIXº Ludovici regis Stephanus rex Anglorum moritur, cui successit Heinricus nepos ejus. Eugenio papa defuncto, successit Anastasius, Anastasio Adrianus.

Anno XXº Ludovici Francorum regis Fredericus rex Romam armata manu ingreditur; qui, papam Adrianum amicum sibi et aptum experiens, in ecclesia sancti Petri benedictione imperiali confirmatur et coronatur.

Anno XXIIº Ludovici regis Heinricus rex Anglorum, post adeptum regnum ultra se elatus, quod diu mente conceperat, contra Ludovicum regem Francorum rebellat. Qui congregato exercitu Aquitaniam transiit, et urbem Tholosam obsidione cinxit : rex autem Francorum cum suis militibus civitatem potenter ingressus est, et a comite sancti Egidii et civibus cum magno gaudio susceptus est. Quod rex Anglorum cernens indoluit, et obsidione relicta inefficax rediit.

1161. Anno Domini Mº Cº LXIº, XXIVº Ludovici regis. orta est dissentio in ecclesia Romana [1]. Electus est enim Rolandus cancellarius ab omnibus cardinalibus preter quatuor : qui se clamans indignum non consensit electioni eorum : quatuor autem predicti cardinales, qui ejus electioni non consenserant, assumpta magna cleri et plebis frequencia elegerunt Octavianum. tituli sancte Cecilie cardinalem presbiterum, quem in Lateranensi ecclesia consecrantes Victorem appellaverunt. Quod videntes primi, Rolandum cancellarium, qui primus fuerat electus, conveniunt, et eum invitum in loco, qui Cisterna Neronis dicitur, consecrantes, alterato nomine Alexandrum ap-

[1] Alibi additur : *mortuo papa Adriano.*

pellaverunt. Hec contencio inter hos duos et successores Octaviani et Fredericum imperatorem ab anno XXV° Ludovici regis usque ad XLII^um^ nullum accepit remedium. Nam Octaviano successit Wido Cremensis; Widoni Cremensi Johannes Staimensis; Johanni Staimensi quidam qui vocatus est Innocencius. Summa autem istius scismatis est decem et octo annorum. Alexander papa, veritus potenciam imperatoris Frederici, profugus ab Ytalia emenso mari venit in Franciam, qui Turonis generale concilium celebravit. Obiit Balduinus rex Jherusalem, filius Fulconis regis, sine herede; succedit ei Amalricus frater ejus. Godescalcus Atrebatensis episcopus, infirmitate capitis gravatus, episcopatum dimisit : cui successit Andreas de ordine Cisterciensi quidam abbas, per suggestionem Heinrici Remensis archiepiscopi. Bella et sediciones, jurgia quoque et querelas, que emerserunt inter Ludovicum regem Francorum et Heinricum regem Anglorum, quis poterit enarrare? Nec michi utile videtur hec omnia scribere in hujus cronice abbreviatione. Constancia regina moritur, et in monasterio beati Dyonisii ad sinistram majoris altaris cum maximo honore sepelitur.

Anno XXX° Ludovici regis Francorum Thomas archiepiscopus Canthuariensis, primas totius Anglie et legatus apostolice sedis, ab Heinrico rege propter veritatem et mansuetudinem et justiciam exiliatur: qui a Ludovico rege Francorum et monachis Pontiniacensibus gloriose suscipitur. Anno XXXI° Ludovici regis obiit Theodericus comes Flandrensis; successit ei Philippus filius ejus. De sancto Thoma Canthuarensi episcopo

Anno XXXIV° Ludovici regis Heinricus rex Anglorum Heinricum filium suum in regem sublimavit, per manus Rogeri archiepiscopi Eboracensis ejusque suffraganeorum. Eodem anno, mediante Ludovico rege Francorum, pax inter regem Anglorum et Canthuariensem archiepiscopum composita est, magis ficta quam vera : qui conductu Philippi comitis Flandrensis post septennii exilii injurias ad sedem suam revertitur (*an.* 1170), in adventu Domini.

Anno XXXV° Ludovici regis Thomas, archiepiscopus Canthuariensis ac primas totius Britannie, V° die nativitatis dominice, a satellitibus Heinrici regis Anglorum, ante altare sancti Benedicti, capite mutilato effusoque cerebro, in congregacione preciosorum martirum coronatur a Domino.

Anno XXXVI° regis Ludovici obiit Andreas Atrebatensis episcopus: Robertus Ariensis prepositus in loco ejus eligitur, non consecratur. Eodem anno

Canonizatio sancti Bernardi.

Alexander papa dominum Bernardum Clarevallensem abbatem in numero sanctorum confessorum in ecclesia decrevit honorandum. Anno XXXIX° Ludovici regis, Robertus Atrebatensis electus, industria Philippi comitis ac potestate, Cameracensium episcopus eligitur. Frumaldus archidyaconus Atrebatensium ordinatur episcopus [1] Robertus, Cameracensium electus, a servientibus Jacobi de Avesnis apud Condatum ignominiose perimitur [2].

Anno XL° Ludovici regis magna circa nativitatem Domini fuit aquarum inundacio [3]. Nam Sequana, Axona et Ysara [4] alveos suos egresse, sub una nocte domos subverterunt et innumerabiles necaverunt.

Anno XLI° Ludovici regis obiit Amalricus rex Jherusalem; succedit ei Balduinus filius ejus, etate impotens et infirmitate.

Anno XLII° Ludovici regis facta est leticia magna in populo : nam Fredericus illustris Romanorum imperator, per inspirationem divine gratie deposito vanitatis errore, ad viam veritatis reversus est et ad obedienciam Alexandri pape.

Anno XLIII° Ludovici regis generale concilium apud Romam Alexander papa celebravit. Ludovicus rex Francorum, assumpto secum Philippo comite Flandriarum, Cantuariam pergit, sanctumque martirem Thomam diversis muneribus honoravit. Heinricus senior, Anglorum rex, honorifice eum suscepit. Eodem anno Philippum filium suum, quem genuerat ex Adela regina, filia comitis Theobaldi, quam post Constanciam reginam terciam uxorem duxerat, sublimat Remis in festivitate omnium Sanctorum [5], per manum Wilhelmi archiepiscopi. Ludovicus rex, anno regni sui XLIV°, Frederici autem imperatoris XXVIII°, Heinrici vero regis Anglorum XXV°, Alexandri pape XXI°, mense septembri, morbo paralisi, quo per annum fuerat dissolutus, vita caruit : qui regnum Francorum satis justo et pio moderamine gubernavit. Pontifices Romani qui eo regnante ecclesie prefuerunt : Innocentius, Celestinus, Lucius, Eugenius, Anastasius, Adrianus, Alexander. Imperatores Romani hii temporibus ejus imperaverunt : Lotharius secundus, Conrardus tercius, Fredericus primus.

[1] Frumaldus seu *Frumoldus* sedi Atrebatensi impositus est anno 1174. Obiit anno 1183.

[2] Praeferenda est sententia eorum qui Robertum ante consecrationem occisum dicunt, anno 1174 mense octobri.

[3] Anno 1177.

[4] In aliis MSS. legitur *Ysa*.

[5] Ludovicus VII filium suum Philippum, hujus nominis *secundum*, qui *Augustus* cognominatur, regem coronari fecit anno 1179.

De regno Philippi secundi, et de perditione Jherusalem. Cap. XIII.

Anno Domini M° C° LXXX°, Frederici imperatoris XXVIII°, regnavit 1180
Philippus filius Ludovici, hujus nominis rex secundus, in Francia annis XLIIII [1]. Philippus rex ante mortem patris sui uxorem duxit Elizabeth [2], filiam Balduini comitis Montensis, quam genuerat ex Margareta, sorore Philippi comitis Flandrensium. In iniciis regni regis Philippi, cum pax inter eos maxima et affectus propter predictas nupcias speraretur, instigante dyabolo, per comitem Claremontis et Rodulphum de Cociaco, filios etiam Roberti, cognomento Clementis, regis consiliarii, qui prosperitati Philippi comitis invidebant, pax est turbata: nam rex puer erat, et ipsum pro suo velle, sicut arundinem, ad suum placitum agitabant. Hec simultas inter regem et comitem duravit per quinquennium, et in tantum exagitata est, ut eciam ipsi episcopi cum principibus Francorum, preter Heinricum Silvanectensem episcopum, suaderent regi, ut Elyzabeth [3] reginam repudiaret (que erat pro etate sancta et religiosa) propter Philippi comitis odium: sed, interventu beatissime Dei genitricis, virginis Marie, cui prefata regina se totam in hoc negocio commiserat, et vigilias in ecclesia Silvanectensi cum magna cereorum claritate celebraverat, et pauperibus nudis pedibus ministraverat, rex non consensit consilio et artibus eorum, sed dilexit eam, et genuit ex ea filium, quem vocavit Ludovicum.

Anno tercio regis Philippi in regno ejus heretici multi sunt deprehensi, qui industria Wilhelmi, archiepiscopi Remensis, et Philippi comitis in civitate Atrebatensi et in multis aliis locis sunt ferri judicio et aque examinati; et deprehensi, sunt flammis traditi. Eodem anno obiit Frumaldus Atrebatensis episcopus; eligitur post eum Petrus abbas Cisterciensis, mediante Wilhelmo Remorum archiepiscopo. Anno V° regis Philippi Philippus comes Flandrie in pago Ambianensi regi satisfecit, et ad gratiam ejus rediit. Reddidit enim ei quedam castella in pago Vadensi et Viromandensi, que per Elyzabeth [4] uxorem suam, filiam Radulphi Viromandorum comi-

[1] Immo annis *quadraginta tribus*.

[2] Seu *Isabellam* (filiam Balduini V, comitis Hannoniae).

[3] Seu *Isabellam*.

[4] Seu *Isabellam*. — Philippus Elsatius, comes Flandriae, uxorem duxerat Isabellam, filiam Radulphi I (alias IV), comitis Veromandiae. Mortuo Isabellae fratre, Radulpho II (alias V), comes

tis, vivente eo tenuerat, sed post mortem ejus alios exheredans injuste tenebat; reddidit eciam ei comitatum Ambianensem.

1187. Anno Domini M° C° LXXXVII°, anno XXXV° Frederici imperatoris, VII° Philippi regis Francorum, Balduino rege Jherusalem, filio Amalrici, defuncto [1], Balduino quoque successore ejus, ex sorore nepote, sub tutela comitis Tripolitani mortuo [2], corona regni redditur a Templariis militibus matri [3] pueri defuncti, que fuerat filia regis Amalrici: que coronam accipiens imposuit capiti Guidonis de Lesenon [4], comitis de Reppe [5], mariti sui. Quod videns comes Tripolitanus infremuit et indoluit, et Salahadinum regem Syrie super Christianos, ut eos debellaret, invitavit. Quid multa? Dies belli venit, crux dominica capta est, patriarcha occisus, rex Guido captus; multa hominum millia et capta et interempta; civitas Jherusalem cum aliis multis civitatibus et castellis in deditionem Saracenorum transiit.

De bello Christianorum cum Salahadino. Cap. XIV.

Anno VIII° Philippi regis, exhortatione Heinrici episcopi Albanensis, Romane ecclesie legati, idem rex et Philippus comes Flandriarum et multi alii proceres, post nativitatem Domini, ad vindicandam injuriam dominici sepulchri, cruces assumunt: nam Richardus dux Aquitanie primus omnium principum illam assumpserat. Richardus dux Aquitanie contra dominum suum regem Francorum rebellat: quem rex totis viribus excipiens compulit ad deditionem. Dominica medie quadragesime, apud Maguntiacum generali curia congregata, Fredericus imperator cum multis aliis episcopis et tocius regni principibus et innumerabili multitudine Theutonicorum cruces sumunt. Anno IX° Philippi regis obiit Wilhelmus pie memorie rex Apulie, christianorum transmarinorum protector atque defensor, absque herede. Christianis transmarinis amissio terre recens perdite fuit magna

Flandriae omnem Veromanduorum comitatum jure uxorio adiit. Mortua vero Isabella anno 1183, Philippus comitatum Francorum regi cedere debuit, ea tamen conditione ut sibi illius usufructum servaret.

[1] Non anno 1187, sed anno 1186, die 16 martii. obiit Balduinus IV.

[2] Mense septembri, eodem anno quo pater.

[3] Scilicet *Sibyllae*.

[4] Lege *de Lusignano*.

[5] Lege *de Joppe*.

plaga; sed mors illius regis fuit illis maxima. Succedit ei in regno Siciliensi Heinricus rex, filius Frederici imperatoris. Eodem anno obiit Elyzabeth[1] regina, uxor Philippi regis, et cum nimio Francorum planctu in ecclesia beate Marie Parisiis sepelitur. Civitas Atrebatensis cum ecclesia sancti Vedasti incendio conflagratur. Anno X° regni sui Philippus rex Francorum et Richardus rex Anglorum trans mare profecturi iter arripiunt. Rex Francorum portum Januensis civitatis expetiit, et rex Anglorum Massiliam perrexit. Cum rex Francorum ventum ad transfretandum exspectaret aptum, quadam die in eadem civitate fulgur de celo quinquies cecidit: quod regem valde perterruit. Tandem omnibus necessariis preparatis, relicto portu in altum velificavit. Cum multa maris spacia transvelasset, repente ventus surgens regem retrocedere coëgit: multe naves confracte sunt, equi amissi, instrumenta lignea ad capiendas munitiones perdita, milites eciam multi submersi et perditi. Sicque rex Francorum, suo frustratus conatu, in Messana, Sicilie civitate, cum rege Anglorum transitum sequentis anni exspectans resedit. Philippus comes Flandrie mediante augusto profectus est, et in Ytalia hyemavit. Fredericus piissimus imperator, cum quoddam flumen transiret prope Anthiociam, nescio quo casu aquis interceptus, vitam finivit[2].

Anno Domini M° C° XCII°[3] successit ei in imperio Romano Heinricus 1192
filius ejus, hujus nominis imperator VI^us. Philippus rex Francorum et Richardus rex Anglorum, cum apud Messanam civitatem tempus transfretandi exspectarent, quorundam malignorum consilio discordant ad invicem. Causa autem discordie fuit permaxima, quia Richardus rex Anglorum, sorore regis Francie repudiata, quam spoponderat, et tamen ad ejus nupcias non pervenerat, filiam regis Naverre duxerat. Heinricus enim senior, rex Anglorum, qui anno IX° regis Philippi apud castellum Chinon defunctus fuerat, et apud Frontem Ebraldi sepultus, predictam regis sororem semper secum detinuerat, nec filio suo Richardo tradiderat. De qua re multa dicuntur, sed verba ventosa et dubia in veraci historia scribere indignum duximus.

Anno XI° regis Philippi ipse rex et rex Anglorum, Philippus quoque comes Flandriarum, post mensem marcium cum suis exercitibus mare transierunt, et adventu suo Christianos Acceram[4] obsidentes letificaverunt. Phi-

[1] Seu *Isabella*, quae obiit die 15 martii 1190.

[2] Die 10 junii an. 1190.

[3] Immo eodem anno 1190.

[4] Seu *Macram*, vel *Ptolemaidem*.

lippus comes Flandrie inclitus kalendis junii obiit in obsidione urbis Accre, tercio mense transfretacionis sue, et sepultus est in basilica sancti Nycholai foris muros, ubi eciam tumulati sunt plus quam quinquaginta, tam episcopi quam duces et comites. In cujus obitu dolor incomparabilis Christianis fuit, gaudium vero Saracenis et Thurcis. Successit ei in comitatu Flandrensi Balduinus comes Hannoniensis, hereditario jure, per Margaretam, sororem ejus, quam habebat in conjugio. Eclipsis solis facta est IX° kalendas julii, die dominica, hora VI^a^, in vigilia beati Johannis Baptiste. Statim post eclipsim Philippus rex Francorum et Richardus rex Anglorum cum suis exercitibus, cum Christianis, quos ibi invenerant, urbem Accram obsident. Saraceni vero et Thurci, eorum impetum non ferentes et de civitatis retencione diffidentes, regi Francorum et exercitui christiano V° kalendas julii eam reddiderunt. Quam rex ea conditione recepit, ut omnes inde sani exirent, si Salahadinus sanctam crucem et captivatos redderet Christianos. Rex vero Francorum post mortem comitis Philippi repatriare festinavit. Post cujus discessum, predicta conditione confirmata, rex Anglorum, qui ibidem remanserat, paucis de nobilioribus retentis, per quos sanctam crucem et quosdam captivos recuperare sperabat, duo millia et sexcentos diversis interfecit tormentis. Richardus rex Anglorum post regressum regis Francorum ruinas civitatis murorum Accon [1] pro tempore reparavit. Exercitus Christianorum cum Salahadino et exercitu ejus feliciter pugnavit, in quodam sabbato, in vigilia nativitatis beate Marie, inter Cesaream et Joppen : mira Dei virtus ostensa est in illa die, nam Salahadinus cum suis, nostris persequentibus, fugam arripuit, tantamque stragem de nobilioribus Saracenis prope Assur die illa nostri fecerunt, quantam omni tempore principatus sui non sustinuit. De nostris autem nullus cecidit nisi Jacobus de Avesnis, miles egregius, et septem Machabeis comparandus. Philippus rex Francorum ante dies nativitatis Domini in Franciam venit, cupiditate ductus Flandriam occupandi, cujus pars maxima per uxorem suam post mortem Philippi comitis ei cesserat [2]. Cujus repatriationem videntes milites, minus Deum diligentes et laboris impacientes,

[1] Seu *Acrae.*

[2] Legitur in aliis exemplaribus : *intemperiem transmarini aëris sustinere non valens, quia valde infirmabatur, vel (ut quidam dicunt) pro adipiscenda terra, quae per mortem praedicti comitis, cujus neptem habuerat uxorem, sibi obvenerat, in Franciam statim revertitur.*

malo exemplo a rege accepto, et ipsi reversi sunt. Marchisius de Monteserrato, anno XII° Philippi regis Francorum, ab Arsacidis apud Tyrum occiditur. Heinricus comes Campanensis princeps tocius christianitatis transmarine a Richardo rege Anglorum et militibus Templi et Hospitalibus constituitur. Guidoni vero quondam regi dedit rex Anglorum insulam opulentissimam Cipri, quam retroacto anno super quemdam tyrannum viriliter acquisierat. Inter Richardum regem Anglorum et Salahadinum inducie trium annorum firmantur, misera conditione interposita ut a nostris destrueretur Ascalon civitas nobilissima. Et hoc fecit rex Anglorum, ut quidam dicunt, magni auri et argenti corruptus precio.

De bello inter Philippum regem Francie et Richardum regem Anglie. CAP. XV.

Anno XIIII° Philippi regis Francorum, cum Richardus rex Anglorum a transmarinis partibus reverteretur, a duce Austrie dolose capitur; quem Heinrico imperatori dirigens, in libera clausus custodia annuam sustinuit captivitatem. Cum autem in custodia detineretur, Philippus rex Francorum, collecto undecumque copioso exercitu, in Northmanniam vadit; eam depopulans castella Vilcassini territorii, Gisorcium scilicet et alia multa, cepit; civitatem Rothomagum obsedit, sed civibus viriliter repugnantibus inglorius rediit.

Salahadinus, Christianorum persecutor, apud Damascum moritur. Philippus rex, anno XIII° regni sui, secundam duxit uxorem Ingelburgem [1], regis Dacie filiam, in vigilia assumptionis beate Marie virginis, Ambianis [2]. Crastina autem die, in eadem civitate, die dominica, astante Wilhelmo Remensi archiepiscopo, Petro Atrebatensi, Johanne Cameracensi, Theobaldo Ambianensi, Lamberto Morinensi, Stephano Tornacensi et aliis episcopis, archiepiscopi suffraganeis, multis eciam Francie principibus astantibus, regio dyademate coronata est. Octogesimo autem et secundo die post has nupcias apud Compendium rex dimisit eam, a quibusdam militibus et episcopis falsa inter eos consanguinitate jurata.

[1] Seu *Ingeburgam* vel *Isamburgam*, Canuti VI regis Danorum sororem.

[2] Nimirum anno 1193.

Anno XIIII° Philippi regis rex Anglorum[1], magno auri et argenti redemptus precio, ab Heinrico imperatore solutus[2] ad suum regnum redire permittitur[3]. Post cujus regressum longa concertatio fuit, usque ad annum XVI^{um} regis Philippi. Inter eos surrexerunt aliquando guerre, aliquando inducie; feriuntur illi, feriuntur isti: quis ex illis vincat, ignotum est nobis[4]. Johannes autem abbas sancti Vedasti, cum in reedificanda ecclesia et officinis, que transacto anno in die festivitatis sancti Aichardi fuerunt combuste, esset valde intentus et sollicitus, proch dolor! sanguinis minutione, XV° kalendas augusti, obiit: Johannes prepositus Hasprensis successit illi, quartus abbas hujus nominis[5].

De quodam miraculo mirabili, quo fratre combusto soror evasit.

Anno Domini M° CC° IIII° in civitate Atrebatensi quidam clericus et soror ejus ob reatum homicidii incendio sunt adjudicati. Accensus est ignis in Balduini Monte[6], astante innumera populi frequencia; frater et soror ad stipitem sunt fortiter ligati, et ignis in circuitu eorum copiosus accenditur. Mulier cum valido cordis clamore et ineffabili contritione et oris confessione sanctam Mariam Dei genitricem invocans, et idem fratrem facere ammonens, illo in flammis mortuo, meritis beatissime Dei genitricis semperque virginis Marie soror ab incendio liberatur. Mira res: facies ejus et loquela non mutatur, capilli ejus nec pili ejus aduruntur, nec odor incendii in ea remansit. Cum autem inquireretur ab ea salvationis modus, dicebat speciosissimam dominam secum fuisse et ab igne eam liberasse. Posthec in ecclesiam beate Marie, liberatricis sue, reducitur; tota pene civitas congregatur, et in presencia domini Petri episcopi et cleri laudes omnium attolluntur: et tam grande miraculum, nostris temporibus inauditum, a prefato reverendo episcopo auctorizatur. Actum fuit Atrebati in solempnitate Spiritus Sancti[7].

[1] Richardus I (*Richard I, dit Cœur de Lion*).

[2] Additur in aliis MSS.: *post annuam captivitatem.*

[3] Scilicet die 4 februarii anni 1194.

[4] Hisce verbis: *quis ex illis vincat, ignotum est nobis,* explicit codex MS. Vedastinus *Synopseos hist. Franco-Merovingicae* Andreae Sylvii. Chronographi illius auxilio jamjam destitutus Dinterus, nonnulla describit aliis ex fontibus, et praesertim ex anonymo Sylvii continuatore et ex Guilielmi abbatis *Chronico Andrensis monasterii,* quod exstat apud Martene, *Spicilegii* t. II, p. 781-871.

[5] Quae sequuntur post verba: *ignotum est nobis,* desumpta sunt ex anonymo continuatore Andreae Sylvii, monacho etiam Marcianensi.

[6] Vulgo *Baudimont.*

[7] Tota illa historia ex eodem anonymo continuatore descripta est.

De concilio habito inter episcopos pro regina Francorum a rege separanda[1].
CAP. XVI.

Anno Domini M° CC° I°[2] hyemps nec mollis nec aspera, sed inter utrum- 1201.
que fuit temperata. Januarius, februarius, marcius, aprilis et mayus graciosi fuere et naturales. Mediante mense marcio Octavianus cardinalis, archiepiscopi, episcopi et Philippus rex Francorum in urbe Suessionis cum innumera cleri et populi multitudine conveniunt, ut de regis et regine divorcio certum et justum juxta Innocencii preceptum agitarent judicium. Sed quia Johannes cardinalis sancti Pauli, monachus nostri ordinis, nondum advenerat, cui hec causa ab Apostolico principaliter commissa fuerat, colloquium protelatur usque adventum ejus. Qui adveniens in mense mayo, in predicta Suessionensi urbe a rege, archiepiscopis et episcopis in ecclesia sanctorum martirum Gervasii et Prothasii excipitur cum gaudio. Cui a rege oblata sunt munera, sed ille justus manus suas excussit ab ejus muneribus. Ad colloquium conveniunt: rex vallatus et armatus multitudine advocatorum, qui causam suam pro velle suo perorarent, accessit: regina vero sola, proch dolor! nullum preter Deum habens advocatum, venit. Cumque in tanta multitudine nullus esset, qui pro ea, metu regis, litigaret, quidam ignotus pauper clericus in medio surgens, licencia regis et cardinalium, causam regine ita litteratissime dilucidavit, ut ipsi regi et cardinalibus omnibusque episcopis fieret admirationi. Qui post nec ante in eadem civitate a nullo dicitur visus. Rex vero, non exspectato, secundum decretum sanctorum patrum, ecclesiastico judicio, recessit a colloquio: cardinales et episcopi reversi sunt ad propria, causa nondum terminata[3].

De bello inter regem Francorum et Ferrandum comitem Flandrorum[4].
CAP. XVII.

Anno Domini M° CC° XIIII°, septimo kalendas augusti, die dominica, in 1214
territorio Tornacensi, juxta pontem de Bovines, factum est prelium ma-

[1] Cap. XVI pariter descriptum est ex anonymo continuatore monacho Marcianensi.

[2] Seu *anno* 1200.

[3] Cfr. *Chronicon Andrensis monasterii*, apud Martene, *op. cit.*, t. III, p. 831.

[4] Ex eodem continuatore Marcianensi.

gnum inter Philippum, illustrissimum regem Francie, et Ferrandum comitem Flandrie, qui in auxilium sui exercitus Ottonem imperatorem, a domino papa tunc excommunicatum, Raynaldum [1] comitem Bolonie, Wilhelmum fratrem regis Anglorum [2], et quosdam alios comites et nobiles, cum mille quingentis militibus ferro bene armatis, et alia innumerabili gente peditum adduxerat : qui omnes uno animo decreverant, ut ipsum regem Francie caperent, et totum exercitum ejus interficerent. Sed rex regum, qui nutu suo potentes deponit et exaltat humiles, optimi regis indigenciam ex alto prospiciens, dedit ei et sue genti virtutem et fortitudinem, et factum est a Domino grande miraculum, quia, qui venerant capere, capti sunt, et qui venerant interficere, interfecti sunt. Comes etenim Flandrie Ferrandus et comes Bolonie, frater eciam regis Anglorum et multi alii potentes et nobiles milites ab ipso rege in Franciam ducti sunt captivi, et incarcerati. Imperator [3] autem vidit gentis desolationem in bello, et quia, qui preerant exercitui, vivi omnes capiebantur, imminente mortis periculo vehementi stupore perterritus, scissis et diruptis imperialibus insigniis quibus induebatur, ut per hoc inimici ejus noticiam amitterent, repentinam fugam et irrevocabilem iniit, tribus solummodo sociis consociatus. Hoc totum esse verum, testati sunt nobis multi qui presentes affuerunt. Factumque est gaudium magnum per omne regnum.

De numero prelatorum qui fuerunt in concilio generali, et de invasione Anglie. Cap. XVIII.

1215. Anno verbi incarnati M° CC° XV° celebrata est sancta et universalis synodus Rome in ecclesia sancti Salvatoris, que Constantiniana vocatur, mense novembri, presidente domino Innocente papa tercio, pontificatus ejus anno XVIII°. In qua fuerunt episcopi CCCC et XII, inter quos exstiterunt de precipuis patriarche duo, videlicet Constantinopolitanus et Jherosolomitanus; Anthiocenus vero gravi languore detentus venire non potuit, sed misit pro se vicarium Anteradensem episcopum; Alexandrinus vero sub

[1] Seu *Reginaldum*.

[2] *Comitem Saleberiensem*.

[3] Otto IV.

dominio Saracenorum constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se dyaconum, germanum suum. Primates autem et metropolitani LXX, ceterum abbates et priores ultra DCCC. Procuratorum vero archiepiscoporum, abbatum, priorum et capitulorum absencium non fuit certus numerus comprehensus. Legatorum vero regis Sicilie, in Romanum imperatorem electi, imperatoris Constantinopolitani, regis Francie, regis Ungarie, regis Jherosolomitani, regis Cypri, regis Aragonum, necnon aliorum principum et civitatum et aliorum locorum ingens fuit multitudo. Cardinales epsicopi quinque, cardinales presbiteri novem, cardinales dyaconi sex [1].

Anno Domini M° CC° XVII° Ludovicus, primogenitus Philippi regis 1217
Francie, Angliam intravit, quedam castella cepit: sed anno presenti per preceptum domini pape Honorii rediit in Franciam. Philippus inclitus rex Francie obiit anno Domini M° CC° XXII°, pridie ydus julii [2]: cui successit Ludovicus filius ejus primogenitus.

De quodam miraculo quod accidit de rege Philippo post mortem ejus
Cap. XIX.

Istud est miraculum, quod accidit apud Syviniam [4] civitatem de domino Philippo, bone memorie rege Francorum. — Volo et ex parte domini pape precipio, ut filio regis, compatri meo, narretis istud, et in scriptis in domo vestra ad futuram memoriam ponatis. Quarta die ante assumptionem beate Marie quidam miles strenuus, Jacobus nomine, gravi erat in eadem civitate detentus infirmitate, in tantum ut cum penitencia corpus Christi et unxionem tamquam bonus christianus receperit. Qui cum insequenti nocte sine loquela jaceret, et phisici de ejus vita desperassent, adductus est infirmus a spiritu ante domum suam in plateam, et ibi infinitos vidit transeuntes in equis. Et ultimo vidit quemdam barbatum, habentem faciem longam

[1] Eadem nutitia concilii Lateranensis IV legitur in *Chronico Andrensis monasterii*, apud Martene, *op. cit.*, t. II, p. 856.

[2] Immo *anno* 1223, die 14 julii.

[3] Cfr. Philippi Britonis Armorici Philippidos lib. XII: *Quod papa scivit mortem regis per miraculum;* apud Duchesne, *Hist. Franc. scriptores*, t. V, p. 255 et 260.

[4] Lege *Signinam* (Segni); id est *Signia*, antiqua civitas inter Labicum Agnaninmque in Latio sita. Alibi etiam legitur: *apud Senensem civitatem.*

aliquantulum, indutum cappa rubea de scarleta; et juxta eum vidit quendam militem aliquantulum senem, indutum tunica estinfort[1] alba, habentem pallium magnum de eodem panno ante pectus atacatum[2], qui infirmo dixit : « Frater, quis est hospes tuus? » Cui respondit : « Magister Thomas, presbiter cardinalis sancte Sabine. » Et senex dixit : « Dic ei, quod summo mane surgat, et eat ad dominum papam, et dicat ei, ut ipse papa dicat pro anima Philippi regis Francorum *Absolve, queso, Domine.* » Et infirmus dixit : « Quis es tu, domine? » Respondit ei : « Ego sum Dionysius martir, et iste qui stat juxta me est rex Francie, cujus animam debet absolvere dominus papa. » Et infirmus : « Ad quem locum ducis eum, domine? » Et dixit sanctus Dionysius : « Ego duco ipsum regem ad vallem Josaphat. » Et infirmus : « Domine, dominus papa et cardinales michi non credent. » Et sanctus : « Hoc erit eis signum, quod anima tua hac nocte a corpore separari debebat, sed ecce sanus effectus cum cardinali cras ad dominum papam accedes. » Et sanctus Dionysius, super caput ejus manum imponens, portavit eum in domum suam, et cum ipso rege et aliis recessit. Qui summo mane ad dominum papam cum cardinali accessit, sanus et hylaris sine aliqua infirmitate, nec eciam aliquod signum habens infirmitatis, et omnia supradicta domino pape enarravit. Unde dominus papa, viso signo et per dominum cardinalem approbato, eleëmosinas pro anima regis fecit, et statuit, ut per totam civitatem vigilie et misse celebrarentur; et ipse cum magna reverencia et devotione, lacrimis effusis, *Absolve, queso, Domine* decantavit. Et sciatis quod dictus miles nec in Francia fuit, nec illum regem vidit, sed ei hoc Dominus revelavit, ut ostenderet quod claves ecclesie penes dominum papam sunt, et omnes, eciam qui in Domino moriuntur, oratione et suffragiis indigent ecclesiarum.

De Balduino ficto comite Flandrensi, postea suspenso[3]. Cap. XX.

1225. Anno Domini M° CC° XXV°, in quadragesima, venit quidam ignotus et tamquam heremita in foresta de Glanchon, juxta Mortaigne, et tandem

[1] Vox *estinfort* in MS. nostro quidem codice legitur; nonne legendum *ex stoffia alba?*

[2] Id est *ligatum*, a verbo plane barbaro *attachiare*, gallice *attacher*.

[3] Ex anonymo continuatore Marcianensi, apud Raphaëlem de Beauchamps, in appendice ad *Synopsin hist. Franco-Merovingicae*, p. 1040.

revelavit quibusdam, quod ipse erat Balduinus, comes Flandrie et Hannonie, imperator Constantinopolitanus. Quo audito quidam nobiles crediderunt verbis ipsius, et duxerunt eum Valencianas cum honore, et ibi eum ornatum, sicut decebat imperatorem et comitem, duxerunt per Flandriam: et multi Flandrenses fecerunt ei homagium sicut comiti: et tandem intravit Insulam cum comitatu maximo et apparatu. Ludovicus [1] autem rex Francorum, fama ejus audita, diem ei apud Peronam assignavit, ut cognosceret eum, qui dicebat se esse avunculum regis predicti, et ut faceret ei debitum homagium de comitatu Flandrensium, si esset comes Flandrie, veniendo et redeundo secure [2]. Tandem veniens Peronam, et audaciter apparens coram rege Ludovico et ejus consilio, in palacio ipsius regis multis interrogationibus examinatus est; sed certitudinem nullam respondit [3]. Unde pluribus argumentis est convictus, quod dolose ageret et per omnia mentiretur, et ita cum pudore recessit. Et predictus rex eidem districte precepit, ut de terra sua indilate [4] recederet. Eadem autem die qua licenciatus est a rege, tam de die quam de nocte venit Valencianas, unde furtim et latenter effugit. Quo audito comitissa Johanna Flandrensis [5] fecit eum queri caute: qui tandem repertus ad dictam comitissam apud Insulam adductus est, ubi de consilio baronum suorum judicatus et dampnatus est, ita quod cum equis extra villam [6] traheretur et suspenderetur [7]: et ita vitam infeliciter consummavit.

De itinere super Albigenses [8]. Cap. XXI.

Anno Domini M° CC° XXVI° Ludovicus rex profectus est adversus Albi- 1226
genses cum multis nobilibus, tam episcopis quam principibus: videlicet archiepiscopo Remensi, Wilhelmo de Joïnsvilla, Garino Silvanectensi episcopo, Philippo Boloniensi, Guidone Sancti Pauli comitibus, et multis

[1] Hujus nominis *octavus*.

[2] Alias *veniretque, et secure rediret*.

[3] Alia exemplaria habent : *sed certitudinem nullam suis responsis dedit*.

[4] In alio cod. legitur : *absque ulla dilatione*.

[5] Quam Balduinus iste filiam suam mentiebatur.

[6] *Villae* nomine apud medii aevi scriptores urbs vel civitas saepius significatur.

[7] Alia exemplaria habent : *de consilio baronum suorum judicatum est, quod equis alligatus traheretur extra villam et suspenderetur*.

[8] Ex eodem anonymo continuatore Marcianensi. Cfr. *Chronicon Andrensis monasterii* apud Martene: *op. cit.*, t. II, p. 866.

aliis, tam clericis quam laycis, qui Avinonem[1] obsederunt et ceperunt. Sed in obsidione Guido comes Sancti Pauli, quadam petra mangonelli percussus, interfectus est : rex vero Ludovicus et multi alii, tam clerici quam layci, in regione illa veneno perierunt. Et corpus regis latenter et caute ad ecclesiam beati Dyonisii est delatum in Franciam, et honore regio tumulatum anno sequenti : cui successit in regno filius ejus Ludovicus. Eodem anno Johannes, filius Petri comitis Britannie, fratris comitis Roberti, accepit uxorem filiam comitis Campanie : unde rex Francorum iratus adversus comitem Campanie fecit saisiri duo castra ipsius comitis, scilicet Monasteriolum in Fordionne, et Branium super Secanam. Emanaverunt nova instituta a domino papa Gregorio [2] de correctione nigri ordinis [3].

Anno Domini M° CC° XXVII° Heinricus rex Anglorum cepit uxorem filiam comitis Provincie, sororem regine Francie. Robertus frater Ludovici regis accepit uxorem filiam ducis de Brabantia[4]. Eodem anno idem Robertus factus est comes Atrebatensis, et dominus de Lens et de Hisdano et de Sancto Audomaro. Johanna comitissa Flandrensis, mortuo Ferrando primo marito suo, accepit maritum Thomam fratrem comitis de Savoye. Obiit Godefridus Cameracensis episcopus, et successit ei magister Gerardus et Landinio, Parisiensis cancellarius. Anno sequenti obiit Thomas comes Flandrensis Poilevactie. Obiit Ancelinus Laudunensis episcopus.

1235. Anno Domini M° CC° XXXV°, de mandato summi pontificis Gregorii noni, venit frater Robertus de ordine predicatorum in regnum Francie et comitatum Flandrensem, et multos utriusque sexus examinavit de fide, multos infideles consumpsit flammis ultricibus, et multos perpetuo carceri mancipavit.

1245. Anno Domini M° CC° XLV°, XVI° kalendas augusti, presidente domino Innocencio papa quarto, pontificatus ejus anno tercio inchoante, celebrata fuit sancta synodus apud Lugdunum in ecclesia sancti Johannis : in qua synodo dampnatus fuit Fredericus imperator secundus, pessimus et ecclesie catholice maximus persecutor. Anno Domini M° CC° XLVIII°, pridie

[1] *Avenionem.*

[2] Gregorio IX.

[3] Id est ordinis S. Benedicti. In aliis exemplaribus additur : *et habitum est concilium Londinense de reformatione morum.*

[4] Robertus, comes Artesiae, frater sancti Ludovici IX regis Galliae, anno 1227 uxorem duxit Mathildam, filiam Henrici II ducis Brabantiae.

ydus junii, Ludovicus rex Francie, cum duobus fratribus suis, videlicet Roberto comite Atrebatensi et Karolo comite Andegavensi, cum duabus uxoribus suis, videlicet regina et comitissa, Provincie arripuit iter, in Terram Sanctam profecturus.

De sancto Ludovico, hujus nominis rege nono. Cap. XXII.

Defuncto, ut premittitur, Ludovico hujus nomine rege octavo, Ludovicus filius ejus regni suscepit moderamina, adhuc puer XIIII annorum, anno Domini M° CC° XXVI° coronatus in regem, dominica prima adventus Domini. Hic Ludovicus duxit in uxorem Margaretam, filiam primogenitam Raymundi Berengarii, comitis Provincie, anno Domini M° CC° XXVIII°: ex qua suscepit sobolem generosam, scilicet Ludovicum, qui obiit juvenis adolescens, et Philippum, qui fuit post eum rex, et Petrum comitem de Alenconia, et Johannem comitem Nyvernensem, et Robertum comitem Claremontensem, et Ysabellam filiam, que postea nupsit regi Naverre Theobaldo, et Blancham, que nupsit filio regis Castelle Ferrando, terciam quoque filiam Agnetem, que fuit ducissa Brabantie[1]. Hic Ludovicus regnat in Francia annis XLIIII. Anno ejus V° Ferrandus, quondam comes Flandrie, obiit. Anno ejus XVII° obiit Johanna Flandrensis et Hannoniensis comitissa; succedit Margareta soror ejus. Crucem autem Domini assumpsit, pro primo passagio transmarino, anno Domini M° CC° XLIIII°, et transfretavit illa prima vice anno Domini M° CC° XLVIII°. Anno ejus XXII° capta est Damieta ab ipso rege. Anno sequenti pius rex Ludovicus in manus Saracenorum cum exercitu suo derelictus est a Deo, qui dereliquit filium suum in manus Judeorum propter peccata nostra. Sed infra paucos dies Soldanus Babilonie, qui Christianos vicisse gaudebat, a suis est occisus, pius autem rex reddita Damieta cum omnibus suis evasit. Eodem tempore facta est commocio pastorellorum et puerorum multorum. Anno ejus XXVI° Guido filius comitisse Flandrie cum multis Flandrensibus captus est in Hollandia. Predictus autem Ludovicus rex de partibus 1226

[1] Agnes illa nupsit Roberto II, duci Burgundiae; alia autem sancti Ludovici filia, Margareta dicta, uxor fuit Joannis I, ducis Brabantiae.

transmarinis, exacto jam septennio inter Moros, anno Domini M° CC° LIIII° *revertitur*. Anno ejus XXXII° Parisiis facta est pax inter ipsum Ludovicum regem Francie et Heinricum regem Anglie. Per illam rex Anglie, de expressa propria voluntate, et fratris sui Richardi regis Alemannie, et sororis et filiorum, et principum et prelatorum Anglie, quitavit in perpetuum quidquid in eo requirebat in ducatu Northmannie et comitatibus Andagavie, Thuronie, Pictavie et eorum feudis; rex autem Francie dedit ei magnam summam pecunie, recipiens eum in fidelem suum et parem Francie, ut Aquitanie ducem. Transfretavit autem secunda vice anno Domini M° CC° LXX°, et pertransiit mare presentis seculi in exercitu Domini, in castro apud Thunicium, VIII° kalendas septembris, anno M° CC° LXX° predicto: et inde apportatum fuit sacrum corpus ejus in Franciam, et in monasterio sancti Dyonisii tumulatum. Fuit autem declaratus sanctus et sanctorum confessorum cathalogo annotatus per Bonifacium papam octavum, tercio ydus augusti, in Urbe Veteri, pontificatus sui anno tercio, anno Domini M° CC° XCVII°.

De Philippo quarto [1]. Cap. XXIII.

1271 Philippus quartus, prefati sancti Ludovici filius, qui reversus est in Franciam de castris Thunicii, cum sacro corpore patris sui, anno M° CC° LXXI°, pridie kalendas septembris, Remis in regem Francie inungitur et coronatur *rex* gentis sue, regnavitque annis XV. Hic Philippus, vivente adhuc patre suo sancto Ludovico, Ysabellem filiam regis Aragonum duxerat uxorem, ex qua genuerat Philippum et Karolum, quorum primus regnavit post ipsum. Karolus vero fuit comes Valesii. Memorata vero domina Ysabellis, dum ipsa et vir suus prefatus reverterentur in Franciam cum corpore sancti Ludovici, de predicto passagio trans mare, in itinere transmarino est defuncta, die Mercurii ante festum purificationis beate Marie virginis, anno Domini M° CC° LXXI°. Defuncta vero prima uxore, Philippus rex postmodum secundam, scilicet Mariam filiam ducis Brabantie, duxit in uxorem [2]: ex qua filium Ludovicum genuit, qui fuit comes Ebroicensis, et filiam

[1] Lege *tertio* (*Philippe III, dit le Hardi, ou Cœur de Lion*).

[2] Mense augusto an. 1274. Erat soror Joannis I ducis Brabantiae.

nomine Ysabellem, quam postmodum rex Anglie senior Eduwardus sibi matrimonio copulavit.

Anno Domini M° CC° LXXI° Alphonsus, quondam frater sancti Ludovici regis, comesque Pictavie et Tholose, et Johanna ejus uxor, filia quondam Raymundi ultimi comitis Tholosani, brevi dierum spacio sine liberis moriuntur, et, si qua spes esse poterat de futuro herede, in comitatu Tholosano tunc penitus est sublata, et deleta est tota illa linea et abrasa : et sic fuit totum jus comitatus ad manus regis Francie, qui directum habebat dominium, devolutum. 1271.

Anno Domini M° CC° LXXII° prefatus rex decrevit terram Pictavie et Tholose a Deo sibi traditam visitare. Cumque venienti sibi innotuisset de injuriis et offensis, quas Rogerius Bernardi, comes Fuxi [1], intulerat, et citatus quod faceret quod deberet, reatu comprimente non duxerat, ut debuit, comparendum, sed, sinistro usus consilio, munire apposuit terram suam; et, ad cumulum amplioris ire, senescallum regis, Eustacium nomine, transeuntem per terram suam, nichil moventem, fugavit cum armis, quibusdam sociis ejus captis et summariis retentis, rex egit provide, et consulte, ne posset contempni superaudacia [2] regni sui, Tholosam venit et intravit, V° kalendas junii, receptus cum gaudio magno valde; ubi diebus septem moratus, donec interim venisset exercitus, et complanaretur viarum asperitas, et stricta ampliarentur, exivit octavo die cum quadrigis et machinis et armorum copia et maximo apparatu. Cui versus Appauram venienti occurrit rex Aragonum, socer ejus, cum domino Gascone de Barruo socero predicti comitis, et miscentur collequia inter eos, quorum finis fuit, quod comes Fuxi se et terram suam in regis voluntate poneret. Quem sic susceptum in prisione rex precepit custodire, totamque terram ejus accepit et tenuit ad manum suam, quamdiu sue placuit voluntati. Tentus autem comes diu in prisione regis, tandem ad instanciam regis Aragonum, ejusdem regis Francie soceri, liberatur. 1272

Anno Domini M° CC° LXXXV° prefatus rex Philippus, verno tempore, quo solent reges ad bella procedere, cum Karolo suo filio, tunc rege Aragonie nominato, cum domino Johanne Chauleti cardinali legato, collecto exercitu precioso, predicata quoque cruce in toto regno Francie, et con- 1285.

[1] *Roger-Bernard, comte de Foix.*

[2] Forte legendum *supereminentia*.

cessa crucesignatis plena indulgentia peccatorum, processit versus Aragoniam, ad impugnandum Petrum regem Aragonie, quem Martinus papa quartus deposuerat et privaverat per senteneiam regno suo, et contulerat illud occupandum et habendum predicto Karolo filio regis Francie. Pervenitque rex Francie cum suo exercitu usque ad Garonam [1], quam obsedit et cepit. Petrus vero Aragonensis, qui, bellum campale semper declinando, insidiis oppugnabat exercitum Gallicorum, oppido vulneratus fuit, unde post paucos dies decumbens in lecto occubuit ex vulnere jam inflicto. Factaque est tempore estivo pestis magna et mortalitas in exercitu Gallorum. Rex itaque Philippus, infirmus inde regrediens, obiit in Parpiniano, anno Domini prenarrato M° CC° LXXXV°, die dominica ante festum sancti Mychaelis, anno regni sui XV°, etatis vero sue anno XL°. Delatumque fuit inde Parisios corpus ejus, et in monasterio sancti Dyonisii tumulatum. Cor vero ipsius, prout ipse ordinaverat, in ecclesia fratrum predicatorum Parisiis est sepultum. Karolus vero prefatus ad regnum Aragonum non potuit pervenire, fuitque tandem processu temporis inter Romanam ecclesiam et filium et heredem prefati regis Aragonum, quem supra memoravimus, jam defuncti, cum consensu regis Francorum Philippi sequentis et Karoli memorati concordatum et aliter ordinatum.

De Philippo hujus nominis rege quinto [2]. CAP. XXIV.

1285. Rex Philippus quintus, memorati Philippi filius, defuncto patre successit in regno, inunctus et coronatus in regem anno Domini M° CC° LXXXV°. Hic Philippus duxerat uxorem Johannam, filiam et heredem Heinrici regis Naverre, vivente adhuc Philippo predicto patre suo : ex qua genuit Ludovicum primogenitum, qui natus fuit anno Domini M° CC° LXXXIX°, in mense octobri, quem ipse Philippus rex in regem Naverre fecit postmodum coronari; data sibi filia ducis Burgundie in uxorem anno Domini M° CCC° VII°. Item genuit ex eadem Johanna Philippum et Karolum, qui duas sorores germanas, filias comitis Burgundie, duxerunt postmodum in uxores, anno Domini pretaxato M° CCC° VII°. Item genuit

[1] Seu *Gironnam*.

[2] Lege *quarto* (*Philippe IV, dit le Bel*).

ex eadem Johanna quartum filium Robertum, qui bone indolis adolescens obiit, sepultusque fuit in monasterio sororum monialium de Pissiaco, infra octavas sancti Augustini, anno Domini M° CCC° VIII°. Item genuit ex eadem Johanna filiam nomine Ysabellem, quam duxit postmodum in uxorem Eduwardus junior, rex Anglie, filius alterius Eduwardi, anno Domini M° CCC° VII°, mense februarii, regalibus nupciis celebratis. Inter hunc Philippum regem Francie et Bonefacium papam octavum gravis exoritur dissentio et simultas, circa annum Domini M^{um} CCC^{um} I^{um}, unde papa convocavit contra regem concilium omnium prelatorum regni sui, et doctorum tam theologie quam in utroque jure, canonico et civili, Rome, III° kalendas novembris, anno M° CCC° II°. Choruscationibus vero pape quam multis previis, nulla pluvia apparuit subsecuta: conceperat enim plurima contra regem, sed non fuit sibi tempus pariendi concessum. Anno siquidem Domini precedenti, scilicet M° CCC° I°, in quadragesima, rex Philippus, gravem presentiens contra se motum pape, suum primo concilium convocavit, omnes prelatos, comites, barones personaliter, communitates vero regni sui per procuratores ydoneos ad se Parisios venire jussit, petens urgens consilium et auxilium ab eisdem contra omnem hominem, sciens quod prevvisa jacula minus feriunt et minus ledunt. Fueruntque in dicti regis concilio ex adverso publice objecta crimina ipsi pape et titulus heresis ac intrusio, necnon suo predecessore vivente ingressus illegitimus ad papatum, ac provocacio ad generale concilium contra papam: fuitque rumor magnus in regno, turbacio cordium, et confusio rerum, et contra ipsum papam ubique publicacio criminum objectorum.

Anno Domini M° CCC° I° idem rex Philippus jussit et fecit capi omnes Lombardos et Ytalicos, ubique in toto regno suo, qui potuerunt inveniri. 1301.

Anno Domini M° CCC° II°, mense julio, juxta Curtracum fuit bellum campale Gallicorum pro parte regis contra Flandrenses, qui diu rebellaverant: cessitque ibidem, inopinate sane, fortuna Flandrensibus, ac casus et ruina Gallicis, tam mirabilis quam miserabilis; cum ibidem in campo ceciderit flos milicie Gallicane, non tam virtute hostium quam incautela pugnancium Gallicorum, irruencium inconsulte. Ibi siquidem mortuus est Robertus comes Atrebatensis, miles strenuus et animosus, de genere regis: Godefridus de Brabancia, dominus de Arschot, frater ducis Brabancie, et Johannes filius ejus unicus, ac Radulphus de Nigella, connestabularius 1302.

Francie, aliique nobiles plurimi, barones et milites, in vallatis atque fossatis, que Flandrenses ad hoc preparaverant: in quibus cum equi cecidissent, equites inde fugere minime prevalebant. Mortui quoque fuerunt plurimi in exercitu Gallicorum.

Anno Domini M° CCC° VI°, in festo sancte Marie Magdalene, fuerunt capti omnes Judei in regno Francie pariter una die, et bona ipsorum omnia confiscata, fueruntque expulsi de regno, nunquam ibi ulterius permansuri.

Anno Domini M° CCC° VII°, tercio ydus octobris, feria sexta, in festo Eduwardi regis et confessoris, fuerunt capti et captivati Templarii in toto regno Francie, inopinate sane, mirantibus cunctis audientibus, et causam captionis ignorantibus; que postmodum extitit publice diffamata, horribilis scilicet et prophana professio eorundem.

Anno Domini M° CCC° XIII°, in festo Penthecostes, quod fuit tercio nonas junii, prefatus Philippus rex tenuit Parisiis curiam valde magnam comitum, baronum militumque regni sui: in qua interfuit rex Anglie Eduwardus, gener suus, cum sua conjuge Ysabella, filia ejusdem regis Francie Philippi. In quo festo idem Philippus Ludovicum primogenitum suum, regem Naverre, ac alios duos filios, scilicet Philippum et Karolum, accinxit baltheo militari. Fueruntque in dicto festo novi milites et accincti circiter quadringenti. Item in eadem ebdomada Penthecostes prefati tres reges Francie, Anglie et Naverre crucem suscipiunt transmarinam, cum multis aliis nobilibus regni sui, de manu cardinalis, domini Nycholai tituli sancti Eusebii presbiteri cardinalis, qui pro predicanda cruce et promovendo negocio passagii transmarini per dominum Clementem papam V^um^ ad regnum Francie fuerat destinatus. Cepitque exinde crux pro dicto passagio in regno Francie publice predicari. Memoratus Philippus rex in eodem quo natus est loco, scilicet in castro de Fontebliaudi, anno Domini M° CCC° XIII° obiit, tercio kalendas decembris, anno vero regni sui XXX° decurrente; fuitque sepultum corpus apud sanctum Dyonisium, cor vero ejus apud Passagium in monasterio sanctimonialium, quod ipse fundaverat, dum ipse vivebat.

De Ludovico decimo hujus nominis. Cap. XXV.

Ludovicus hujus nominis X^us^ rex, memorati Philippi filius primogenitus, 1314.
qui defuncto patri suo in fine mensis novembris successit in regno, anno M° CCC° XIIII°, etatis sue XXVI° anno inchoato, erat autem tunc temporis rex Naverre; fuit autem inunctus in regem Remis civitate, ut moris est, per archiepiscopum Remensem, tercio nonas augusti, in festo inventionis sancti Stephani, dominica die, anno dominice incarnationis M° CCC° XV°, una cum domina Clemencia nova sponsa, quam desponsaverat et traduxerat in uxorem, defuncta prius eodem anno, in quadragesima precedenti, uxore alia, filia ducis Burgundie, que ob crimen adulterii in privata custodia tenebatur. Predicta domina Clemencia fuit filia Karoli Martelli, qui fuit filius primogenitus regis Sicilie Karoli secundi, cui Karolo Martello ratione et jure matris sue regnum Hungarie debebatur.

Anno Domini M° CCC° XV°, ultima die mensis aprilis, que fuit in vi- 1315.
gilia Ascensionis Domini, Engerandus de Marigniaco, miles natione Vulcassinus, fuit suspendio elevatus, qui tempore domini Philippi regis V[1], major post eum, non tam merito quam de facto, fuerat nominatus in regno, ita ut secundus regulus videretur, ad cujus nutum regni negocia gerebantur: quos enim ipse volebat, exaltabat, et quos nolebat, deprimebat: et quod volebat fieri, factum erat. In medio tempore fuerat superexaltatus et elevatus nimis, et post paululum audivimus eum tali exitu defecisse. Itaque exemplo ejus, et alterius qui precessit, scilicet Petri de Brochia, in elapsis jam annis amplius quam triginta, olim tempore alterius Philippi regis, avi istius domini Ludovici, postquam super omnes magnus effectus fuerat, post similem fortune gloriam consimilem ignominiam est perpessus. Discant et pertimescant tam presentes quam futuri, in gradu consimili et fortuna sobrie et juste ac pie vivere in hoc seculo, precaventes ne casum consimilem merito paciantur. Eodem quoque anno Judei permittuntur ad regnum Francie redire et stare ut prius, a quo dudum depulsi fuerant, et estimabantur nunquam alias reversuri. Regnavit hic Ludovicus anno uno cum dimidio, obiitque Parisiis, sabbato infra octavas Penthecostes, scilicet nonis

[1] *Lege IV.*

junii, quinta scilicet die ejusdem mensis: fuit corpus ejus cum honore regio in monasterio sancti Dyonisii tumulatum, anno Domini M° CCC° XVI°. regni vero sui anno secundo, etatis vero sue anno XXVIII°: ex prima uxore filiam unicam, Johannam nomine, derelinquens, secunda vero uxore remanente gravida pregnante. Gubernacula vero utriusque regni, Francie scilicet et Naverre, suscepit Philippus germanus ejus, comes Pictavensis, sub nomine regentis tenenda, si puer masculus nasceretur, usque ad intelligibilem etatem annorum duodecim; si vero filia nasceretur, ipse Philippus rex Francorum fieret et regnaret, predicte vero due filie Ludovici haberent et sibi dividerent regnum Naverre et Campanie comitatum. Et hec fuerunt pacta inita et confirmata. Interim vero postmodum, XIII° die sequentis mensis, dominica die, sub nocte media precedente, memorata domina Clemencia regina peperit filium suum primogenitum Parisiis, et Johannes vocatum est nomen ejus, et multi in nativitate ejus gavisi sunt; sed gaudium cito pertransiit. Nam infra septimum diem a nativitate sua infans obiit, et abiit regnum sibi recipere sempiternum. regnumque Francorum domino Philippo remansit, cui ex uxore sua natus fuit filius anno predicto M° CCC° XVI°, qui obiit infra annum.

De Philippo sexto[1] *hujus nominis.* Cap. XXVI.

Philippus sextus, filius secundogenitus quondam regis Philippi, hujus nominis quinti[2], qui defuncto Ludovico fratre suo gubernavit regna, Francie scilicet et Naverre, non tamen regis nomine sed regentis, donec postmodum natus fuit filius posthumus memorati domini Ludovici: quo infra septimum diem a nativitate sua defuncto, cepit regnare dominus Philippus in regno Francie et Naverre, mense novembri anno Domini M° CCC° XVI°. Fuit autem coronatus et inunctus, sicut moris est, Remis civitate, infra octavas Epyphanie, scilicet V° ydus januarii. Item dicitur quod Karolus[3], terciogenitus antedictorum Ludovici et Philippi frater, eciam decessit sine liberis.

[1] Lege *quinto* (*Philippe V, dit Le Long*).

[2] Lege *quarti*.

[3] Carolus IV (*Charles, dit le Bel*).

De Philippo septimo[1] *hujus nominis.* Cap. XXVII.

Supradicto vero Philippo VI[2] ejusque filio atque Karolo predicto mortuis, Philippus, filius domini Karoli comitis Valesii, fratris Philippi quinti[3] regis, dicti Formosi, tamquam proximior heres ad regnum assumitur, et coronatur anno Domini M° CCC° XVIII°[4] dominica de Trinitate, que fuit XXIX° maii. Qui multa passus est ab Eduwardo rege Anglie, cujus mater filia erat Philippi Formosi suprascripti, qui tamquam proximior in recta linea, licet per sexum femineum, vendicabat sibi regnum. De gestis vero predictorum regum et sequentium, quia michi incognitis, nichil veri scribere potui.

[1] Immo *sexto* (*Philippe VI, dit de Valois*).
[2] Lege V.
[3] Lege *quarti*.
[4] Lege : 1328.

EXPLICIT LIBER TERCIUS HUJUS CRONICE.

TRADUCTION

DE

LA CHRONIQUE DE DE DYNTER.

PAR

JEHAN WAUQUELIN.

LIVRE TROISIÈME.

TRADUCTION

DE

LA CHRONIQUE DE DE DYNTER.

LIVRE TROISIÈME.

Chy-après s'ensuyt le épilogue de cestuy tiers livre, ouquel l'acteur dist qu'il a intention de suyvir la compilation faite par Andrieu de Marcènes [1], ouquel tiers livre sera remonstré premièrement la translation du royaulme de Franche de la généalogie des Charlois en la lignie des contes de Paris, laquelle translation ou mutation de règne fut faite en l'an de l'incarnation Nostre-Seigneur Jhésu-Christ IX^{c} LXXX et VIII, après laquelle régna premièrement Hue Capet. Et y seront continuées les gestes des roys de luy descendans, avec plusieurs incidens, jusques au règne du roy Loys le Débonnaire, le filz du roy Loys le Gros, inclusement. Après lequel tiers livret ledit acteur a en propos de escripre, par manière de adition, les gestes et fais des aultres roys qui le ont succédé jusques au règne du roy Phelippe le VIIe [2] exclusement, car les gestes et fais d'icelluy Phelippe l'acteur dist que encoires ne les a-il veues ne tenues, ne aussy peult avoir. Si veult commencher en telle manière et dist.

Les Franchois yssus de la génération de Troyes, ou tamps qu'ilz estoient encoires payens et qu'ilz tenoient la loy paganicque, establirent leur règne en la terre de Gaule, ainsi qu'on le voit présentement. Lequel règne à la cause d'eulx est maintenant nommé Franche, et dient ainsi les histoires : *Anno igitur dominice incarnationis quadringentesimo octogesimo quarto, Childerico rege Francorum mortuo, qui, etc.* En l'an doncques de l'incarnation Nostre-Seigneur Jhésu-Christ IIII^{c} IIII^{xx} et IIII, après la mort du roy Childric, roy des Franchois, lequel print la cité de Trevères et gasta la cité d'Or

[1] Voyez le texte latin, p. 521.

[2] Lisez *VI* (Philippe VI, dit de Valois).

liens et ardi la cité d'Angiers, et qui, à l'ayde de Andovacre duc de Saxougne, subjugua à sa seignourie Allemaigne, régna Clovis son filz, que il eult de la royne Basine, jadis femme du roy Basin de Thoringhe. Lequel Clovis tint le règne et seignourie de son père Childric, c'est assçavoir des Franchois, très-puissamment, et le amplia très-grandement; car premièrement il fist à luy tributaire tout le pays d'Allemaigne, après ce qu'il eult occhis le roy des Allemans; il occhist aussy le duc des Rommains nommé Gille, qui se tenoit, par les Rommains et pour lever les tributz de Gaule, à Soissons; il vaincquit aussy en bataille Gondebaud le roy de Bourgongne, et le roy des Wisigots, nommé Alaric, qui régna à Toulouse, mist-il à mort et à exécution, et finablement il fist tant par sa prouesse qu'il conquist Neustrie, Austrie, Franche, Allemaigne, Bourgongne, Prouvence, Acquitaine, Gascongne, et tout jusques à Mons Pirénéens, et mist et subjuga à sa seignourie, et s'en dist et clama seigneur tant qu'il vescu. Lequel Clovis fut de sainct Remy, archevesque de Rains, baptisiés, et tous ceulx qui estoient en sa subjection. Et a sa lignie heureusement régné jusques à l'an de l'incarnation VII^c^ et L, excepté que par le terme de IIII^xx^ et VIII ans, pour ce que la puissance des roys estoit desriglée, c'est assçavoir depuis le tamps du roy Lotaire et de Batilde la royne, sa femme, jusques au tamps de Pepin filz de Karle Martel, le royaulme de Franche estoit gouverné par les mayeurs de la maison royale. Lequel Pepin filz de Karle Martel, VIIIe depuis ledit Lotaire, le père de Dagobert, par Blichaud, fille dudit Lotaire et sœur du roy Dagobert, laquelle fut mariée au duc Ansbert de Loheraine ou de Lothringhe la souveraine, dont il apert qu'il estoit de la semence royale, ou tamps du roy Childric mayeur de la maison de Franche, fut par Estievène pape de Romme, en l'église de Sainct-Denys en Franche, avec sa femme et ses deux filz, c'est assçavoir Karloman et Karlemainne, sacré roy des Franchois, et la succession d'eulx descendans bénéite et confirmé en la dignité du règne, et tous ceulx entreditz et anathématisiez qui empeschement y metteroient, et mauldítz du souverain évesque. Et régna leur lignie en l'empire rommain jusques à l'an de l'incarnation Nostre-Seigneur Jhésu-Christ IX^c^ et XII, et au royaulme de Franche jusques à l'an IX^c^ et XXVI, ouquel an Hue Capet, conte de Paris et duc des Franchois, envay ou ravy injustement le règne des Franchois contre son seigneur et cousin, Karle le duc de Lothringhe, et contre le commandement de l'église de Romme et de nostre sainct-père le pape, qui tous ceulx qui indeuement envayroient le règne de Franche, comme vous avez oy, avoit et a excommunié et mauldit. Mais pour ce que la saincte Escripture dist que Dieu mue les temps et transporte les règnes à sa volenté, nous laissons ceste chose à son discret et soutil jugement, et volons nostre tiers livre encommencher, ouquel nous monstrerons la généalogie dudit Hue; mais premièrement nous metterons les chapitres, en faisant fin à nostre prologue.

De la translation du royaulme de Franche, et du règne Hue duc des Franchois. Chap. I.

Du règne Robert filz de Hue Capet, et du conte Bauduin de Flandres, qui print Valencènes, et de plusieurs aultres choses advenues en ce tamps. Chap. II.

Du concil que eulrent ensamble l'empereur Henry et le roy Robert, et de la mort de l'empereur, et comment la feste du jour des âmes fut establie. Chap. III.

Du règne Henry filz de Robert, et comment le royaulme de Bourgongne fut remis à duché. Chap. IV.

Comment le roy Henry se maria, et comment Bauduin, le filz du conte Bauduin de Lile, ravy la contesse Richauld en son castel de Mons en Haynnault. Chap. V.

Du règne Phelippe filz de Henry, et de plusieurs aultres choses advenues en ce tamps, tant en Flandres, en Franche comme en Haynnault et en Allemaigne. Chap. VI.

Du passaige de Jhérusalem, et comment l'éveschié d'Arras fut séparée de Cambray, et y fut faict ung nouveau évesque, et du nom des cités qui furent prinses sur les Sarrazins. Chap. VII.

De l'ordre de Cistiaulx, et de la bataille des chrestiens contre les payens, de la prinse de Jhérusalem, et de plusieurs aultres choses advenues en ce tamps. Chap. VIII.

Du règne Loys le Gros, et comment l'empereur Henry fut excommeniés, et comment la conté de Flandres fut donnée à Willem filz de Robert, conte de Normandie, et de plusieurs aultres choses. Chap. IX.

De sainct Bernard l'abbé, et de plusieurs merveilleuses choses advenues en ce tamps. Chap. X.

Du règne Loys filz de Loys le Gros, et de la guerre qu'il mena contre le conte Thiébault de Bloix. Chap. XI.

Du second passaige de Jhérusalem, et de plusieurs aultres choses advenues en ce tamps. Chap. XII.

De sainct Thomas, archevesque de Cantorbie, et de plusieurs aultres choses advenues en ce tamps. Chap. XIII.

Du règne Phelippe le second de ce nom, et comment les incrédules de Franche furent destruis. Chap. XIV.

Comment la cité de Jhérusalem fut arrier perdue, et comment la cité d'Arras fut arse. Chap. XV.

Comment le roy Phelippe de Franche et le roy Richard d'Angleterre se firent guerre, et de plusieurs aultres choses advenues en ce tamps. Chap. XVI.

D'ung miracle qui advint à Arras d'une pucelle, qui ne puet estre arse par justice et son frère le fut. Chap. XVII.

D'ung concil d'évesques qui fut fait en Franche pour deffaire le mariaige du roy et de la royne. Chap. XVIII.

De la bataille du roy de Franche contre Ferrand de Portugal, conte de Flandres. Chap. XIX.

Du nombre des prélatz qui furent au général concil de Romme, et comment Loys le filz du roy Phelippe envay le royaulme d'Angleterre. Chap. XX.

D'ung miracle qui advint après la mort du roy Phelippe de Franche, qui fut sceue par ung chevalier révélé. Chap. XXI.

D'ung faulx conte qui se faindoit estre Bauduin le conte de Flandres, si en fut pendu par son col en la ville de Lille. Chap. XXII.

Du siége que le roy Loys de Franche, filz de Phelippe, mist avecq plusieurs nobles prélatz devant les Albigions qu'on dist Avignon. Chap. XXIII.

De frère Robert qui fist ardoir les incrédules, et de sainct Loys roy de Franche, le neufiesme de ce nom. Chap. XXIV.

De Phelippe le quart de ce nom, et comment il en ala sur le roy Pierre d'Arragon. Chap. XXV.

De Phelippe le cincquiesme de ce nom, et de plusieurs choses qui advinrent en son tamps. Chap. XXVI.

De la bataille que le roy Phelippe V^e de ce nom perdy contre les Flamengs, assez prez de Courtray, et des juifz qui furent boutez hors de Franche. Chap. XXVII.

De Loys le Xe de ce nom, et de Engherant de Margny qui fut pendu au gibet de Paris. Chap. XXVIII.

De Phelippe le roy de Franche VIe de ce nom, qui mourut sans hoir dont il soit plenté de mention : là où fine ceste généalogie. Chap. XXIX.

S'ENSUIT LA MATIÈRE.

De la translation du royaulme de Franche, et du règne Hue duc des Franchois[1]. Chap. I.

988. En l'an doncques de l'incarnation de Nostre-Seigneur Jhésu-Christ IX^c IIII^{xx} et VIII fut le noble royaulme de Franche translaté, c'est-à-dire transporté de la généalogie des Charlois en la lignie des contes de Paris. Desquelz régna le premier Hue sur-

[1] Voyez le texte latin, p. 525.

nommé Capet, filz de Hauwis[1] la sœur du primier empereur Otton, lequel, comme nous avons dit ès livres précédens, estoit filz de Hue le Grant, conte de Paris. Lequel Hue le Grant fut et avoit esté frère de Robert, le frère du roy Odon, qui tous deux, c'est asscavoir Odon et Robert, furent couronnez roys contre Karle le Simple. Desquelz deux l'ung, c'est asscavoir Robert, surnommé le tirant, fut ochis par ledit Karle le Simple en la bataille de Soissons, ainsi que dit est. Ces deux frères, c'est asscavoir Odon et Robert, furent filz de Robert le Fort, marquis et conte d'Ango, lequel Robert le Fort estoit yssu et descendu de la génération de Saxougne, c'est à entendre des Saxons que le roy Karle le Grant transplanta entre les Franchois, ainsi que nous avons nagaires, ou darrain chapittre du second livre, recordé.

Or, est asscavoir qu'on list ès gestes de sainct Richier et de sainct Waleri, que jadis, ou tamps de la pestilence des Normans et des Danois, faite par eulx en toute Gaule, leurs glorieux corps furent par les serviteurs de leurs églises transportez en Flandres, et mis en l'église Sainct-Bertin, à la cause et pour la cremeur de ces Normans, comme il apert èsditz gestes, affin qu'ilz fussent gardez de l'impétuosité de ces ennemys de Dieu; car adonc la ville de Sainct-Omer, là où est située l'église de Sainct-Bertin, estoit une très-noble et puissante ville, très-bien garnie, forte et bien préparée à deffense, bien préparée contre tous ses ennemys. Mais comme che venist au tamps du roy Karle le Simple, et que jà les Normans estoient convertiz à la foy de Jhésu-Christ, plusieurs nobles corps sainctz qui avoient esté portez en lieux seurs, pour la cremeur d'iceulx Normans, furent raportez en leurs églises par leurs gens, pour quoy les moines de Sainct-Waleri et de Sainct-Richier veuillent r'avoir leurs corps sainctz; mais les moines de Sainct-Bertin, par la violence du conte Arnoul de Flandres[2] qui en ce les entretenoit, leur refusèrent et ne les veulrent oncques rendre, ains les retindrent jusques au tamps de cestuy Hue Capet. Car l'histoire dist que adoncq sainct Waleri s'aparut à Hue le conte de Paris, en son dormant, et luy dist en telle manière : « Hue, dist-il, va au conte Arnoul de Flandres, et luy dis qu'il renvoye noz corps, qui sont en l'église Sainct-Bertin, en noz églises, car nous aymons mieulx noz lieux que les lieux d'aultruy. » Si luy respondit le conte Hue, en luy demandant qu'il estoit. « Je suis, dist-il, nommé Waleri et mon compaignon est nommé Richier de Pontieu, fais che que Dieu t'a par moy manifesté, et garde bien que tu ne dissimules de ce faire. » Et affin, dist l'acteur, que je puisse conclure en briefve parolle la chose, ledit Hue conte de Paris s'en vint au conte Arnoul, auquel il remonstra la vision qu'il avoit eue, en luy commandant qu'à ce faire il ne mesist nulle prolongie, c'est à entendre de reporter en leurs lieux ces deux glorieux et nobles corps sainctz; mais ledit Arnoul, comme orgueilleux, luy respondit qu'il n'en feroit

[1] *Hatwin* ou *Hatwige*, fille de Henri l'Oiseleur, roi de Germanie.

[2] Arnoul II, dit le Jeune.

